





Ete 13  
And 4<sup>o</sup>  
Vol 1<sup>o</sup>



CLAUDII FLEURII  
ABBATIS  
HISTORIA  
ECCLESIASTICA

A  
R. P. ALEXANDRO

A S. JOANNE DE CRUCE EX PROVINCIA BAVARICA  
CARMELITA DISCALCEATO, OLIM S. THEO-  
LOGIÆ AC SS. CANONUM LECTORE  
CONTINUATA.

CONTINUATIONIS  
TOMUS  
QUADRAGESIMUS NONUS,  
SEU IN ORDINE  
TOMUS LXXIII.  
Ab anno Christi 1729. usque ad annum 1731.



Cum Approbatione Rni. Ordinariatus Augustani.

AUGUSTÆ VINCULICORUM,  
IMPENSIS OFFICINÆ LIBRARIAE JOSEPHI WOLFF.  
M D C C LXXXV.

CHURCH OF ENGLAND

FEBRUARY 1921

ADDITIONAL LIBRARIES

THE BRITISH LIBRARY

ARMED FORCES LIBRARIES

DEFENCE LIBRARIES

GOVERNMENT LIBRARIES

INDUSTRIAL LIBRARIES

LEISURE LIBRARIES

LOCAL GOVERNMENT LIBRARIES

SCIENTIFIC LIBRARIES

SOCIAL LIBRARIES

TECHNICAL LIBRARIES

UNIVERSITY LIBRARIES

WELFARE LIBRARIES

WORLD WAR II LIBRARIES

WORLD WAR II RECORDS



## CONSPECTUS LIBRORUM.

---

### LIBER CCXXV.

- §. 1. *Comaclensis Urbis restitutio a Papa  
S. Cardinalium Collegio annun-  
tiata.* Pag. 1
- §. 2. *Prospera Religionis Catholicæ au-  
spicia in Marocco Regno.* 2
- §. 3 *Principes atque illustres hoc anno  
denati.* 13
- §. 4. *Benedicti XIII. Pontificis Conſti-  
tutiones.* 18

CONSPECTUS LIBRORUM.

§. 5. <i>Diversa S. Congregationum decreta.</i>	23
§. 6. <i>Plures Beati Sanctorum Albo adscripti.</i>	25
§. 7. <i>Scriptorum Religione Catholiconrum opera &amp; obitus.</i>	26
§. 8. <i>Opera &amp; decessus Scriptorum quorundam Acatholicorum.</i>	34
§. 9. <i>Ludovicus Cardinalis de Noailles Archiepiscopus Parisiensis moritur.</i>	36
§. 10. <i>Novi Archiepiscopi conatus pro recipienda Constitutione Unigenitus.</i>	38
§. 11. <i>Quorundam Parochorum oppositio.</i>	41
§. 12. <i>Novi Archiepiscopi Epistola Pastoralis.</i>	44
§. 13. <i>Ludovici XV. Galliarum Regis epistola ad Sorbonam.</i>	45
§. 14. <i>Sorbonæ deliberatio super has Regis literas.</i>	48
§. 15. <i>Sacrae Facultatis comitia hanc in rem habita.</i>	50
§. 16. <i>Quorundam Doctorum oppositio.</i>	55
§. 17. <i>Relatio a Sorbonæ Deputatis in pleno confessu facta.</i>	58
§. 18. <i>Continuata hujus relationis lectio.</i>	63
§. 19. <i>Secunda &amp; tertia hujus relationis pars.</i>	71
§. 20.	

# CONSPECTUS LIBRORUM.

---

§. 20. <i>S. Facultatis decretum de recipien- da Constitutione Unigenitus.</i>	88
§. 21. <i>Heidelbergensium Calvinistarum cavillationes occasione cuiusdam di- sputationis Theologicae.</i>	92
§. 22. <i>Vratislaviensis controversia de Ba- ptismi necessitate.</i>	96
§. 23. <i>Ordo Equestris S. Georgii a Ca- rolo Alberto Bavariae Electore re- stauratus.</i>	101
§. 24. <i>Motus contra Lectiones de S. Gre- gorio VII. Papa excitati.</i>	103
§. 25. <i>Quorundam Franciae Praefulum oppositio contra præfatum offi- cium.</i>	105
§. 26. <i>Horum Praefulum Instrunctiones a Benedicto XIII. Papa proscriptæ.</i>	108
§. 27. <i>Quorundam motus contra hoc Pontificis Breve.</i>	110
§. 28. <i>Pontificis Constitutio contra Par- lamentorum edicta &amp; gesta adver- sus ejus decretum de Officio S. Gre- gorii Papæ.</i>	113
§. 29. <i>Antissiodorensis Episcopi epistola ad Franciae Regem contra Breve Pontificium.</i>	115
§. 30. <i>Fæderatorum Belgarum edictum contra Gregorii VII. P. Officium.</i>	122
§. 31. <i>Funestum P. Courayeri fatum.</i>	125

CONSPECTUS LIBRORUM.

§. 32. Benedictus XIII. Papa Beneven-	
tum profectus.	130
§. 33. Plures Sanctorum Albo ab eo-	
dem Pontifice adscripti.	132
§. 34. Inquisitionis Tribunal in Lusita-	
nia reformatum.	136
§. 35. Laurentii Cozzæ Cardinalis obi-	
tus.	136
§. 36. Joannis Baptiste Cardinalis de	
Salerna decessus.	141
§. 37. Georgii Selleri Cardinalis ex-	
trema.	144
§. 38. Tres Cardinales a Benedicto XIII.	
Papa creati.	147
§. 39. Summi Pontificis Constitutiones	
& decretalia.	148
§. 40. Diversa S. Congregationum de-	
creta.	154
§. 41. Principes atque Illustres hoc anno	
defuncti.	157
§. 42. Scriptorum Religione Catholico-	
rūm opera & obitus.	163
§. 43. Scriptores Acatholici hoc anno	
mortui, eorum opera.	184
§. 44. Acta Parisinæ Facultatis Theo-	
logicæ circa Constitutionem Uni-	
genitus.	187
§. 45. Sacrae Facultatis decretum con-	
tra Doctores Refractarios.	193
§. 46. Alia Ejusdem Facultatis tomia.	
	203
	§. 47.

CONSPECTUS LIBRORUM.

---

§. 47. <i>Eiusdem Sacrae Facultatis decretum circa Syndici postulata.</i>	209
§. 48. <i>Finalis declaratio S. Facultatis.</i>	210
§. 49. <i>Epistola præfatae Facultatis Parisinae ad Universitates, Colonensem &amp; Pragensem.</i>	213
§. 50. <i>Responsum Academiæ Colonensis ad Parisiensium literas.</i>	221
§. 51. <i>Epistola Pragensis Universitatis ad Parisensem Facultatem Theologicanam.</i>	226
§. 52. <i>Ludovici XV. Franciæ Regis mandatum de acceptanda Constitutione Unigenitus.</i>	240
§. 53. <i>Parisini Parlamenti oppositio contra hanc Regis declarationem.</i>	247
§. 54. <i>Rex suam declarationem in acta Parlamenti referri postulans.</i>	249
§. 55. <i>Benedicti XIII. summi Pontificis obitus.</i>	253
§. 56. <i>Eiusdem summi Pontificis scripta typis edita.</i>	254
§. 57. <i>Benedicti XIII. Papæ gesta in Pontificatu.</i>	255
§. 58. <i>Quidam Romani Praesules custodiæ dati.</i>	261
§. 59. <i>Sacra Cardinalium comitia pro eligendo novo Pontifice.</i>	263
§. 60. <i>Laurentius Cardinalis Corsinius in Papam electus.</i>	274

CONSPECTUS LIBRORUM.

§. 61. <i>Gesta Clementis XII. ante Pontificatum.</i>	276
§. 62. <i>Pontificatus exordia.</i>	280
§. 63. <i>Eiusdem Pontificis epistola ad Archiepiscopum Salisburgensem in causa exemptionis Passaviensis.</i>	283
§. 64. <i>Calvinistarum libri flammis traditi.</i>	287
§. 65. <i>Epistola Antissiodorensis Episcopi ad comitia Cleri Gallicani.</i>	288
§. 66. <i>Cleri Gallicani judicium de Montpessulani Episcopi epistola ad Francie Regem.</i>	291
§. 67. <i>Summa epistolæ a Clero Galliano contra Montpessulani literas Regi oblatæ.</i>	294
§. 68. <i>Nemausensis Episcopi oratio ad Regem.</i>	299
§. 69. <i>Parlamenti oppositio contra Cleri Gallicani scripta.</i>	305
§. 70. <i>Regis responsum ad Parlamenti supplicationem.</i>	306
§. 71. <i>Motus a Lutheranis ob Comitem Aufseßum a Patruo abductum concitati.</i>	310
§. 72. <i>Vera facti species a Christiano Aufseßio ad Imperatorem transmissa.</i>	315
§. 73. <i>Lutheranorum querelæ contra Theodoricum Carolum de Erthal.</i>	319
§. 74.	

CONSPECTUS LIBRORUM.

§. 74. <i>Joannis Francisci Barbadici Cardinalis mors.</i>	328
§. 75. <i>Marci Antonii Ansiedi Cardinalis obitus.</i>	333
§. 76. <i>Fratris Augustini de Pipia Cardinalis decessus.</i>	335
§. 77. <i>Benedictus Pamphilius Cardinalis mortuus.</i>	340
§. 78. <i>Bernardi Mariæ de Comitibus Cardinalis extrema.</i>	345
§. 79. <i>Innici Caraccioli Cardinalis satum.</i>	349
§. 80. <i>Caroli Collicolæ Cardinalis obitus.</i>	354
§. 81. <i>Augustinus Cusanus Cardinalis hoc anno vivis ereptus.</i>	357
§. 82. <i>Quinque Praefules a Clemente XII. Purpura honorati.</i>	361
§. 83. <i>Diversæ Constitutiones Benedicti XIII. &amp; Clementis XII. Pontificum.</i>	362
§. 84. <i>Varia Dissidia partim extinda, partim recens mota præcipue circa Religionem.</i>	367
§. 85. <i>Diversa decreta circa Monasteria.</i>	373
§. 86. <i>Spontanea Victoris Amadei II. abdicatio.</i>	374
§. 87. <i>Principum atque Illustrium obitus.</i>	377
§. 88.	

CONSPECTUS LIBRORUM.

§. 88. <i>Infesta Turcarum molimina con-</i>	<i>tra Insulam Melitensem.</i>	382
§. 89. <i>Scriptores Catholici hoc anno</i>	<i>denati, eorumque opera.</i>	385
§. 90. <i>Synodi Diæcesanæ Monasteriensis</i>	<i>decreta.</i>	395
§. 91. <i>Scriptorum Acatholicorum opera</i>	<i>&amp; decessus.</i>	396
§. 92. <i>Quorundam Prædicantium fana-</i>	<i>tismus in Silesia repressus.</i>	399
§. 93. <i>Liber quidam a S. Congregatio-</i>	<i>ne proscriptus.</i>	409
§. 94. <i>Quorundam Prædicantium in-</i>	<i>temperantia mature repressa.</i>	410
§. 95. <i>Fæderatorum Belgii Ordinum e-</i>	<i>dictum contra Sacerdotes Catholi-</i>	
	<i>cos, &amp; Sacram Sedem.</i>	415



LIBER

## LIBER CCXXVI.

- §. 1. *Controversia de Successione in Par-*  
*mensem Ducatum.* Pag. 424
- §. 2. *Solemnis protestatio contra succe-*  
*sionis articulum ab Innocen. XIII.*  
*Papa interposita.* 432
- §. 3. *Successio in utrumque Ducatum*  
*Carolo Hispano per diploma Cæ-*  
*sareum vindicata.* 443
- §. 4. *Continuata summi Pontificis oppo-*  
*sitio.* 450
- §. 5. *Jus successionis Carolo Hispano*  
*adhuc firmius assertum.* 454
- §. 6. *Antonius Parmensis Dux ultimus*  
*ex Farnesia stirpe mascula mori-*  
*tur.* 456
- §. 7. *Clementis XII, querelæ ob usurpa-*  
*tam Investituram.* 457
- §. 8. *Perniciosi Quesnelistarum libri in*  
*vulgus sparsi.* 466
- §. 9. *Quadraginta Advocatorum libel-*  
*lus coram Rege discussus.* 471

CONSPECTUS LIBRORUM.

- 
- §. 10. *Epistola Ludovici XV. Franciae Regis ad omnes Regni Episcopos.* 479
- §. 11. *Burdigalen sis atque Aurelianensis Parlamentorum motus contra Episcopos Sacra menta indignis administrare renuentes.* 485
- §. 12. *Epistola encyclica Ludovici XV. Galliarum Regis ad omnes Regni Praefules.* 490
- §. 13. *Parisiensis Parlamenti editum circa temporalem Regis potestatem.* 494
- §. 14. *Montpessulanus Episcopi editum a Clemente XII. Papa damnatum.* 495
- §. 15. *Parisiensis Parlamenti sententia contra hanc Pontificis Constitutionem.* 500
- §. 16. *Historia de fidibus Appellantium miraculis.* 504
- §. 17. *Continuatio ludricæ scœnæ ad Parisii tumulum.* 508
- §. 18. *Varium Judicium de prætensis hisce prodigiis.* 511

§. 19.

CONSPECTUS LIBRORUM.

§. 19. <i>Fatum Montgeronis celebris Fanatici.</i>	515
§. 20. <i>Historia de Sanguisugis seu de Vampyrismo in Sclavonia &amp;c.</i>	525
§. 21. <i>Relatio Historica de emigratione Rusticorum Salisburgensium.</i>	543
§. 22. <i>Nova Salisburgensium rusticorum seditio.</i>	550
§. 23. <i>Eorumdem Rusticorum petulantia.</i>	557
§. 24. <i>Gravaminum cognitio Deputatis ab Archiepiscopo commissa.</i>	558
§. 25. <i>Generalis horum rebellium consilatio Schwarzachii habita.</i>	563
§. 26. <i>Caroli VI, Imperatoris epistola ad Salisburgenses Apostatas.</i>	565
§. 27. <i>Salisburgensium rusticorum Deputati ad Cæsarem.</i>	569
§. 28. <i>Ratisbonensium Legatorum responsum ad Imperatoris literas.</i>	570
§. 29. <i>Emigrationis terminus ab Archiepiscopo præfixus.</i>	577
§. 30. <i>Caroli VI. Imperatoris responsum ad Ratisbonensium Legatorum literas.</i>	585
§. 31.	

CONSPECTUS LIBRORUM.

§. 31. <i>Prima Emigrantium cohors Kauffburum &amp; aliorum delata.</i>	587
§. 32. <i>Difficultas Augustæ mota circa horum agrestium receptionem.</i>	590
§. 33. <i>Alexandri Sigismundi Principis atque Augustani Episcopi literæ ad Cæsarem hac in causa.</i>	600
§. 34. <i>Salisburgensis Legati responsum ad Saxonici Secretarii querelas.</i>	617
§. 35. <i>Hujus controversiae continuatio.</i>	633
§. 36. <i>Singularis clementia erga Emi- grantes subditos.</i>	636
§. 37. <i>Rebellium delicta juramentis &amp; testibus comprobata.</i>	645
§. 38. <i>Contraversia inter Victorem Ama- dum, ejusque Filium Regem.</i>	647
§. 39. <i>Diffidia cum Lucernensibus plene composita.</i>	651
§. 40. <i>Cardinalis Cœsia publice inqui- sus.</i>	651
§. 41. <i>Prima sententia in Cœsiam Car- dinalem pronuntiata.</i>	653
§. 42. <i>Cœsia Cardinalis Roma sua elapsus.</i>	656
§. 43.	

CONSPECTUS LIBRORUM.

---

§. 43. <i>Idem Cardinalis Romam rever-</i>	
<i>fus.</i>	660
§. 44. <i>Ultima sententia in Cosciam pro-</i>	
<i>nuntiata.</i>	663
§. 45. <i>Controversia Pontificis cum Sar-</i>	
<i>diniœ Rege resuscitata.</i>	667
§. 46. <i>Clementis Papæ sollicitudo in</i>	
<i>sedandis Corforum tumultibus.</i>	674
§. 47. <i>Dissidium cum Lucensibus a Papa</i>	
<i>sublatum.</i>	678
§. 48. <i>Injuria Polono Oratori illata</i>	
<i>Pontificis consilio reparata.</i>	679
§. 49. <i>Aliæ contentiones feliciter com-</i>	
<i>positæ.</i>	681
§. 50. <i>Conscientiæ libertas Kauffuri ab</i>	
<i>Acatholicis lœsa.</i>	683
§. 51. <i>Jacobi Boncompagni Curdinalis</i>	
<i>obitus.</i>	692
§. 52. <i>Quinque Cardinales a Clemente</i>	
<i>XII. Papa creati.</i>	696
§. 53. <i>Lusitanicæ Rex cum Sede Apo-</i>	
<i>stolica in gratiam reversus.</i>	697

§. 54.

CONSPECTUS LIBRORUM.

§. 54. Clementis XII. in promovenda Religione Catholica studium.	700
§. 55. Varii successus in Galliis.	702
§. 56. Prætensa Protestantum grava- mina.	704
§. 57. Principum atque Illustrium obi- tus.	715
§. 58. Clementis XII. Constitutiones.	720
§. 59. Scriptorum Religione Catholi- corum opera & decessus.	732
§. 60. Scriptores Acatholici hoc anno desunti, eorum opera.	735
§. 61. Resuscitata Wormatiensium Lu- theranorum dissidia contra Clerum Catholicum.	738



HISTO-

Ordo Equestris S. Georgii a Bavariae Electore institutus.



HISTORIÆ  
ECCLESIASTICÆ  
CONTINUATÆ.  
*LIBER CCXXV.*

BENEDICTUS XIII. PONTIFEX MAXIM.  
CAROLUS VI. ROM. IMP.

§. I.

*Comaclensis Urbis restitutio S. Cardinalium Collegio annuntiata.*

**J**am anno hujus saeculi vigesimo quarto  
de Comaclensis Urbis restituendæ  
*Hist. Eccles. Tom. LXXIII.* A con-

Sæc. XVIII.  
A. C. 1728.

Sæc. XVIII. conditionibus inter Benedictum XIII. & A. C. 1728. Carolum VI. Imperatorem agebatur.

Res tamen plene componi hand poterat, tandem vero complanatis utrinque dissidiis Cæsarei milites Menſe Februario ultro Urbe concederunt, & Apostolica Sedes primæva veteris suæ poffessionis jura recuperavit. Prosperum hunc rei exitum Benedictus XIII. die 29. Januarii in consueto Senatu Cardinalibus significabat, eos his verbis allocutus: „Venerabiles Fratres, re- „spexit Dominus in hæreditatem suam, „& Sanctuarii jura, collatis concordi „fædere Sacerdotii, & Imperii officiis, „per Cæsaream pietatem, iuftitiamque „reparavit. Diuturnis quidem studiis „curisque, ut Fraternitatibus vestrīs „explanatissimum est, nihil intentatum „reliquerat felicis recordationis Cle- „mens XI. prædeceſſor noster, ut in „pristinam poffessionem civitatis Co- „maclenſis hæc sancta Sedes restitue- „retur. At licet adverſa temporum „conditio fructum Pontificiæ follicitu- „dinis retardaverit, rationes tamen „hujus sanctæ Ecclesiæ afferere eximia „cum sui nominis gloria, ad extre- „mum usque vitæ ſpiritum ille non „defitit. Pari quoque follicitudine, „prudentiaque, quod vos nescire non „dubitamus, rem ad optatum prope „exi-

„exitum perduxerat felicis recordatio- Sæc. XVIII.  
 „nis Innocentius XIII. prædecessor iti- A. C. 1728.  
 „dem noster, sed mors interveniens  
 „et si illi de solertiæ laude nihil decer-  
 „psit, consecuti tamen operis lætitiam  
 „intercepit. Nobis vero, qui nostram  
 „agnoscentes, ac testantes infirma-  
 „tem in labores eorum introivimus,  
 „gaudium hujus prosperi successus con-  
 „solator humilium Deus reservavit, in  
 „hoc operam, & labores adhibendo  
 „dilecti Filii nostri Cardinalis Cienfue-  
 „gos, quod vobiscum hodierna die ex  
 „hoc loco, ut moris est, communican-  
 „dum duximus, Fraternitatibus vestris  
 „significantes, charissimum in Christo  
 „Filium nostrum Carolum Romanorum  
 „Regem in Imperatorem electum, pia,  
 „& illustria Majorum suorum exempla  
 „prosequentem, suæque religioni &  
 „æquitati, ac nostrorum simul, quos  
 „laudavimus Antecessorum, paternis-  
 „que nostri Apostolatus officiis obsecu-  
 „tum, possessionem Comaclii dimisisse,  
 „ut in eam hæc sancta Sedes restitue-  
 „retur ut prius, quo autem pacto res  
 „ipsa peracta sit, praestat ex tractatus  
 „conventionibus, quas vobis recitari  
 „volumus, Fraternitates vestras acci-  
 „pere. Magnificemus igitur, venera-  
 „biles Fratres, Deum protectorem, &  
 „demus gloriam audi ejus, qui ad

Sæc. XVIII. „ nostræ imbecillitatis ministerium pro-  
A. C. 1728. „ pterea opus misericordiæ suæ distu-  
„ lisse videtur, ut nomini suo, quidquid  
„ est prospere gestum, unice assignare-  
„ tur. Ejusdem præterea charissimi in  
„ Christo Filii nostri laudes digno præ-  
„ conio celebremus, qui in colenda ju-  
„ stitia, sanctæque Ecclesiæ rationibus  
„ tuendis præcipuum Austriaci sangu-  
„ nis, & Cæsarei nominis gloriam col-  
„ locare gestit. „

Ita sane Benedictus an in obtinen-  
do felicior vel in prædicanda hac  
felicitate verecundior fuerit, dubium  
reliquit, id omnino certissimum, lau-  
dem & gloriam adeptum fuisse ab om-  
nibus, dum a nullo laudari concipi-  
verat.

### §. II.

#### *Prospera Religionis Catholicæ auspi- cia in Maroccano Regno.*

*Vide supra  
pag. 554.*

Quamprimum rumor de Debii Maro-  
chii imperatoris animo in Chri-  
stianos propenso in Galliis increbuerat,  
mox P. Beguinus & tres alii Religiosi  
ex Ordine Fratrum de Mercede ab eo-  
rum Superioribus decernebantur, ut  
Christianos dira servitute ibidem pref-  
fos

fos redimere, & fidem Catholicam in <sup>Sæc. XVIM.</sup>  
 hoc Regnum invehere studerent. Hi <sup>A.C. 1728.</sup>  
 ergo, priusquam Gautherius & Mare-  
 na Galli, uti supra relatum est, cum  
 Imperatoris literis ad Franciæ Regem  
 pervenerant, jamjam in Hispaniam ex  
 Galliis profecti erant, & secundis ve-  
 lis Cordubam appulsi inde continuato  
 itinere ad Gades contendebant, ubi  
 ipsis primum innotuerat, tantam esse Ma-  
 roccani Regis indulgentiam, ut ex qualibet  
 Natione duo captivi in suam quis-  
 que patriam ire permitterentur, qui a  
 suis Principibus pro redimendis subdi-  
 tis lytrum obtinere satagerent. Eadem  
 die hi Religiosi a suis superioribus lite-  
 ras accepere, quibus injunctum, ut  
 Gautherium & Marenam e Francia  
 reversuros ibidem expectarent, & una-  
 cum eis demum ad Marochii regnum  
 pergerent: cum autem hi duo Galli  
 nonnisi die septima Martii hoc anno  
*portu gratiæ* solvere possent, hac mora  
 accidit, ut tota captivos redimendi &  
 Evangelii prædicandi spes evanesceret;  
 interea enim temporis Muley Abdeme-  
 lec collecto raptim milite, Hamet - De-  
 bium Fratrem suum hostiliter aggressus,  
 illum fusis ejus copiis e solio decima octa-  
 va Martii deturbavit, sibique Regni sce-  
 ptrum asseruit. Horum vero, quæ in-  
 terim in Africa contigissent, omnino

A s ignari

Sæc. XVIII. ignari erant hi Religiosi, quapropter  
A. C. 1728. de prospero suæ expeditionis successu  
haud dubii tela ferica, auro & argento  
intexta, aliaque pretio & arte insignia  
coemerunt munera, quæ Maroccano  
Regi offerre parabant, eidemque ma-  
gis accepta fore, a Pileto Salanæ Ur-  
bis Gubernatore, olim fidei Catholicæ  
desertore prius perceperant. Tandem  
vero ambo Galli die vigesima quarta  
Martii ad Gaditensem portum appulsi,  
nnacum quatuor hisce Religiosis Salam  
contenderunt, quorum adventum e-  
doctus Gubernator, duabus navibus  
obviam missis, eos simulata benignitate  
excepit, dato tamen nautis mandato,  
ut si fors hi advenæ hasce naves con-  
scendere renuerent, eos vi compelle-  
rent, eorumque cistas omnes hisce na-  
vibus imponerent; perfidus enim atque  
avarus hic Apostata verebatur, ne hi  
Religiosi cognita Debii Regis exaucto-  
ratione uacum muneribus, quæ pro  
hoc Principe secum deferebant, in pa-  
triam suam reverterentur. Verum hi  
nil mali suspicati, ultro ex sua cymba  
exscenderunt, omniaque sua pretiosa  
Gubernatoris navibus imposuere: Vix  
ad ædes cujusdam Galli Mercatoris  
nomine *Le Noir* erant conducti, cum  
Debium Regem folio detrusum, eique  
Abdeimelecuin fuisse subrogatum per-  
cipiunt.

cipiunt. Funesto hoc Nuntio perculsi Sæc.XVIII  
 de redimendis captivis desperare cæ- A.C. 1729.  
 perant, & demum, quo se verterent,  
 nescii Piletum Gubernatorem, qui eju-  
 rata fide Catholica se Abdeludyen no-  
 minabat, supplices adeunt, ut eos suo  
 soveret patrocinio. Hic vero facta co-  
 mitate & affectu illos amplectitur, cer-  
 tosque esse jubet, Abdemelecum Re-  
 gem haud segniore, ac Debius Rex be-  
 nevolentia in Christianos ferri, seque  
 nullum officii genus in eorum favorem  
 omissurum. Hac pollicitatione erexit  
 Patres meliora sperabant, magis e-  
 tiam illos solabantur literæ, quas ab  
 Abdemeleci Filio scriptas ineunte Mense  
 Aprili receperant, hoc tenore :

*Muley - Ailly, Filius Muley - Abdeme-  
 leci Regnantis Regis, Patribus Gal-  
 lis Ord. Redemptionis salutem.*

*Lætamur de adventu vestro in nostram  
 patriam : in plena securitate poteritis Salœ  
 subsistere, donec Marochii Rex Pater meus  
 Mequinesiam intraverit, quo eum brevi ven-  
 turum speramus : Tum vero negotium, quod  
 Vos huc advocavit, cum ipso sine omni ob-  
 staculo absolvere poteritis ; de propitio al-  
 loquio vos certos reddo, quicquid petieritis,  
 ab eo obtinebitis, & majorem ab eo bene-  
 volentiam experiemini, quam a quovis alio  
 Principe sperare possetis. Mechemedo Bel-*

Sæc. XVIII. *cadii Famulo nostro, & alteri captivo Ab-*  
Ar C. 1728. *delady demandavimus, ut vestrum curam*  
*habeant, & ne vobis quid finistri accidat,*  
*præpediant: Armate vos patientia, &*  
*ne solliciti sitis - datum die 26. Mensis Cha-*  
*ban Anno 1140. Prophetæ nostri.*

*Aly Omnipotentis Servus, Regis*  
*Maurorum Filius.*

Haud absimiles literas Benmargen  
 primarius Eunuchus eodem ferme tem-  
 pore ad eos dedit, suumque obsequium  
 apud Regem illis pollicitus est. His  
 ergo promissis animati, die septima  
 Maij e Salano portu ad Aulam prope-  
 raturi solvunt. Stipantur numeroſo  
 militum comitatu, simulque cum eis  
 Alcaides Mahomet Monino olim Sala-  
 nus Gubernator mulo catennis an-  
 nexus conducebatur, qui capitis poenam  
 veritus, ſeſe horum Patrum patrocinio  
 enixe commendabat, quo intellecto  
 Piletus reposuit: *Stulte! hi Patres quod*  
*sibi de propria salute timeant, tantum ha-*  
*bebunt, ut de aliena solliciti esse non potue-*  
*rint.* Ex his verbis haud obscure col-  
 ligebant, hunc Apostatam eorum po-  
 ſtulatis apud Regem obſtiturum, quo-  
 circa ſibi primarii Eunuchi benevolen-  
 tiā profuso auro demererī studebant.  
 indignante vehementer Apostata, qui  
 eis palam denuntiabat, ſequocunque ſe  
 verte-

verterent, aut serius aut citius exper-  
turos, quod eorum fatum a solo ipius  
dependeret arbitrio: Perfido huic Gu-  
bernatori Eunuchus quidem mortis pœ-  
nam comminabatur, si se se huic nego-  
tio ingerere præsumeret, ipse vero spre-  
tis hisce minis clam Patrum consilia  
evertere totis viribus adlaborabat. Tan-  
dem die decima Maij Mequinesiam de-  
lati, die duodecima ejusdem Menfis  
ad alloquium admittuntur, Regem sa-  
lutatione consueta honorant, eique  
munera, quæ secum deferebant, offre-  
runt; paulopost Rex ipsos his verbis  
alloquebatur, *qui estis, & quid a me pe-  
titis?* Hi vero reponebant, *fumus Reli-  
gioſi natione Galli, & ſolii tui felicitatem  
gratulaturi advenimus, roga-  
tes, ut noſtræ Nationis mancipia, quæ ſub captivitatis  
jugo gemunt, & libertatem & patriam  
anhelant, redimi permittas.* Ad hæc re-  
poſuit Rex, *num quosdam Mauros vo-  
biscum ex Francia conduxisti?* Respon-  
dentibus autem Religiosis, nulos in  
Gallorum triremibus captivos detineri,  
interrogabat de lytro, quod pro cen-  
tum septendecim Gallis erogare vellent?  
Hæc inaudiens Apostata, ad Regem  
dixit, hi Patres alia habent adhuc mu-  
nera, quæ Regiæ ſuæ Majestati offerre  
vellent, quo auditio Rex sermonem in-  
terrupit, eosque septima post die ad-

Sæc. XVIII.  
A C. 1728.

Sæc. XVIII. esse jussit. Hoc temporis intervallum  
A.C. 1728. nequissimus Apostata in rem suam ver-  
tit, Regique suggestit, Muley - Ismae-  
lem Regem nunquam Christianum di-  
misisse, nisi vicissim natione Mauri  
libertati redditii fuissent, aliunde vero  
hos Patres non advenisse, ut cum ipso,  
sed cum ejus hoste Hamet - Debyo a-  
gerent. Die tamen decima nona Maij  
rurus cum Rege colloqui permittun-  
tur, minus tamen benigne excepti,  
demum vero in tertio alloquio Rex qui-  
dem munera, quæ his Religiosis ad-  
huc supererant, acceptavit, simul ta-  
men eis significavit, quod ab eo haud  
ampliora sperare possent, nisi securita-  
tis literas, quibus muniti in Franciam  
redirent, hisque dictis duas Histrices  
non sine contemptu ante eorum pedes  
projici jussit, hisce vero Religiosis sese  
excusantibus, quod ejusmodi animan-  
tibus haud vescerentur, eorum loco eis  
duo pollicitus mancipia, sequentes ad  
Franciæ Regem literas tradidit;

*Dei voluntate ad solium elevatus Rex,  
 universæ Barbariæ Domitor, Lu-  
 davico XV. Franciæ Regi pacem.*

*Patres Redemptionis, qui cum Mulay-  
 Hamet - Debio Fratre meo de redimendis  
 mancipiis acturi Mequinesiam venerunt, mi-  
 a Deo jam folio impositum cernebant, quia  
 Frater*

*Frater meus legem, prout decuisset, non Sæc. XVIII.  
observabat: Hi Patres me in Palatio meo A.C. 1728.  
salutarunt, quæsivi ab illis, an secum tuas  
ad me literas deferrent, illis vero nullas  
mihii redditibus, duo mancipia nationis  
Gallicæ dono dedi: si vero fors redire vel-  
lent, necesse est, ut publicæ fidei literas af-  
ferant, & tum cum eis agemus. Pax te-  
cum sit: Datum Mequinesiæ die 18. Mensis  
Chouvel Anno 1140. (\*)*

Ceterum quatuor hi Religiosi Sa-  
lam die trigesima prima Maij reversi,  
die quinta Junii portu solverunt, quin  
alium piæ suæ expeditionis fructum in  
patriam reportarent præter hæc duo  
mancipia, & Eunuchi Benmargen epi-  
stolam ad Cardinalem Fleuryum hujus  
tenoris:

*Cardinali Fleuryo &c. vitam &  
salutem.*

*A Rege meo, qui pariter ad Franciæ  
Regem perscripsit, de iis. quæ inter ipsum  
& Patres redemptores acta sunt, Te cer-  
tiorem reddere jussus sum. Ex Francia in  
hoc regnum factis Mequinesiæ haud exiguis  
expensis pervenerunt, quin votis suis dam-  
nari*

(\*) Horum captivorum quilibet jam septua-  
gesimum quintum ætatis annum exegerat, &  
horum alter quadraginta quinque omnino annis  
jam in captivitate næserat.

Sæc. XVIII. *nari* potuerint. Censuit enim Rex Dominus meus, A.C. 1728. haud convenire, ut, quin publicæ fidei literis a suo Principe muniti essent, tot Christianos in libertatem affererent: Nil aliud de Te peto, nisi ut Regis mei literas Regi tuo tradi cures, eo fine, ut si ipse captivos per hos Patres redimi desiderat, eorum vota plene adimpleantur. Viciissim mihi rescribas velim, & sis securus, cuncta optatum sortitura successum; si forte ex Regione nostra quicquam desideres, id indica mihi, & voti tui compos eris, et si duos vel tres Christianos petieris, dummodo res inter me & Te, insciis nostris Regibus, agatur: in omnibus me tuis desideriis conformabo. Datum Mequinesiae die 18. Chouvel Anno 1140. (\*)

Eodem tamen adhuc anno Muley-Hamet - Debius in Regem denuo proclamatus expugnata Mequinesia Abdemelecum strangulati, & Piletum Apostamat sclopis trajici, ejusque corpus ante Salanæ Urbis portas pedibus suspendi jussit, ac tandem, postquam Regis Lusitani Oratorem unacum aliis quatuor Patribus Ord. de Mercede per honorifice receperat, eisque plures captivos libertati assertos dono dederat, die vigesima secunda Martii Anno 1729. naturæ debitum solvit. Anno autem hujus saeculi trigesimo Muley Abdalat Marocci Imperator his Patribus indulxit,

(\*) Id est 28. Maij 1728.

fit, ut Christianos in suo Regno captos Sæc. XVIII.  
lytro redimere, & ad levamen ægrotorum A. C. 1728.  
rum præter Chyrurgum etiam sex Religiosos in Mequinesiensi Nosocomio re-  
tinere possent; inhibuit quoque severissime tam Mauris, quam aliis, ne hos Pa-  
tres ullo pacto molestarent.

## §. II.

*Principes atque illustres hoc anno  
denati.*

Hunc annum vitæ suæ postremum ha-  
buere non pauci Principes, & qui-  
dem ex Ecclesiasticis occurrit Udalricus  
de Federspiel Curiensis Episcopus, qui  
die decima tertia Octobris anno sui Re-  
giminis trigesimo e vivis excessit. Suc-  
cessorem habuit Josephum Benedictum  
Baronem de Rost, natione Germanum,  
qui die decima quinta Decembris una-  
nimi suffragio electus est, non sine ma-  
gna tamen Rhætorum indignatione;  
hi enim hanc dignitatem nonnisi suæ  
gentis Viro esse conferendam rati, ipso  
electionis die suos Deputatos ad Pon-  
tificis Nuntium & Cathedrales Cano-  
nicos jamjam congregatos allegarunt,  
& impensis precibus adjectisque minis  
audiri postulantes tandem admissi, sua  
jura ac privilegia violari querebantur,  
palamque adversus electionem reclama-  
bant,

Sæc. XVIII. bant, si hæc in alium, quam natione  
A. C. 1728. Rhætum caderet, seque illum pro Epi-  
scopo nunquam habiturum declarabant.  
Verum insuperhabita eorum oppositione  
Electio procedebat, eoquod jam Anno  
1620. cum Rhætis transactio fuisse  
inita, vi cuius etiam Germanis bene-  
ficium, ut vocant *Eligibilitatis* assere-  
batur, aliunde vero, cum dignissimi  
hujus Præfulis electio supremo Cæsa-  
ris patrocinio firmaretur, electus vix  
non ab omnibus Rhætiæ statibus offi-  
ciosa gratulatione honorabatur.

Die autem nona Junii post diuturnam infirmitatem Parisiis decepsit Fran-  
ciscus a Lotharinga Bajocensis Episco-  
pus, qui a Vicario Parochiæ ad S. Mag-  
dalenam morientium Sacramentis mu-  
nitus, suæ appellationi contra Constitu-  
tionem interpositæ immortuus est.  
Edidit Anno 1722. epistolam in duas  
partes divisam, quarum prima conti-  
net Bajocensis Episcopi judicium de  
variis propositionibus a Patre de Ge-  
nes Jesuita denuntiatis, altera com-  
plectitur approbationem & confirma-  
tionem censuræ a Facultate Theologica  
Cadomensi die 31. Decembris 1720.  
pronuntiatæ contra septendecim propo-  
sitiones tam ex dictatis quam ex The-  
sis in Cadomensi Jesuitarum Collegio  
divulgatis. Hanc epistolam Episcopus  
in

in sua Synodo die decima quinta Aprilis ejusdem anni promulgavit, Mensis A.C. 1728. autem Julio 1724. publici juris fecit aliam Epistolam Pastoralem, in qua sequentes duo libelli fuere damnati.

I. Instructio ad normam Catechismi circa Constitutionem *Unigenitus*. II. Instructio Theologica loco responsi ad libellum, cui titulus: *Familiare colloquium de Constitutione UNIGENITUS*, quem libellum non ita pridem Jansenistæ Duaci in vulgus sparserant; Tertio demum ejus Instructio Pastoralis prodiit Anno 1727. in qua duodecim Noailii articulos propugnavit. Obiit etiam die decima quarta anno ætatis quinquagesimo quarto Augusti Ernestus Augustus Georgii I. Angliæ Regis Frater Brunsvicensis Dux, Episcopus Osnabrugensis, cui, ut recentior quidam scribit Historicus, nil nisi Religio, & consecratio Episcopalis defuit. Successorem habuit ex Catholicis Clementem Augustum Colonensem Electorem atque Archiepiscopum. Mensis autem Novembri Rupertus Baro de Bodman Campidunensis Abbas S.R.J. Princeps anno ætatis octogesimo quarto, Regiminis quinquagesimo decessit. In ejus locum a Canonicis electus est Anselmus Reuchlin Baro de Meldegg, & Wildenberg defuncti Coadjutor.

Hoc

Sæc. XVIII. Hoc item anno die vigesima sexta  
A.C. 1728. Augusti Maria Anna Sabaudiæ Regina  
Philippi I. Aurelianensis Ducis Filia  
post octodecim horarum ægritudinem  
ex viscerum doloribus animam exha-  
lavit. Fœmina erat supra sexus sui  
conditionem in rebus politicis versati-  
fima, & prudentia illustris. Eodem  
anno decessere in Domo Palatino - So-  
lisbacensi duorum Fratrum Conjuges:  
& quidem die vigesima nona Januarii  
Sophia Elisabetha Augusta Caroli Phi-  
lippi Electoris Filia, Josephi Caroli  
Conjux nonnisi triginta sex annos nata  
& Maria Anna Marchionis Bergensis  
ad Zomam Filia hæres, Christiani  
uxor. Die vero septima Martii obiere  
Fridericus Ludovicus Dux Holsato-  
Beck anno ætatis septuagesimo quarto,  
& Anna Petrowna Holsatiæ Ducissa  
die decima quinta Maij annos nata vi-  
ginti, necnon Natalia Moscoviae Ducis  
Soror: die secunda Augusti Alexander  
Franciscus Lusitani Regis Filius quin-  
quennis puer: die quinta Septembbris  
Christina Eberhardina Poloni Regis  
uxor exacto quinquagesimo sexto ætatis  
anno: & die vigesima septima ejusdem  
Mensis Princeps Lubomirskyus Reli-  
gionis fervore celeberrimus, qui apo-  
plexia tactus decessit. Sepultus in  
Ezenstochoviano Monasterio: die decima  
quarta

quarta Aprilis Joannes Fridericus Mu- Sæc. XVIII.  
 tinæ Princeps nonniſi viginti septem A.C. 1729.  
 annos natus; die vigesima Julii apud  
Sueffiones quinquagenarius obiit cele-  
 berrimus Cæſaris Legatus ad Sueffio-  
 nensem Congressum Baro de Batenrieder  
 ab Adelhaufen: Denique fatis  
 concessit Christianus Fridericus ex fa-  
 milia Comitum Bückeburgo - Lippensi.  
 Hic uxorem suam Hohenloensem repu-  
 diabat, quamvis ex ea Albertum Fi-  
 lium, pluresque alios liberos suscep-  
 set. Ut ergo Tyrolensem quamdam  
 puellam nomine Gallam ducere posset,  
 Romam profectus est, ubi juramento  
 testabatur, se Hohenloensem non ali-  
 ter, ac cum expressa, absoluta & unica  
 hac conditione duxisse, ut juxta sectæ  
 suæ Calvinianæ usum, ejus matrimo-  
 nium quoad vinculum esset dissolubile,  
 proin illam rursus repudiare posset. Cum  
 ergo defuisset consensus, quem disso-  
 labilitatis impossibili conditioni alliga-  
 rit, nec prudenter præsumi potuerit,  
 quod consensum suum serio tunc huic  
 conditioni non alligarit, sed præfracte  
 eo præcise modo, quo contrahere non  
 potuit, matrimonium contraxisset, il-  
 lud irritum fuit declaratum, ac ipse  
 Gallam amplissimis pollicitationibus  
 pellectam duxit, sed paulopost mortuus  
 est, ejusque Filius Albertus Gallam  
*Hist. Eccles. Tom. LXXIIII. B Hil-*

**Sæc. XVIII.** Hildeshemium migrare jussit, Matrem A.C. 1728. vero suam ex Anglia, quo secesserat, revocavit.

### §. III.

#### *Benedicti XIII. Pontificis Constitutiones.*

Inter varia, seaque saluberrima, quæ Benedictus XIII. Papa condidit, statuta, singulari decreto ipsum etiam Cameræ Apostolicæ Tribunal a quibusdam corruptelis expurgavit, atque ut in ceteris Romanæ Urbis Curiis exactius justitia administraretur, statuit, ut mulæ pecuniariæ piis locis, captivis & pauperibus applicentur, & publicæ tabulæ, instrumenta, aliæque ad rem alienam pertinentes scripturæ in Codices & protocolla plene redigantur, inque Urbis Archivo reponantur. Insuper die decima quarta Junii declaravit, quod Jesuitis post vota simplicia ante solemnem Professionem a Generali dimissis nulla a societate alimenta aut congrua debeatur sustentatio, licet dum in ea vivebant, titulo religiosæ paupertatis ad sacros etiam Presbyteratus Ordines promoti fuissent. Enimvero Clemens XI. Monarchiam seu legationem Siculam, ejusque Tribunal edita Constitutione suppresserat, Carolus tamen

men sextus Imperator hanc cauffam denuo innovavit, datisque ad Papam literis exposuit, quod jura Apostolicæ legationis in Siciliæ Regno ultra Pharam sibi, ejusque hæredibus legitimis ex indulto Urbani II. competenter, eoque ea jam olim Comiti Rogerio ejusque Successoribus ob eliminatam Saracenorum tyrannidem, Catholicam fidem restitutam, necnon ob Ecclesiæ Romanæ Sedi denuo subjectas concessa fuerint, & usque ad Caroli II. obitum per sex omnino sæcula in suo robore atque usu remanserint. Hanc quidem rationem Pontifex æque ac olim Clemens XI. ob abusus irrepentes minus validam esse agnovit, quia tamen graves inde exortæ fuerunt contentiones non sine animarum pernicie, & publicæ tranquillitatis detrimento; hinc ejusmodi litibus finem impositurus, die trigesima Augusti Constitutionem edidit, in qua controversias circa ordinem cognoscendi cauffas Ecclesiasticas & circa appellationes &c. compofuit. Hanc concordiæ Bullam Carolus VI. Imperator per pragmaticam legem exakte observari præcepit die prima Februarii Anno 1729.

Alia postmodum Constitutione idem Pontifex Collegiatam Ecclesiam S. Venantii in Cathedralem & Fabrianum

Sæc.XVIII.  
A.C. 1728.

**Sæc. XVIII.** Piceni oppidum necnon Roncilionem  
**A. C. 1728.** in Civitates die decima quinta No-  
 vembris & 28. Maij erexit. Die autem  
 sexta Aprilis Monialibus velum sacrum,  
 benedictionem & consecrationem reci-  
 pientibus Indulgentias plenarias con-  
 cessit. Eodem quoque anno die secun-  
 da Januarii, cum Italia atque adjacen-  
 tes Insulæ horrendis terræ motibus,  
 atque aquarum inundationibus, inde-  
 que exortis agrorum vastitatibus plu-  
 rimum affligerentur, hinc Pontifex,  
 ut Deum placaret, Jubilœum indixit.  
 Ejusdem vero Mensis die vigesima  
 octava Fratribus Discalceatis Redem-  
 ptionis Captivorum præcepit, ut can-  
 tum Gregorianum, sed duntaxat in  
 choro adhiberent: Pariter Canonicis  
 Regularibus Præmonstratensibus die  
 7. Martii & 12. Aprilis confirmavit  
 S. Congregationis Rituum decretum,  
 vi cuius die vigesima secunda Januarii  
 data est facultas, ut SS. Godefridi,  
 Gilberti, Friderici, Hermani Josephi,  
 Isfridi, Evemondi, Ludolphi, Garlacii,  
 Siandi, & B. Gertrudis festa ac officia  
 imposterum recitare valeant. Præterea  
 Pontifex die vigesima quinta Junii duos  
 libellos a Patre Courayero editos tam  
 legi quam retineri prohibuit, eoquod  
 propositiones falsas, temerarias, seditio-  
 nes, scandalosas, piarum aurium offensivas,  
 sacra

sacrae Sedis & Conciliorum autoritati injuriosas, & contumeliosas, schismaticas, A. C. 1728.  
 erroneous, S. Ordinationum, aliorumque  
 Sacramentorum everfivas & hæreticas con-  
 tinenterent: Horum autem librorum titu-  
 lis erat: *Dissertatio de valore Ordinatio-*  
*nūm Anglicarum, & de successione Episco-*  
*porum Anglicanæ Ecclesiæ.* — *Defensio*  
*hujus Dissertationis &c.* Die autem tri-  
 gesima Augusti Benedictus XIII. Papa  
 Tertiarios Ordinis Carmelitarum juris-  
 dictioni ac Regimini Magistri sui Gene-  
 ralis subjicit, Monialibus autem S.Ra-  
 degundis Mediolan: die decima nona  
 Septembris inhibuit, ne Musicos con-  
 centus figuratos in usu habeant.

Jam Anno 1726. Poloniæ Proceres  
 in Grodnensisibus Regni comitiis Mensis  
 Octobri adversus Vincentium Trapezun-  
 tinum Archi - Præfulem, Apostolicum  
 Nuntium & Nuntiaturæ Tribunal quam-  
 dam Constitutionem promulgaverant,  
 ac postea die nona Novembris Comi-  
 tem Tarlo Lublinensem Præfectum Ro-  
 man decreverant, ut gravamina ab-  
 olieri, & Nuntium e Polonia Romam  
 revocari peteret: Insuper die vigesima  
 sexta ejusdem Mensis novos quinque  
 articulos ediderant, quorum I. inter  
 alia sub carceris, aliisque pœnis inhi-  
 bitum erat omnibus Caussidicis, ne  
 coram eodem Nuntio, ejusque Tribu-

Sæc. XVIII A. C. 1728. nali caussas & lites actitare aut ab eis aliqua gratiæ vel justitiæ remedia obtinere præsumerent, II. prohibitum, ne Parochi vel Monasteriorum Superiores censuras Ecclesiasticas a præfata Nuntiatura emanatas in suis Ecclesiis, sub poena proscriptionis bonorum promulgare auderent, & denique III. in Domibus Nuntiaturæ vicinis milites distribuebant, qui Caussidicos aliosque quoscunque ad dictam Nuntiaturam recurrentes inde arcere jubebantur, hinc Pontifex Ecclesiasticam & Pontificiam potestatem contemni ratus, ipsum Regem, omnesque regni Archiepiscopos, Episcopos & Proceres rogabat, ut hæc edicta rescindi curarent, cumque Pontifex nullam harum precum rationem haberi cerneret, Camillum Iconensem Archiepiscopum tanquam extraordinarium Sedis Apostolicæ Nuntium ad Augustum Poloniæ Regem ablegavit, eique injunxit, ut cum omni animi contentione hæc edicta abrogari studeret: incassum tamen erant omnia, quapropter Benedictus Papa die vigesima quinta Septembris tam Procerum Constitutionem, quam quinque hosce articulos, esse omnino irritos, eos vero, qui præfatis omnibus operam præstissent, censuras a S. Canonibus inflatas incurrisse declaravit. Denique die decima

decima sexta Decembris statuit, ad officia & dignitates esse inhabiles Religiosos Ord. S. Basillii, qui Archiepiscopatus, Episcopatus, aliasque dignitates sibi procuraturi essent.

Sæc.XVIII.

A.C. 1728.

## §. IV.

*Diversa S. Congregationum decreta.*

Præter plura alia, quæ a S. Congregationibus Romanis emanarunt, decreta, S. Rituum Congregatio die vigesima octava Januarii annuente summo Pontifice concessit, ut Officium S. Rosæ Viterbiensis die 4. Sept. ab omnibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, in toto statu Ecclesiastico & in Etruria, & Officium S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Carmelitanæ Virginis in tota Italia atque Insulis adjacentibus sub ritu duplice minori recitari possit: Pariter die decima septima Martii indulxit, ut Missa propria de transverbératione Cordis S. Theresiæ die vigeſima septima Auguſti ab omnibus Carmelitis Excalceatis tam Hispanæ quam Italæ Congregationis sub ritu duplice secundæ classis, & officium SS. Ioannis & Pauli die 26. Junii pariter sub ritu duplice ab omnibus recitari posset. Idem quoque pro Venetis concessum

B 4

est

Sæc. XVIII. est in festo Translationis Domus Lau-  
A.C. 1728 retanæ. B. Jacobi Salomonii Ord. Præd.  
& S. Eusebii Vercellensis pro omnibus  
Christi fidelibus, necnon pro Servitis  
in commemoratione reliquiarum, quæ  
in eorum Ecclesiis asservantur, & in  
festo omnium Sanctorum hujus Ordini-  
nis. Præterea ex concessione Pontifi-  
cis B. Alexii Falconerii, Julianæ Fal-  
coneræ, B. Bonifilii, Amidei, Soſte-  
nei, Uguccionis, Macatti, & Bona-  
junctæ Martyrologio fuere apposita e-  
logia, quæ hodie dum, succinctius ta-  
men, ibidem leguntur. Infuper S. Con-  
gregatio Rituum jam Anno 1719, die  
19. Aug. Officium S. Gregorii VII. P.  
pro universo Ordine Benedictino appro-  
bavit, quod tamen Benedictus XIII.  
ab omnibus die 25. Maij recitari jussit,  
exin autem in Galliis anno sequenti,  
uti memorabimus, graves motus fuere  
concitati. Denique S. Indicis Congre-  
gatio edito decreto proscriptit librum  
Italo sermone editum, cui titulus: *Hi-  
storia bellorum in Europa, & præcipue in  
Italia ob successionem in Hispaniæ Monar-  
chiam ab Anno 1696. usque ad Anno 1725.*  
*Authore Comite & Marchione Francisco  
Maria Ottieri.* Hoc idem decretum  
Benedictus Papa die decima septima  
Januarii anno sequenti approbavit.

§. V.

Sæc.XVIII.  
A.C. 1728.*Plures Beati Sanctorum Albo  
adscripti.*

Hoc item anno summus Pontifex Sanctis publici cultus honores afferere intentus, die decima quarta Maij virtutibus, signis & miraculis rite comprobatis decrevit, ut Joannes de Prado Ord. FF. Minorum de Observantia Excalceatorum, qui Marochii in odium fidei immanissima tormenta passus, palam Martyrii accepit, imposterum Beati nomine nuncupetur. Die autem decima nona Martii decretum edidit Pontifex a triginta septem Cardinalibus subscriptum, vi cuius Beatum Joannem Nepomucenum Sanctorum Martorum Canoni adscripsit, postquam ejus martyrium, prodigiosa lingue incorruptio, aliaque plurima miracula a S. Sede fuerunt recognita, & undequaque probata. Pariter die decima sexta Maij Beatam Margaritham de Cortona in Tuscia, Sororem tertii Ordinis Minorum Sanctarum Mulierum fastis ritu solemnni accensuit.

B 5

§. VI.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1728.

§. VI.

*Scriptorum Religione Catholicorum  
opera & obitus.*

Plures ex Catholicis Scriptoribus hoc anno defunctis in Republica Literaria ingens sui desiderium relinquunt; ex his eminent Dominicus Matthæus Petitedier Abbas Senonensis Benedictinus ex Congregatione S. Vito-nis, & Macrensis Episcopus, Vir longe celeberrimus, qui inter alia scripsit tres literas in defensionem Parochorum quorundam contra Tullensis officialis censuras: Dissertationes historicas, Criticas, chronologicas in Scripturam V. T. præter alias ejusmodi dissertationes in N. T. quæ tamen nondum typis editæ sunt: tractatum de infallibilitate & auctoritate Pontificis: dissertationem, an sententia de infallibilitate Papæ destruat libertates Gallicanas; aliam Historico-Theologicam, in qua examinatur, quid Concilium Constantiense & præcipue illius Theologi de auctoritate Pontificis, ejusque infallibilitate senserint, & demum annotationes in primos tomos Bibliothecæ D. Du Pin: Postremum denique ipsius opus erat, Vindicatio doctrinæ moralis, & disciplinæ Romæ, totiusque Italiæ contra librum

ano-

anonymum, cui titulus: *moralis doctrina Jesuitarum & Constitutionis UNIGENTIUS comparata morum doctrinæ Pagorum:* Adscribitur eidem quoque *Apologia literarum Provincialium D. Paschalis contra P. Danielem Jesuitam:* Attamen ipsem Petidierus Romæ in suis *documentis sanæ & orthodoxæ Doctrinæ P. Matth. Petit-Didier declarabat*, se illius Auctorem non esse: id omnino certum est, hanc apologiam non eo, quo illam composuit, modo, sed cum pluribus haud exiguis additionibus, sine veritatis tamen detimento, ut ait P. Calmetus, prodiisse. Obiit repentina morte in sua Abbatia die 15. Junii. II. Gabriel Daniel Jesuita, qui edidit *tentamen Historiæ Franciæ, Historiam Franciæ, iter mundi Cartesiani, Colloquium inter Cleanthem & Eudoxium, circa literas Provinciales, decem epistolas ad P. Natalem Alexandre circa doctrinam Thomistarum & probabilitatem, Historiam militiæ Gallicæ, & plura alia opuscula, quæ in tribus voluminibus collecta prostant.* Obiit Parisiis die vigesima quarta Junii. III. Zegerus Bernardus Van-Espen Juris Canonici Doctor ac Professor Lovaniensis, qui *jus Ecclesiasticum universum quatuor majoris molis tomis* saepius recusum edidit, cui etiam Anno 1777. Coloniæ accep-

Sæc. XVIII.  
A. C. 1728.

Sæc. XVII. accessit supplementum, complectens  
A. C. 1728. varia juris responsa, epistolas, ejusdem-  
que Auctoris plura opuscula, propter quæ  
tamen sæpius acriter exagitatus fuit:  
Præprimis gravissima ei fuit contentio  
cum P. Bernardo Desirant Augustiniano  
ob quasdam epistolas & instrumenta  
sub ejus nomine edita, quæ tamen Ze-  
geras conficta esse ostendit, obtinuit-  
que, ut illa die decima quinta Junii  
1708. Bruxellis manu lictoris combu-  
rerentur: Eadem quoque Espenio ne-  
gotium facebant ex Augustinianis  
Belgis quidam ob ejus dissertationem  
*de peculio in Religione, & simonia in in-*  
*gressu Religionis*, quod opus Romæ de-  
nuntiabant. & ut proscriberetur, acri-  
ter urgebant, nil tamen aliud profece-  
runt, nisi ut hujus dissertationis com-  
mendatio magis honorifica fieret. Scri-  
psit etiam tractatum de dispensationi-  
bus, quam tamen ejus æmuli rursus  
apud Romanæ Curiæ Ministros defere-  
bant, & Tanara Bruxellensis Internun-  
tius pronuntiabat: *Espenium S. Sedis*  
*auctoritati contraria docuisse.* Ediderat  
quoque dissertationem seu repagulum  
*Canonicum adversus nimiam exemptionum*  
*extensionem contra P. Jacobum a S. An-*  
*tonio Carmelitam*, qui consultationes  
Canonicas pro Regularium exemptione  
unacum Consultatoria appendice pu-  
blici

blici juris fecit. Hoc igitur Espenii <sup>Sæc. XVIII.</sup> opus quidam Romæ damnari cura- <sup>A.C. 1728.</sup> runt, ac ipse P. Jacobus contra ipsum ~~—————~~ aliud *Repagulum Canonicum* Coloniæ 1689. edidit. Pariter Espenii trattatum de *Ecclesiasticarum immunitatum concordia cum Regiis juribus* impugnarunt non pauci. Ejus vero tractatum *super Placet Regio* confutavit Deckerus Mediolanensis Ecclesiæ Decanus, & Romania Inquisitio die 12. Sept. Anno 1714. illum proscriptis. Nec benigniorem solem subiit ejus tractatus de recursu ad Principem ab Archiepiscopo Mechliniensi vehementer impugnatus, necnon dissertatione *de Nobilium in Hollandia jure nominandi & praesentandi Episcopo Paiores*, quam Nicolaus Du Bois S. Scripturæ Professor refellere conatus est, & Rasseryus Vicarius Generalis Sylvæ-Ducensis die 8. Maij 1683. damnavit. Longior forem, quam par est, si omnia Espenii opuscula & tractatus ab aliis impugnatos, ab aliis propugnatos recensere vellem, sufficit annotasse, vix ullum scriptum ex hujus Authoris calamо profluxisse, quod suos non habuisse adversarios, cunctaque ejus opera Romæ die 22. Aprilis 1704. & 17. Maij 1734. atro stigmate fuisse notata. Gravissimam tamen atque inter-necinam sibi vexationem accersivit Espenius

Sec. XVIII. nius suo motivo juris pro Capitulo Ca-  
 A. C. 1728. thedrali Harlemensi, & sua responsum  
epistolari de numero Episcoporum ad vali-  
dam ordinationem Episcopi requisito. Hoc  
 responsum, cuius se Auctorem esse Espen-  
 ius fatebatur, non modo Romæ sed  
 & a Regio Bruxellensi Senatu die 12.  
 Sept. 1725. proscriptum fuit, edito de-  
 creto, vi cuius hoc scriptum publice  
 dilaceratum supprimeretur, & univer-  
 sitatis Lovanienis Promotor Theodorus  
 Leonardus Streithagen in Espenium  
 judicij acta instrueret. Hujus senten-  
 tiae executionem Espenius præpedire  
 totis viribus nitebatur, iteratis libellis  
 supplicibus ad Carolum VI. Imperato-  
 rem, Mariam Archiducissam Belgii  
 Gubernatricem, aliosque datis. Nec  
 tamen amplius obtinere poterat, nisi  
 quod eodem Anno die 29. Decembris  
 Viennæ decerneretur, ut rationes &  
 motiva, quæ in sui defensionem alle-  
 gare vellet, Serenissimæ Gubernatrici  
 Mariæ Elisabethæ traderet: Idem etiam  
 ab Eadem præceptum fuit anni sequen-  
 tis die trigesima prima Januarii. Sub  
 idem tempus Univeritatis Promotor  
 inter palmares accusationes Espenio ob-  
 jectabat, quod quamvis Benedictus XIII.  
 Papa edita Constitutione die 21. Febr.  
 1725. declararit, Cornelii Steenhoven  
 electionem & consecrationem in Archi-  
 epi-

episcopum Ultrajectinum esse prorsus nullam, atque execrandam, ipsumque ab omni exercitio Episcopalis Ordinis esse suspensum, ipse tamen hanc electionem ceu validam & disciplinæ Ecclesiasticæ & reverentiaæ Superioribus debitæ minime adversam deprædicavit, & non sine Apostolici decreti contemptu hunc Pseudo - Archiepiscopum exhortatus fuerit, ut suum gregem pascere pergeret &c. Evidem Espenius Promotoris accusationes elidere nitebatur, ipso etiam Buggenhoutum tum Rectorem Magnificum ceu Judicem agnoscere recusabat, nihilominus tam die septima Februarii 1728. Rector Magnificus de Jurisconsultorum consilio & assensu declaravit, *Espenium sufficienter convictum esse Audorem Responsonis Epistolaris, qui declarata fuit S. Sedi injuriosa, scandalosa, & perniciose sequela & propterea in atrio Consilii Status publice lacerata est.* Eapropter condemnabatur Espenius, ut *infra tres septimas praefatam responsonem revocet sub pena ulterioris ad onus ejusdem provisionis, interim vero suspensus declarabatur tam a Divinis, quam a sua letione ac aliis munib[us] & officiis, quæ in Universitate obtinuit, insuper condemnabatur in expensas hujus caussæ.* Præterea Archiepiscopus Mechliniensis die 7. Maij 1727. per Docto-

Sæc. XVIII.  
A. C. 1728.

**Sæc. XVIII.** Doctorem Damen Decanum hos tres  
 A. C. 1728. articulos Espenio coram duobus testibus  
proponi jussit. I. An corde puro emit-  
 tatt & rursus emittere paratus sit pro-  
 fessionem fidei Pii IV. II. An paratus sit  
 jurare in formularium Alexandri VII.  
 juxta Bullam: *Vineam Domini*. III. An  
 pure & simpliciter admittat Constitu-  
 tionem *Unigenitus*, & condemnet om-  
 nes propositiones ibidem damnatas.  
 Ad has quæstiones, nisi sincere & sine  
 effugiis sit responfurus, a Sacramento-  
 rum usu arceretur, atque in eum secun-  
 dum Canonum rigorem procederetur.  
 Cum ergo Espenius sese in arcto pre-  
 hensum cerneret, & vel Rectoris &  
 Archiepiscopi sententiam ceu legitimam  
 agnoscere, vel Constitutionem *Unige-*  
*nitus* acceptare suasque opiniones  
 revocare compelleretur, hoc anno Lo-  
 vanio Ultrajectum ac inde Amersfor-  
 dium octoginta duorum annorum senex  
 aufugit, ubi tamen die secunda Octo-  
 bris eodem anno fatis functus est re-  
 lista apologia, qua suam fugam vindic-  
 are nitebatur. IV. Joannes Crescim-  
 bene Canonicus S. Mariæ in Cosmedin,  
 qui de hac Ecclesia Historiam reliquit,  
 & præter Historiam Poesis vulgaris,  
 commentarios in eandem Historiam &  
 alia quamplurima edidit, quæ fusius in  
 Jöcheri Lexico recensentur. V. Lazarus

An-

Andreas Bocquillod, qui plures homi- Sæc. XVIII.  
A. C. 1728.  
lias, tractatum de liturgia, aliaque  
plura opuscula vulgavit. VI. i.e.  
trus de Villiers olim Jesuita, tum Clu-  
niacensis Monachus, qui scripsit artem  
concionandi, reflexiones in defectus  
alienos &c. VII. Antonius D'orsanne  
Parisiensis Archiepiscopi Vicarius Ge-  
neralis, qui duobus voluminibus ad  
posteros transmisit Diarium eorum,  
quæ circa Constitutionem *Unigenitus*  
tam Romæ quam in Galliis contigere,  
quod opus Auctores novellarum Ec-  
clesiasticarum Ultrajecti usque ad hanc  
diem prosequuntur. VIII. Bernardus  
Desirant Ord. S. Augustini regius olim  
Bibliothecarius, qui graves lites cum  
Espencœo, aliisque Doctoribus Lova-  
niensibus habuit. Scriptit Consilium  
pietatis ad Appellantes de non sequen-  
dis sed cortigendis errantibus, Hono-  
rium Papam vindicatum, Augustinum  
vindicatum contra Quesnelli proposi-  
tiones. & alia nonnulla. IX. Joannes  
Pontas Doctor Sorbonicus, qui edidit  
Dictionary casuum conscientiæ, Sa-  
cram Scripturam sibi ubique constan-  
tem & examen peccatorum, quæ in  
quovis statu committuntur, præter alia  
opera Ascetica. X. Michael Franck  
de Franckenstein, qui tredecim annis  
in Societate transactis connubium  
*Hist. Eccles.* Tom. LXXIII. C iniit,

Sæc. XVIII. iniit, ac egregius Orator vix non omnes panegyricos Pragæ habitos sermones composuerat. Elucubrabat quoque syntagma genealogicum Comitum Woracziczhiorum, & sphyngem in familiam de Wunschowitz, notis quoque illustravit P. Augustini a S. Maria epistas. Decessit Pragæ Menfe Martio.

### §. VIII.

#### *Opera & deceffus Scriptorum quorumdam Acatholicon.*

**E**x Scriptoribus Acatholicis hoc anno defunctis celebriores recensere lumbet, tales sunt. I. Elias Bennoit Calvinista, qui apologiam pro Pastoribus ob Gallicam persecutionem profugis, Historiam editi Nannetensis, & varias observationes Critico - Theologicas in dissertationes Tolandi edidit. II. Jacobus Lenfant pariter Calvinista, qui prælo subjecit Historiam Concilii Constantiensis, Historiam Concilii Pisani, Novum Testamentum Gallice redditum cum notis, &c. III. Christianus Thomasius Lutheranus, cuius studio prodidit Historia contentionis inter Imperium & Sacerdotium, introductio ad Philosophiam Aulicam, fundamenta juris naturæ & gentium cum Historia juris naturæ, cautelæ circa præcognita juris.

jurisprudentiæ, institutiones jurisprudentiæ Divinæ, introductio ad intellectus & morum doctrinam, pluraque alia. IV. Joannes Pörlt Lutheranus, inter cujus opera præcipue celebratur ejus Theologia Viatorum practica. & Theologia Regenitorum. V. Joannes Gramlichius, cuius solertiæ debemus tractatum de fœderibus divinis in genere, tractatum de moralitate concubinatus contra Thomafium, vindicias legum Divinarum positivarum universitatum contra Buddeum & Thomasium, præter alia non pauca. VI. Fridericus Bierling Lutheranus, qui præter varia opuscula elucubravit commentationem de Pyrrhonismo historico. VII. Georgius Henricus Goetze, qui præter alia quamplurima ad prælum promovit Theologum semisæcularem, Diptycha exulum, de odio Pontificiorum in Hymnos Ecclesiæ Lutheranæ, Dissertationem de unctura Christi Bethaniæ facta, tractatum de Bibliothecis Patrum, de vigiliis Paschalibus vet. Christianorum, de Archidiaconis veteris Ecclesiæ, de salute Ismaelis, de remissione peccatorum, de lacrimis Christi nascentis, de officiis liberorum erga Parentes, de Christi scriptis, de suspirio Publicani, de Baptismo campanarum, de Monica Augustini Matre, de salute moribundorum

Sæc XVIII, dorum *Iesus & Maria* ingemiscentium  
A.C. 1729. &c. obiit die 25. Aprilis.

## §. IX.

*Ludovicus Cardinalis de Noailles Ar-  
chiepiscopus Parisiensis moritur.*

Postquam Benedictus XIII. summus Pontifex Sacro Purpuratorum Collegio non sine maximo cordis sui jubilo denuntiaverat, quod Cardinalis Noailles tandem Constitutionem *Unigenitus* sincero animo acceptaverit, suosque fidèles encyclicis literis ad parem obedientiam hortatus fuerit, Cardinales totius S. Collegii nomine ad eundem gratulatorias dederunt literas, ad quas vicissim Noaillius epistolam scripsit tanto Præfule dignissimam; nec his contentus, insuper ad omnes Franciæ Episcopos, quos paulo ante suæ perva- ciæ socios habuit, encyclicas transmisit literas, in quibus eos faterna charitate rogabat, ut pariter suæ subjectionis exemplum imitarentur. Priusquam vero speratos suæ admonitionis fructus gustare posset, sinistris, quibus jactabatur, fatis, tædiis & vitæ miseriis subitanæ mors finem imposuit; die enim secunda Maij tam vehementi opprimebatur apoplexia, ut linguæ usu destitutus, omnique animi sensu captus jam vita

vita discessisse videretur; Non nihil quidem postea respirare cœperat, hora tamen sequentis noctis secunda ad morbi vehementiam tam ingens facta est accessio, ut die quarta Maij noctu animam exhalaret, postquam ætatis annum septuagesimum octavum, Archiepiscopus trigesimum quartum & Cardinalatus vigesimum nonum expleverat.

Erat Princeps a teneris ad senium usque æqualis, idemque semper, prudens & mitis, in oratione assiduus, in labore indefessus, in cultu modestus, in victu frugalis, sibi parcus, in omnes laute prodigus. Tot tamen virtutum, quibus naturæ & gratiæ beneficio largiter exornatus erat, splendorem haud parum obfuscabat pervicacia, qua per plures annos in schismate non tam voluntatis perversitate, quam judicii errore, vano respectu, humanisque rationibus fascinatus vixerat; non sine pungentibus exprobrantis conscientiæ aculeis; cum enim pacis amantissimus esset, & tanquam obsequiosus Ecclesiæ Catholicæ filius vivere & mori percuperet, per Constitutionem autem *Unigenitus* libertatem Scholarum suisse læsam, & Ecclesiæ disciplinam haud parum labefactatam male persuasus crederet, nocturnis curis, & diuturnis diu vitam egit angore plenissimam, donec

Sæc. XVIII.  
A.C. 1729.

Sæc. XVIII. tandem prævalente pacis desiderio, at-  
 A. C. 1729. que obsequio Ecclesiæ debito decerne-  
 ret, tutius longe fore, proprii judicij  
 duritiem frangere, quam toti Christiani-  
 næ Republicæ offenditionem dare, hæ-  
 resisque suspicionem incurrire. Hoc  
 ipsum tamen generosum prudensque  
 Noaillii consilium Quesnelistæ in animi  
 levitatem, indignamque ignaviam  
 vertebant, adeo, ut Morelierus Sor-  
 bonæ Doctor Noaillii indolem propu-  
 diose hoc carmine describere haud ve-  
 reretur :

Vir simplex, fortasse pius, sed  
 Præfus inceptus,

Vult, tentat, peragit, plurima,  
 multa, nihil.

Quam tamen calami temeritatem hic  
 Doctor exilii pœna eluere coactus est,  
 atque inter ipsa hæc refractariorum con-  
 vitia Noaillii fama post cineres magis ad-  
 huc inclaruit.

### §. X.

*Novi Archiepiscopi conatus pro reci-  
 pienda Constitutione.*

Post Noaillii obitum Ludovicus XV.  
 Galliarum Rex cum Fleurio Cardi-  
 nale, aliisque Franciæ Præfulibus de-  
 nomi-

nominando Successore, qui Parisinam  
 Diæcesin ad deplorandum statum red-  
actam regendo par esset, consultabat.  
Sæc. XVIII.  
A. C. 1729.  
 Eo autem tempore tam præclara Caroli  
 Casparis Vintimiglia Comitis de Luc  
 Aquensis Archiepiscopi virtus in ore  
 & sermone omnium versabatur, ut Rex  
 nil hæsitans illum accedente communi  
 applausu in Parisiensem Archiepiscopum  
 nominaret; sperabat enim, uti Fleu-  
 rius in sua ad Ecclesiæ Parisiæ Deca-  
 num epistola die quinta Maij perscripse-  
 rat, fore, ut hic Præful moderatione,  
 morum comitate, & diurna guber-  
 nandi experientia inclytus vastin hanc  
 Diæcesin in mansuetudine, & tran-  
 quillitate moderaturus esset. Nec Re-  
 gem concepta de eo opinio fefellit;  
 primis enim regiminis sui auspiciis to-  
 tus in eo erat, ut dissensionis semina,  
 & errorum Zizania, quæ per Sacerdo-  
 tum pertinaciam, mulierum fanatis-  
 mum, & populi corruptionem invalue-  
 rant, funditus eradicaret; id vero ut  
 eo felicius assequeretur, Noaillii revo-  
 cationem appellantibus in memoriam  
 revocavit suique mandati execu-  
 tionem eo efficacius iis commendavit,  
 quo arctiori vinculo eidem antea ad-  
 stricti fuissent. Postea ex Ecclesiasticis  
 præcipuos, ut suo exemplo ceteros ad  
 imitationem perducerent, ad obsequium

Sæc. XVIII. sacræ Sedi debitum revocare niteba-  
A C. 1729. tur: Hunc in finem Ecclesiæ suæ Ca-  
thedralis Canonicis habito conventu  
exposuit, suum Regisque gaudium fore  
completum, si ipfi ceteris primi debi-  
tam Constitutioni submissionem exhibe-  
rent, se eo certius sperare illos Noail-  
lii Cardinalis acceptationi adhæsuros,  
quo majori affectu hanc Archiepisco-  
pum generis nobilitate, virtute, cha-  
ritate ac meritis venerandum semper  
prosecuti fuissent. Finito hoc sermone  
Decanus respondit, se altera die hanc  
causam in Capitulo expositurum: Post-  
quam igitur die sexta Septembris Ar-  
chiepiscopus obtentæ dignitaris posse-  
sionem in Ecclesia Cathedrali adibat,  
mox die sequenti Decanus, uti promi-  
serat, Canonicos, quorum tunc tri-  
ginta quinque Parisiis agebant, con-  
vocavit, eisque pereleganti sermone  
exposuit, quanto studio Capitulum de-  
functo Cardinali adhæserit, æquum  
igitur esse, ut luculentum intimæ hu-  
jus unionis testimonium per doctrinæ,  
quam hic ceu ultimæ voluntatis suæ  
monumentum eis reliquisset, conformi-  
tatem redderent: His dictis vehe-  
mentius invehebatur in eos, qui in-  
digno prorsus modo Constitutionem  
Apostolicam proscidissent, hanc ergo  
pure & simpliciter acceptari, & Car-  
inalis

dinalis Noaillii declarationem in usum  
deduci petiit. Absoluto hoc sermone Sæc. XVIII.  
A. C. 1729.  
Vivantius, Couetus, Montabizius,  
Romignyus ac ceteri omnes (exceptis  
quatuor) palam declarabant, se fin-  
cero animo Constitutionem recipere,  
& Noaillii Instructionem anno priori  
promulgatam exequi, paratos esse.

### §. XI.

#### *Quorumdam Parochorum oppositio.*

Enimvero Archiepiscopus spe fretus  
erat, fore, ut tam illustre suū  
Capituli exemplum ceteros omnes Ec-  
clesiasticos ad parem subjectionem ani-  
maturum esset; satis tamen mirari haud  
poterat, quosdam Parisinæ Urbis, &  
vicinorum oppidorum Parochos numero  
viginti quinque eo temeritatis deve-  
nisse, ut jactato animarum Zelo suam  
pertinaciam tueri, pœnasque spiritua-  
les, quas haud immerito timebant, a  
se, suisque amoliri machinarentur.  
Hanc in rem die vigesima tertia Sep-  
tembris ex suis quinque Parochos **ad**  
Archiepiscopum ablegarunt, porrecto  
eidem libello supplici, in quo expone-  
bant, rumore haud incerto spargi,  
quod Archiepiscopus quamplurimis,  
iisque dignissimis Pastoribus, qui ab  
omnibus passim æstimati suos fideles

Sæc. XVIII. tanto tempore in recta salutis semita  
A. C. 1729. conduxisse, confessiones excipiendi,  
ac Verbum Dei prædicandi facultates  
adimere vellet: populos sibi commissos  
probe prospicere funesta prorsus mala,  
inde oritura, si fideles Ductores, quo-  
rum Ministerium Deus tam copiose be-  
nedixisset, & ipsi totam in eos fidu-  
ciam merito posuissent, ab eorum la-  
tere removerentur: ne ergo ipsi Pasto-  
rum officio deessent, se coactos esse,  
ut exponerent, eorum Ministerium  
reddi inutile, si deficientibus Pastoraliis  
curæ Sociis, quamplurimi oppido  
digni Ecclesiastici, qui hucusque sine  
mercede, pro solo Ministerii honore in  
vinea Domini tamdiu laborassent, nunc  
vero a labore desisterent, suasque Ec-  
clesias viduatas relinquere cogerentur;  
præterea summi doloris argumentum  
esse, quod hi Ministri nec in moribus  
nec in doctrina culpandi non alia ex  
causa tam indigne haberentur, nisi  
quod Bullam apud Ecclesiæ Tribunal  
denuntiatam acceptare renuerent: Ho-  
rum Sacerdotum caussam non tam  
ipsorum, quam Christianæ morum do-  
ctrinæ, Ecclesiæ, Sanctorum Patrum,  
& Ecclesiæ Gallicanæ libertatum cau-  
sam esse, omnes Parochos hucusque  
ad defendendam hanc caussam eo in-  
tentos fuisse, ut veritatem simul &  
chari-

charitatem in suo grege conservarent, *Sæc. XVIII.*  
 & pacem inter Parochos, ceterosque *A.C. 1729.*  
 Ecclesiasticos foverent, his vero abire  
 iussis nil nisi dissensiones & tumultus  
 esse timendos, Sacra menta sanctissimis  
 quibusque deneganda & indignis mi-  
 nistranda, & hanc ipsam Metropolin  
 schismatis incendio absumptum iri, im-  
 pios, & dissolutæ vitæ homines in suis  
 vitiis obfirmari, & ab eis imbecilles  
 depravari: se igitur humillime rogare,  
 ut Archiepiscopus de deplorando hujus  
 Diæcesis statu nondum satis edoctus,  
 Pastorum monitis ac precibus, justis-  
 que tam numerosi gregis votis potius,  
 quam pravis inquietorum suggestionibus  
 &c. cedere vellet. Die vigesima sexta  
 Septembris Archiepiscopus hosce Pa-  
 rochos ita alloquebatur: *Ad vestram*  
*epistolam obstupui; ea enim non modo im-*  
*prudens est, sed reverentiam vestro Archi-*  
*episcopo debitam, charitatem, simul &*  
*Religionem laedit: & quidem imprudens est;*  
*nam mera cerebri vestri imaginatione &*  
*falso rumore permoti ea, quæ nequidem*  
*somniaui, protulisti: Reverentiam & cha-*  
*ritatem laefisti, quia male de me sentitis,*  
*perinde acsi bonum semen eradicare decre-*  
*vissim, cum tamen non alia mihi mens sit,*  
*nisi ut malum in bono vincam: nocuisti*  
*denique Religioni, cum populorum tumul-*  
*tus augeatis, quos tamen sedare, vestrum*  
*fuisset.*

Sæc. XVIII. fuisse. *Hæc a vobis non expectassem,*  
 A. C. 1729. *quos tenero affectu dilexi, & maximi sem-*  


---

*per habui, meque potius tanquam amicum,*  
*quam Archiepiscopum ac Successorem erga*  
*Vos gerere constitui: de cetero meum est,*  
*de illorum moribus & doctrina habere no-*  
*titiam, priusquam eis petitas facultates*  
*concedam: His dictis Parochos ad suas*  
*Ecclesiæ reverti jussit.*

### §. XII.

#### *Novi Archiepiscopi epistola Pastoralis.*

**Q**uoniam vero Quesnellistæ nil sole-  
 nius haberent, quam quod in vul-  
 gus spargerent, fidei veritates per Con-  
 stitutionem damnari, aut saltem ob-  
 scuras reddi, saniora dogmata aut pro-  
 scribi, aut immutari, moralis doctrinæ  
 principia labefactari, aut omnino everti.  
 Ut ergo Archiepiscopus hasce calum-  
 nias, falsosque rumores dissiparet, In-  
 structionem Pastoralem die vigesima  
 nona Septembris promulgavit, in qua  
 luculenter ostendit, quod Constitutio  
 nonni manifestos damnaret errores,  
 nullatenus autem dogmatum veritates,  
 aut Catholicarum scholarum libertates  
 laederet, minus vero Regni legibus ad-  
 versaretur. Dein demonstrabat, eam  
 esse Ecclesiæ legem, cui se se opponere  
 haud

haud liceret, ipsam vero Religionem Sæc. XVIII.  
 & fidem eversum iri, si laicorum, & A. C. 1729.  
 simplicium Sacerdotum judicia decisioni totius Episcopalis Ordinis præferrentur. His præmissis serio ponderandum objecit, quam multa & gravia damna ac mala Ecclesiæ ab illis fuerint illata, qui hos tumultus & dissensiones vel excitarunt, vel soverunt, quam periculose Religio in fidelium cordibus labefactata, docilitas ferme extincta, Christi Vicarius calumniis oppressus, Episcopalis dignitas atrocissimis criminationibus infamata. Episcoporum auctoritas vilipensa, ubique impugnata, eorum censuræ partim contemptæ, partim impune violatæ, debita inter varios Ecclesiæ Ordines subordinatio destrœta, cunctaque hæc mala ex fatali pertinacia fuerint exorta. Denique Archiepiscopus Ponificiam Constitutionem solemni declaratione acceptavit, omnibusque suæ Diæcessis fidelibus (nemine excepto) sub poenis a jure statutis præcepit, ut pariter sese eidem sincero corde submitterent.

## §. XIII.

*Ludovici XV. Galliarum Regis epistola ad Sorbonam.*

Salu-

**Sæc. XVIII.** Salutares hosce Archiepiscopi conatus  
A.C. 1729. Ludovicus XV. Galliarum Rex potenter Regia sua auctoritate fulciebat; præprimis enim die vigesima secunda Octobris Versaliis ad Jacobum Leullier Facultatis Decanum, Syndicum & Doctores Universitatis Parisinæ has dedit literas:

„Speravimus quidem fore, ut qui „ex vobis Constitutioni, quæ incipit. „*Unigenitus Dei Filius*, reclamaverant, „aliquando tandem ad officium redi- „rent, & eidem Constitutioni, quam „pro lege Ecclesiæ ac Regni haben- „dam esse sæpius declaravimus, de- „bitam obedientiam sincere exhibe- „rent; ideoque in ipsos, uti edicta „nostra postulabant, animadvertere „hucusque cunctati sumus: Verum „Clementia nostra ad resipiscentiam „adeo adducti non fuere, ut potius, „sicut comperimus, complures horum „Doctorum contra expressas inhibitio- „nes Declarationis nostræ, pridie no- „nas Augusti Anno 1720. editæ, te- „merariam suam ab ista Constitutione „appellationem instaurarint; plerique „illorum Episcopo Senecensi adhæse- „rint; nonnulli apud eundem de Do- „ctrinæ communione per literas ege- „rint; imo Formularii subscriptionem, „qua

„qua sibi in Facultatem Vestram adi-  
 „tum patefecerant, retractarint. Quæ Sæc. XVIII.  
 „agendi ratio, juxta verba discreta A. C. 1729.  
 „Conclusionum vestrarum, eos Facul-  
 „tatis gradibus, & prærogativis ei-  
 „dein annexis in perpetuum privat &  
 „excludit. Quapropter tantam teme-  
 „ritatem tamque capitalem rebellio-  
 „nem impunem ferre diutius non va-  
 „lentes, Vobis hac Epistola Nostra  
 „significamus, velle Nos, ut quicum-  
 „que post declarationem nostram, pri-  
 „die Nonas Augusti Anno 1720. da-  
 „tam a Constitutione, quæ incipit *Uni-*  
 „*genitus*, appellaverunt, vel quacum-  
 „que demum ratione Episcopo Sene-  
 „censi adhæserunt, necnon ii, qui suam  
 „Formularii subscriptionem retracta-  
 „ruat, omnibus Doctorum muniis, ac  
 „juribus spolientur, & a cætibus ve-  
 „stris arceantur; inhibentes, iis ne in-  
 „tersint, vobis, ne ipsos admittatis;  
 „idque sub poena contumaciæ. Syn-  
 „dico autem vestro injungimus, ut illis  
 „hæc nostra iussa significet, invigilet-  
 „que executioni præsentium, quæ in  
 „proximis vestris comitiis publice præ-  
 „legantur, & in acta vestra referantur.  
 „Hæc curate sedulo; sic enim fert  
 „voluntas Nostra.,,

---

Sæc. XVIII.

A. C. 1720.

## §. XIV.

*Sorbonæ deliberatio super hanc Regis epistolam.*

**R**eceptis hisce literis Facultas Theologica die quarta Novembris generalia habuit comitia, in quibus Romignyus Sorbonæ Syndicus declarabat, sibi a Rege transmissam esse epistolam, injunctumque, ut eam in pleno Doctorum confessu prælegi curaret: annuentibus igitur cunctis, Facultatis Theologicæ Scriba illam alta voce prælegit: Tum vero Syndicus Decanum, certosque Magistros his verbis allocutus est: „Si ad Nos dirigerentur literæ Regiae, quæ juberent statim solvi Comitia nostra, ut aliquando contigit obtemperandum esset illico, & a Comitiis recedendum. Neque enim ulla, ut scitis, possunt celebrari, quæcumque sint in Regno publica Comitia, nisi in quantum finit summa Regis auctoritas; ipsa autem resuente, sine mora ab habendis Comitiis, aut, si incepta fuerint, per agendis, abstinentium..”

„Cum igitur non pauci ex hoc Ordine hic adsint præsentibus in Comitiis, quibus nunc licitum non est, vetante Rege, donec aliter jubeat, eadem

„ eadem auctoritas, iis interesse; ne- Sæc.XVIII.  
„ que jam aliis fas sit pati, ut in eo- A.C. 1729.  
„ rum præsentia Comitia nostra celeb-  
„ rentur, ne ex utraque parte pecce-  
„ tur contra reverentiam mandatis Re-  
„ giis debitam, seu potius ut omnes  
„ simul Regiæ obtemperemus voluntati.  
„ (Quibus enim magis convenit sese præ-  
„ stare obsequentes, quam iis, quibus  
„ incumbit & verbo & exemplo docere  
„ cæteros, non esse potestati resisten-  
„ dum, cum teste Apostolo, id nihil aliud  
„ sit quam *ordinationi Dei* resistere.)

„ His (inquam) in circumstantiis  
„ existimo, satius esse convenientius-  
„ que, ut hodierna Comitia ad aliam  
„ diem, nempe octavam, hujus Men-  
„ sis, prorogentur; nec ista, utpote  
„ opportuna ac necessaria, displicebit  
„ dilatio..,

„ lis autem Comitiis pro suo erga  
„ Regem, cuius voluntas innotescit,  
„ fideli ac prompto obsequio, non in-  
„ tererunt, qui interesse non debent,  
„ & curabo ego interim, sicut impera-  
„ tum est mihi, & officium, quo fun-  
„ gor, exigit, ut iussa Regia executioni  
„ demandentur..,

„ Postulo itaque, ut venerandus  
„ Dominus Decanus, velit præsentia  
„ Comitia ad diem Martis hebdomadæ  
*Hist. Eccles. Tom. LXXIII.* D „ sub-

Sæc. XVIII „ subsequentis remittere, nos vero om-  
A.C. 1729. „ nes in pace recedamus.,,

### §. XV.

*Sacrae Facultatis comitia hanc in  
rem habita.*

Percepta Synodi postulatione Facultatis Decanus, ex communi omnium assensu comitia ad diem octavam Novembris prorogavit: Præstituta autem die denuo Syndicus ad congregatos ita effatus est:

*Venerabilis Domine Decane, Patres  
& Magistri speclatissimi.*

„ Perlecta in nuperis comitiis epistola Regia quam audivisti, potuissim pro officio, quo fungor, statim postulare, ut quicumque præsentes aderant, quibus, vetante Rege, licet tum amplius non erat remanere, ab Aula discederent, & quæ habebamus proponenda, vestræ, ut moris est, de liberationi subjecere; non vero petere ut dirimerentur, sicuti factum est, generalia Comitia ad res sacræ Facultatis peragendas rite & stata die congregata. „

„ Verum, dicam ingenue, inurbani num fuisset admodum novam hanc affli-

„afflictis molestiam addere, nec nisi <sup>Sæc. XVIII.</sup>  
 „reluctante animo id præstissimum, si A. C. 1729.  
 „coegisset (durum telum) necessitas.  
 „Parcendum ergo satius duxi eorum  
 „nominibus, quæ appellari palam po-  
 „tuissent, atque, non sine aliquo sola-  
 „tio, vidi totum hocce negotium abs-  
 „que ullo strepitu peragi, sed pacifice  
 „ac tranquille; quodque suscepseram  
 „apud me consilium, vobis etiam ta-  
 „centibus communi suffragio compro-  
 „bari; nec ipsi certe, quos jussa Re-  
 „gia a nostris arcent Comitiis, pro suâ  
 „æquitate, diffitebuntur (ut arbitror)  
 „nullam inveniri potuisse agendi ra-  
 „tionem, quæ his in circumstantiis,  
 „minus ipsis displiceret. „

„Curavi, sicuti officium meum po-  
 „stulabat, quantum per breve tempo-  
 „ris intervallum licuit, scripta brevi  
 „epistola, eos moneri, qui specialiori  
 „ratione erant admonendi; & si forte  
 „omissi sint aliqui, monebuntur; quam-  
 „quam Regia voluntas omnibus ab-  
 „unde satis innotescat, adeo ut non  
 „putem præsentibus Comitiis interesse  
 „quemquam ex iis, qui juxta Regis  
 „epistolam privantur jure suffragii. „

„Lugenda fane, Patres sapientissimi  
 „fors horumce Magistrorum, qui a nobis  
 „avelluntur, & eorum simul, quivariis  
 „temporibus nobis similiter erepti sunt.

**Sæc. XVIII.** „Sed lugenda non minus sacri Ordinis  
**A. C. 1729.** „noſtri conditio, niſi quam primum  
 „etiam apud nos ceſſent funeris illæ  
 „contentiones, quæ Eheu! nimias a  
 „tot annis in Religione & Regno turbas  
 „concitarunt; & quarum occasione tot  
 „mala, tot tempeſtates in Ordinem  
 „noſtrum, non ſine maximo dedecore  
 „identidem detonarunt..

„Sinite ut loquar candide: Si nos  
 „tauit noſter honos, reſtituendæque  
 „nominis noſtri famæ ſtudium: (ſcitis  
 „enim ut audit jam apud Catholicas  
 „gentes noſtræ Facultatis Parisiensis  
 „nomen, verendum profeſto nomen,  
 „ipſis olim gratiſſimum, ſolis inviſum  
 „fidei Catholicæ hoſtibus), ſi nos, in-  
 „quam, incitat ſtimulus potentior, fer-  
 „vandæ in regno Religionis amor, tem-  
 „pus eſt, certe tempus eſt, ut bono  
 „animo omnes quæramus pacem, eam-  
 „que ineundæ pacis amplectamur viam,  
 „ſine qua erunt quidem inter nos multi,  
 „ut verbiſ Prophetæ utar, dicentes:  
 „Pax, pax & tamen non erit pax, quia  
 „hiſ in circumſtantiis ſumus poſiti, ut  
 „nulla vera pax eſſe poſſit, niſi quæ in  
 „obsequio Ecclesiæ debito poſita eſt..

„Hoc intellexit diu, antequam e  
 „viviſ excederet, Eminentissimus bonæ  
 „memoriæ Cardinalis Noaillius, at-  
 „que corde læto & animo volenti, ſuo  
 „exem

„ exemplo, ut vidimus anno præterito, Sæc. XVIII.  
 „ non sine ingenti bonorum omnium A.C. 1729.  
 „ solatio & lætitiae sensu confirmavit.,

„ Illud idem ultro præstitit suam erga  
 „ defunctum Præfulem reverentiam ex-  
 „ hibens Parisinæ Ecclesiæ Capitulum:  
 „ Hoc præstiterunt & præstant adhuc  
 „ singulis diebus non privati duntaxat  
 „ apertis professionibus, sed magnæ Sa-  
 „ cerdotum Religiosorumque Societa-  
 „ tes; ex quo præfertim Archipræfulus  
 „ nostri, cui pro Ecclesiæ bono longos  
 „ annos satis appreccari non possumus,  
 „ in lucem prodit Mandatum illud vere  
 „ aureum, quod emisit nuper, in quo  
 „ reperitur potens adhortatio cum  
 „ suavi eloquio ad invitandum; doctis  
 „ & indoctis accommodata eruditio ad  
 „ suadendum; ubique paterna comitas  
 „ & simul auctoritas vere Pastoralis ad  
 „ adducendos animos ad obsequium.,

„ Decetne, Patres Sapientissimi,  
 „ nostram Facultatem, quæ cæterarum  
 „ Societatum hac in Urbe, & Academia-  
 „ rum in Regno, debuisset esse ea in re,  
 „ ut in cæteris, exemplum & norma,  
 „ ulterius servare silentium; atque suo  
 „ silentio fieri quasi in petram offendio-  
 „ nis & scandali: Præstemus tandem  
 „ aliquando meliora, memores condi-  
 „ tionis nostræ, nec quemquam e no-  
 „ stris, qui hic adsunt, præposteras re-

Sæc. XVIII., tardet pudor; sed uno ducti spiritu,  
 A. C. 1729., cura nostra eadem sit, ostendere pa-  
 lam, sacri Ordinis Parisiensis Ma-  
 gistrorum, viros esse sincerissimæ aman-  
 tissimos pacis.,,

„Cæterum ut omnia rite & pro-  
 „honore sacræ Facultatis fiant, existi-  
 „marem, si ita vobis videretur, non  
 „esse expectandum ulterius; sed vel  
 „hac ipsa die saltem nominari posse De-  
 „putatos, qui inter se bona fide videant,  
 „qua ratione, quibus mediis, nego-  
 „tium istud fieri quam primum possit;  
 „ut quo citius (satis autem cito, si  
 „bene & recte) eo plus accedat læti-  
 „tiæ & gaudii iis omnibus, qui, fusis  
 „ad bonorum omnium Auctorem  
 „Deum precibus, jamdudum rogant,  
 „quæ sunt ad pacem Jerusalem. Redi-  
 „dita autem hac pace, redibit pristi-  
 „nus Ordinis nostri splendor; vigebit  
 „in melius Scholarum nostrarum di-  
 „sciplina, quæ non recte servabitur,  
 „quidquid tentare voluerimus, quam-  
 „diu inter Magistros non erit animo-  
 „rum tranquillitas & concordia; redi-  
 „bunt etiam ad nos, ut spero, his  
 „omnibus rite compositis, qui e finu-  
 „nostro erepti sunt; & in omnibus  
 „benedicetur, & glorificabitur Deus,  
 „qui teste Apostolo, non diffensionis  
 „Deus est, sed pacis.,,

„Postulo igitur I. ut nominentur Sæc. XVIII.  
A. C. 1729.  
 „Deputati, qui expendant, qua ratio-  
 „ne, quibusve mediis, totum istud  
 „gravissimum negotium tandem ali-  
 „quando finiri possit. „

„Postulo insuper II. ut inscribatur  
 „in Commentariis sacræ Facultatis  
 „Epistola Regia die quarta hujus Men-  
 „sis plenis in Comitiis lecta. „

### §. XVI,

#### *Quorumdam Doctorum oppositio.*

**C**onvenerant rursus Doctores die pri-  
 ma Decembris, eisque, quæ in ul-  
 timis comitiis conclusa fuissent, relectis,  
 circa Deputatos a Facultate nominan-  
 dos declararunt, per decretum Anno  
 1714. a S. Facultate die 5. & 10. Martii  
 latum, jam tunc in comitiis Constitu-  
 tionem *Unigenitus* fuisse receptam, De-  
 putatos autem Tournelyum, Calme-  
 lum, le Moyne, Fayartium, Targ-  
 nyum, Drouynum, Bouquetum, Vi-  
 rotum, Nicolasium, Barrinum, Val-  
 lessium, & le Jeune esse nominandos,  
 qui expenderent, non quidem, utrum  
 a Facultate sit recepta hæc Constitutio,  
 quam utique S. Facultas a se receptam  
 fuisse profitetur, & si opus foret, etiam-  
 num a se acceptari declararet, sed dun-  
 taxat, ut ponderent, qua facilitiori via

D 4 reduci

Sæc. XVIII. reduci possent dissentientes ad unitam.  
A. C. 1729. tem & obsequium huic decreto Apostolico debitum, quod tum in Imperio Gallico tum in Universa Ecclesia vim legis obtinet: Hi ergo, relata in commentarios Facultatis epistola Regia, quid desuper censerent, ad Facultatem referrent. His perceptis Magister Lagneau legentem interpellans, subjunxit, gravia rationum momenta obstat, quominus Facultatis conclusio circa receptam Constitutionem confirmaretur. Verum nulla hujus oppositionis habita ratione, Syndicus Conclusionis lectionem absolvi perit; mox autem idem Magister, necnon Doctor La Croix alta voce inter alias rationes, ob quas hæc Conclusio non esset confirmanda, exposuit, obstat libellum quemdam supplicem, cui quidam Magistri subscriptissent, eumque Parlamento consignassent: ad hæc vero reposuit Syndicus, eorum, quæ non apparerent, ac si non essent, idem esse judicium ac illorum, quæ nunquam extitissent, ex rumoribus quidem publicis revera constare, ejusmodi libellum Senatui Parisiensi fuisse porrectum, sed eadem fama publica annuntiatum, illum non fuisse admissum, utrique tamen Doctori, si vellent, sese opponere, integrum fore, dummodo ambo

ambo suæ oppositionis rationes scripto- Sæc. XVIII.  
tenus consignarent, ut Sacer Ordo de- A.C. 1729.  
super deliberare posset. Ad hoc au-  
tem conticuere omnes, excepto solo  
Magistro Magnodeto, qui ingenti vocis  
contentione exclamabat, se adversus  
hanc Facultatis Conclusionem infur-  
gere. Tumultuarium inde murmur  
exortum est aliorum cum assensu, alio-  
rum assentientes increpantium, quo-  
circa Syndicus postulavit, ut suo quis-  
que Ordine sensa sua promeret: Magno-  
detus tamen suam oppositionem hoc  
scripto declaravit: *Ego infra scriptus*  
*S. Facultatis Parisiensis Doctor Theologus*  
*accipiens cum debita reverentia Constitutio-*  
*nem UNIGENITUS intercedo nihilominus,*  
*ne Conclusio lata die octava mensis præteriti*  
*hodierna die confirmetur quoad illam par-*  
*tem, qua dicitur, constare illam Constitu-*  
*tionem acceptatam fuisse a S. Facul-*  
*tate die quinta Martii Anni 1714. pro-*  
*ptere quod ipsa sacra Facultas postea de-*  
*claraverit multis in Comitiis falsum esse*  
*illud Decretum.* Datum die 1. Decem-  
bris 1729. Signatum, Magnodet.

Postmodum Facultatis Decanus  
circa hanc oppositionem deliberari pe-  
tit, cumque Deputati suam relatio-  
nem nondum paratam haberent, comi-  
tia ad diem decimam quintam De-

Sæc. XVIII. cembbris prorogavit, interim vero Sacer  
A. C. 1729. Ordo hanc sententiam protulit:

*Sacra Facultas ratam habet Conclusio-  
nem latam die octava Mensis præteriti,  
eamque, nulla habita ratione intercessionis  
factæ a Magistro Magnodet, juxta sus-  
fragia nonaginta quatuor Magistrorum,  
ex centum & septem, qui suam dixere sen-  
tentiam, quindecim Magistris aliter & di-  
versa sentientibus. hac præsenti Conclusione  
confirmat, & solummodo Magistro Ma-  
gnodet, si petierit, concedendum esse censet  
Actum sui obsequii & observantiae erga  
Constitutionem Unigenitus, quam a se  
scripto declaravit, acceptari.*

### §. XVII.

#### *Relatio a Deputatis in pleno con- fessu facta.*

**D**ie præfixa in comitiis Tournelyus  
senior ex Deputatis exposuit, con-  
venisse sæpius Deputatos, remqne  
fuisse sedulo ac mature a cunctis per-  
pensam, eorum etiam, quæ ad S. Or-  
dinem referenda censuissent, relatio-  
nem jam esse descriptam, se tamen,  
ob caligantes oculos hoc scriptum præ-  
legere haud posse, rogare igitur, ut  
Syndicus hanc in se provinciam susci-  
pere vellet: Hic ergo Tournelii merita  
pluri-

plurimum commendans, relationem  
ita exorsus est:

Sæc.XVIII.  
A. C. 1729.

*Venerande Decane, Patres  
Spe&fatissimi.*

„Duodecim Deputati, quos nomi-  
„natis die octava mensis Novembris  
„proxime elapsi Anni 1729. convene-  
„runt in ædibus S. Facultatis iteratis vi-  
„cibus inter se tractaturi de gravissimo  
„negotio, quod in præsentibus Comitiis,  
„vobis arbitris ac judicibus, termi-  
„nandum & definiendum est. Rebus  
„omnibus ab iisdem Deputatis matu-  
„re, copiose sapienterque perpensis &  
„libratis, unanimis fuit omnium sen-  
„tentia. Meæ jam partes sunt, ut  
„tamquam Deputatorum Vestrorum  
„Senior quæcumque hoc in negotio  
„comporta fuit nobis, exponere vo-  
„bis aggrediar. „

„Cum vero hujuscce Deputationis  
„finis ac scopus præcipuus fuerit, ut  
„qua meliori via fieri posset, dissiden-  
„tes Fratres nostri ad concordiam &  
„unitatem Doctrinæ revocentur, nulla  
„felicior & expedita magis nobis visa  
„est via, quam ob oculos ponere sim-  
„plici & nuda rerum expositione, quid  
„sacra Facultas Anno 1714. egerit in  
„acceptanda summa cum reverentia

„¶

Sæc. XVIII., & obsequio Constitutione *Unigenitus*;  
 A.C. 1729., quid postea in Facultate actum sit  
 „pro infirmando & convellendo præ-  
 „dicta acceptatione; quid denique Veri-  
 „tatis & Religionis amor, Facul-  
 „tatis honor, officii nostri ratio nunc  
 „exigant & a singulis Magistris præ-  
 „standum sit. Sic autem ego oratio-  
 „nem temperare conabor, ut nemini  
 „gravis futurus sim ac molestus, ne-  
 „que ad contumeliam, aut cujuspiam  
 „vituperium dicam, sed ad unam ve-  
 „ritatis normam ejusdemque manife-  
 „stationem..,

„Non ignoratis, olim & nostris  
 „temporibus, bene multos scientia &  
 „pietate viros conspicuos, opinione of-  
 „ficii longius aliquando ductos aber-  
 „riffe, sed tandem apertis oculis ve-  
 „ritati cognitæ humillime se subjecisse,  
 „eo majori laude ac commendatione  
 „dignos, quod veritatis vindices ac  
 „defensores tanto studiosiores deinceps  
 „fuerint, quanto acriores ejus antea  
 „impugnatores extiterant. Ita de Fra-  
 „tribus ac Collegis nostris futurum li-  
 „bentissime auguramur ac confidenter  
 „speramus..,

„Cum a multis annis gravissimæ  
 „excitatæ fuissent in Regno rixæ &  
 „contentiones occasione Libri *Reflexio-*  
 „*num Moralium P. Quesnellii*, Ludovicus  
 „de-

„ decimus quartus immortalis memo- Sæc.XVIII.  
 „ riæ Rex Clementem undecimum, A. C. 1729.  
 „ tunc Pontificem Maximum suppliciter  
 „ exoravit, ut dignaretur, quid esset de  
 „ dicto Libro sentiendum, data solem-  
 „ ni Constitutione Apostolica declarare,  
 „ ut pridem excitati motus tandem ali-  
 „ quando sedarentur. Annuit Ponti-  
 „ fex optimus, atque gratulatus Regi  
 „ perpetuam & constantem de Religione  
 „ bene merendi voluntatem, Constitu-  
 „ tionem *Unigenitus*, post longam &  
 „ maturam per annos duos integros  
 „ Deliberationem emisit die 8. Septem-  
 „ bris Anni 1713. qua centum & una  
 „ Propositiones ex dicto Quesnellii Libro  
 „ excerptæ proscribuntur ac damnan-  
 „ tur. Rex, cuius officium est, non  
 „ leges Ecclesiæ dare circa res spiritua-  
 „ les & dogmaticas, sed ab Ecclesia  
 „ datas tueri, ac protegere, ad Præsu-  
 „ les Gallicanos Constitutionem trans-  
 „ misit. „

„ Præfules Numero XL. post nava-  
 „ tam per quatuor fere menses sedu-  
 „ lam operam declaraverunt, agnoscere  
 „ se maximo cum lætitiae sensu in Bulla  
 „ *Unigenitus* Clementis XI. Doctrinam  
 „ Ecclesiæ, atque eamdem Bullam cum  
 „ reverentia & obsequio a se acceptari.

„ Jussit statim Christianissimus Rex  
 „ suas, ut vocant literas Patentes de-  
 „ scribi

Sæc. XVIII. „scribi, & in publicas omnes suprema.  
A. C. 1729. „rum Curiarum tabulas referri ad prom.  
„ptiorem & firmiorem Apostolici De.  
„creti executionem. Constitutionem  
„talibus munitam præsidiis Rex opti.  
„mus ad S. Facultatem pro suo in eam  
„singulari affectu destinavit, quemad.  
„modum iam destinaverat Constitutio.  
„nes Innocentii X. Alexandri VII. &  
„unam ejusdem Pontificis Clementis  
„XI. Anno 1705. Datis igitur ad S. Fa.  
„ultatem literis die 28. Februarii An.  
„ni 1714. Rex mandavit, ut Constitu.  
„tio *Unigenitus* Commentariis vestris  
„inscriberetur, imposita nobis hac lege  
„ne quidquam adversus *Decisiones in ta.*  
„contentas dicatur, doceatur, aut propo.  
„natur; atque hac in occasione præ.  
„staretur illud idem, quod factum fue.  
„rat die prima Septembbris Anni 1705.  
„cum ipsius jussu inscripta fuit in Com.  
„mentariis nostris Constitutio, quæ in.  
„cipit, *Vineam Domini Sabaoth.*„

„Die prima Martii cum mox a D.  
„Syndico le Rouge proponenda esset  
„Constitutio *Unigenitus*, inscribenda  
„Tabulis vestris, ecce nobis ad hanc  
„Aulam accedentibus distributum fuit  
„a prælo recens & adhuc madidum  
„Mandatum Eminentissimi Cardinalis  
„Archiepiscopi Parisiensis, datum 25.  
„Februarii, videlicet eo ipso tempore  
„quo

„quo Rex scripserat ac præceperat, in-  
 „scribendam esse a nobis eam ipsam Sæc. XVIII.  
 „Constitutionem; quo quidem Mandato A.C. 1729.  
 „Eminentissimus Archiepiscopus sub  
 „poena suspensionis ipso facto incurren-  
 „dæ, vetabat, ne ullus jurisdictionis  
 „actus circa Constitutionem, se non  
 „consentiente, exerceretur.,,

„Hæsimus primo attoniti; hinc ex  
 „nostris nonnulli a ferendo in his Co-  
 „mitiis suffragio abstinuere. Nihilo-  
 minus D. le Rouge Syndicus attendens  
 „dictum Eminentissimi Card. Noaillii  
 „Mandatum ad Facultatem non perti-  
 „nere, sui officii esse duxit, rem Con-  
 „stitutionis ad votum Regis esse Fa-  
 „cultati proponendam & deliberationi  
 „Magistrorum Prælide Venerando D.  
 „Decano tunc Francifco Huart per-  
 „mittendam.,,

### §. XVIII.

#### *Continuata hujus relationis legio.*

Cum autem eadem die deliberatio ab-  
 solvi haud posset, postera die habitis  
 comitiis Syndicus exposuit, se denuo  
 regias recepisse literas, quibus Rex  
 significaret, sibi renuntiatum fuisse,  
 nonnullos ex Magistris occasione docu-  
 menti a Cardinale Noaillio editi moras  
 inchoatæ deliberationi injicere voluisse,  
 velle autem Regem, ac jubere, ut sine  
 mora

**Sæc. XVIII.** mora hoc negotium absolveretur. Per  
**A.C. 1729.** lectis hisce literis die quinta Martii fi-  
nita deliberatione relatio fuit conti-  
nuata, his verbis: „Die quinta Martii  
Conscriptores Duquenne, de la Rue,  
& Hydeux accurate collatis ac nume-  
ratis ad fidem *Plumitivi*, ut vocant,  
„Magistrorum suffragiis, compererunt  
„centum & viginti octo Magistros di-  
„xisse sententiam; ex illis sexaginta  
„& octo adhæsisse sententiæ D. Hum-  
„belot pro acceptanda summa cum re-  
„verentia Constitutione *Unigenitus*;  
„sexdecim cum D. Legero censuisse eam  
„inscribendam esse in Commentariis  
„S. Facultatis; tredecim vero cum  
„D. Lamberto, obtulerandum Regi & non  
„deliberandum, cæteris in partes di-  
„veras abeuntibus.,,

„Unum hic obiter observabimus,  
„falso prorsus jaſtitatum, viciſſe ſen-  
„tentiam DD. Legeri & Lamberti.  
„Non ita est profecto; prævaluuit ex  
„fide ipsius *Plumitivi*, longe majore ſu-  
„fragiorum numero ſententia D. Hum-  
„beloti.,,

„Quamquam, ſi rem impiciamus  
„propius, D.D. Legerus & Lambertus in  
„unam & eamdem confluunt ſen-  
„tiam cum D. Humbeloto. Ad quid  
„enim inscribendam censuit D. Legerus  
„Constitutionem, niſi ad ſeriam ipsius  
„ob-

„observationem : Quomodo vero & Sæc. XVIII.  
 „quo sensu D. Lambert dixit, *Regi ob-* A. C. 1729.  
 „temperandum, & non deliberandum,  
 „nisi ad mentem & votum Regis ob-  
 „sequendo Constitutioni ? Rem vel ipse  
 „palam confessus est D. Lambert. Ut  
 „quid enim Anno 1715. in Comitiis  
 „die 5. Decembris, veniam petiit a  
 „S. Facultate, nisi propterea quod,  
 „ubi de accipienda Constitutione age-  
 „batur, ea verba usurpasset, (ut ipse  
 „confitebatur) quæ obsequio dato  
 „Bullæ Pontificis nimium favebant? „

„Verum, cum Anno 1714. non-  
 „nihil discordiæ subortum fuisset inter  
 „D. D. Conscriptores circa tenorem  
 „verborum, quibus a V. D. Decano  
 „Conclusio pronuntianda foret, roga-  
 „tus a nonnullis est D. Legerus. ut ad  
 „mensam Conscriptorum & scribæ ac-  
 „cederet ac declararet, quibus verbis  
 „Conclusionem crederet exprimendam  
 „& pronuntiandam. His usus est pa-  
 „lam & publice : Cisset S. Facultas,  
 Constitutionem esse suscipiendam cum sum-  
 ma reverentia, & in Commentariis S. Fa-  
 cultatis unacum duabus literis Regiis in-  
 scribendam, ita re ipsa pronuntiatam a  
 „se fuisse verbo ac scripto non semel  
 testatus est V. D. Huart Decanus  
 „Comitorum Praeses.

Sæc. XVIII. „Non dissimulamus unum aut al-  
A. C. 1729 „terum ex nostris inter deliberandum,  
 „Constitutioni suffragatos non fuisse;  
 „quod ad suffragiorum libertatem deno-  
 „tandam, qua fruebantur Magistri de-  
 „liberantes, hic observatum volumus.  
 „Observamus & istud, Conscriptores,  
 „quos malevoli nonnulli, discordes  
 „fuisse voluissent, rixis omnibus posi-  
 „tis, tandem ad concordiam remeasse,  
 „ita testante ac significante scripto pu-  
 „blico Domino de la Rue Conscripto-  
 „re, non dissidente tunc temporis  
 „D. Duquesne, imo paribus votis con-  
 „spirante altero itidem Conscriptore  
 „D. Hideux, qui palam & publice cou-  
 „testatus fuerat, revocare se & in ir-  
 „ritum mittere approbationem, quam  
 „olim dederat Libro *Reflexionum Mo-*  
 „*ralium*, quem idcirco a se improbari  
 „ac rejici declaravit; non tantum quod  
 „a Clemente XI. summo Pontifice, &  
 „a Cardinali Noaillio improbatus fuis-  
 „set ac rejectus, sed etiam & a sacra  
 „Facultate..”

„Hac ipsa die quinta, indicta sunt  
 „Comitia extraordinaria ad diem de-  
 „cimam Martii, quæ quidem non fur-  
 „tim. & clanculum, sicut latere amant,  
 „qui male faciunt, sed palam & pu-  
 „blice, patentibus foribus, & in aper-  
 „tissima luce celebrata sunt. In Co-  
 „mitiis

„mitiis lecta & confirmata est, ne uno s̄ec XVIII.  
 „quidem ex Magistris, quod sedulo A.C. 1729.  
 „notandum, refragante, Conclusio,  
 „quæ eo ipso juxta leges vestras, ve-  
 „strosque mores, in rem judicatam  
 „abiit, & cui refragari nefas deinceps  
 „suit. Etenim quanta quæso ordinis  
 „publici perturbatio foret ac confusio,  
 „nihil fixum ac certum in civili so-  
 „cietate haberemus, semper in incerto  
 „suspensi hæreremus, si leges semper  
 „cudere & recudere necesse foret?  
 „Quam misera inde foret mortalium  
 „conditio!„

„Profecto si de tali Conclusione ex-  
 „postulandi locus fuisset, hic erat ex-  
 „postulandi ac conquerendi locus ido-  
 „neus: vel intentanda inscriptio falsi,  
 „quæ via juris aperta erat; vel incu-  
 „sanda Conscriptorum in numerandis  
 „suffragiis, vel V. D. Decani fides in  
 „Conclusione recitanda. Vestram fi-  
 „dem, PP. SS. hic appellamus, si qui-  
 „dem tale tunc temporis objecerint  
 „adversarii? siluerunt, obmutuerunt.  
 „Attamen qua conscientia silere illi po-  
 „tuissent, si falsum putassent Decretum,  
 „si Constitutio fidem Evangelii, do-  
 „ctrinæ Moralis integritatem, discipli-  
 „nam Sacramentorum, amorem Dei,  
 „& alia hujusmodi Religionis Chri-  
 „stianæ, (sicuti postea clamitarunt ali-

Sæc. XVIII. „ qui, & etiamnum clamitant) capita  
 A. C. 1729. „ & fundamenta subverteret. Silue-  
 runt tamen illi & silentio satis super-  
 que declararunt, se mox lectæ Con-  
 clusioni assensisse. „

„ Sed ecce tandem accidit adhuc  
 „ aliquid longe majoris momenti, quod  
 „ certam & splendidam, si quæ unquam  
 „ fuit, decreti vestri confirmationem  
 „ suppeditat. Die decima quarta Martii sex  
 „ a vobis selecti Seniores Magistri, qui  
 „ bus se adjunixerunt alii plures, inter  
 „ quos, obiter observamus, adfuere  
 „ DD. Chaudiere & Duquesne, Decre-  
 „ tum vestrum Regiae Majestati obtu-  
 „ lere, tamquam publicum & solemne  
 „ vestræ in Sedem Apostolicam & in  
 „ Regiam voluntatem reverentia &  
 „ obedientia monumentum. „

„ Quanto cum Religionis ac gratu-  
 „ lationis sensu Rex optimus Decretum  
 „ vestrum acceptum habuerit, quanta  
 „ cum benevolentia ac propensa in fa-  
 „ crum ordinem vestrum universum,  
 „ & singulos Magistros voluntate Re-  
 „ giam suam protectionem, & auctori-  
 „ tatem pollicitus fuerit, nemo nostrum  
 „ ignorat. Addidit Rex augustissimus  
 „ sperare se nec dubitare, quin Decre-  
 „ tum vestrum typis mandari ac publici  
 „ juris fieri quantocius curaretis. cum  
 „ æquum sit, dixit, ea quæ sunt optima,  
 „ latif-

„latissime diffundi. Regiae voluntati ob- Sæc.XVIII.  
 „sequendum proculdubio duxit Syn- A.C. 1729.  
 „dicus, non sine tamen aliqua pru-  
 „denti cautione, ne sibi aliquid præci-  
 „pitanter arrogasse videretur; Co-  
 „mitem de Pontchartrain Syndicus  
 „consuluit. Re cum Principe commu-  
 „nicata, rescripsit idem D. Pontchar-  
 „train, Regem velle, ut quantocius da-  
 „retur opera, ut publici juris fieret ac  
 „magistris distribueretur conclusio lata  
 „die quinta Martii. & confirmata die  
 „decima, quæ Regio jussu jam typis  
 „mandata fuerat. ,

„Obstrepere nihilominus ausi sunt  
 „inquieti octo vel decem Magistri con-  
 „querentes Decretum inconsulta Facul-  
 „tate fuisse mandatum typis, quod  
 „tamen editum fuerat ipso jubente  
 „Rege, atque postulantes (quasi res  
 „nondum esset confecta) ut iterum  
 „ac de novo numerarentur, expende-  
 „rentur suffragia Magistrorum, qui in  
 „Comitiis Martii præcedentis suam  
 , dixerant sententiam. Audaciam non  
 „tulit Rex Christianissimus, atque sex  
 „e Magistris, in pœnam tumultus, a  
 „Comitiis sacræ Facultatis excludi  
 „jussit, datis ad sacram Facultatem Li-  
 „teris die decima Aprilis, lectis in  
 „Comitiis, quæ habita sunt die decima  
 „septima ejusdem mensis & Anni 1714.

Sæc. XVIII. „ Violatam idcirco obtenderunt illi  
A. C. 1729. „ Facultatis libertatem. Quasi vero ad  
 servandam libertatem neceſſe foret licen-  
 „ tiam ad quodlibet audendum laxari?

„ Conſcientiam vestrā jam inter-  
 „ rogamus, sapientissimi Patres. Erit-  
 „ ne adhuc aliquis in S. Facultatem tam  
 „ injuriosus aut in Regiam Majestatem  
 „ tam iniquus, qui affirmare audeat  
 „ Decretum latum die 5. & die decima  
 „ Martii confirmatum & solemnī pom-  
 „ pa Regi die 14. oblatum, & ab  
 „ ejus Majestate acceptum cum lau-  
 „ de vestrā, nihilominus falſum ac  
 „ ſpurium eſſe? Certe ſi falſum eſſet,  
 „ quod aures abhorrerent, ergo irriſo-  
 „ res & illuſores Regiæ Majestatis fuere,  
 „ qui nomine vestrō ipſi falſum pro vero  
 „ decretum obtruſerunt. Nonne hoc  
 „ iplsum fuifſet Regiæ Majestati in ſuo  
 „ folio ſedenti proterve illudere? labem  
 „ hanc & ignominiam quantocius ab-  
 „ ſtergatis.,,

„ An eo misere effugient, ut dicant,  
 „ quod cum pronuntiatum duntaxat  
 „ fuerit (ut falſo putant) inscribendam  
 „ eſſe Constitutionem, illam idcirco  
 „ haberi non debere, ac ſi vim legis  
 „ obtinuerit in ſacra Facultate; verum  
 „ in turpem ac crassam hallucinationem  
 „ incident. Neque enim tantum jufſit  
 „ Rex inscribendam Constitutionem, ſed  
 „ etiam

„ etiam ut nihil doceretur, traderetur Sæc. XVIII.  
 „ & proponeretur, quod dictæ Bullæ ad- A.C. 1729.  
 „ versari posset, atque uno verbo eo-  
 „ dem modo, iisdemque cautionibus  
 „ servaretur, ac ipsa Constitutio Vi-  
 „ neam Domini Sabaoth Anno 1705. in-  
 „ scripta in vestris Commentariis. „

„ Concludimus ergo, quod, et si Col-  
 „ legæ nostri dissidentes istud conseque-  
 „ rentur, quod tamen pernegamus. Con-  
 „ clusionem sacræ Facultatis hoc unum  
 „ ferre, nempe inscribendam esse consti-  
 „ tutionem, operam adhuc suam perderent,  
 „ & in ipsam et Constitutionis inscriptione  
 „ approbationem ejus, velint nolint  
 „ authenticam agnoscerent, sicque Con-  
 „ stitutionem a sacra Facultate tunc  
 „ temporis receptam bona fide fate-  
 „ rentur. „

### §. XIX.

#### *Secunda & tertia hujus relationis pars.*

**A**ltera die Syndicus reliquas hujus re-  
 lationis partes prælegit, his ver-  
 bis conceptas:

„ Dolentes nunc aggredimur secun-  
 „ dam Relationis nostræ partem. In  
 „ ea enim multa occurunt, quæ æter-  
 „ no fuissent sepelienda silentio.,,

Sæc. XVIII. „ Sapientissimi Magistri Deputati ad  
A.C. 1729. „ stuporem attoniti hæserunt, cum a-  
„ pertis libris vestris & Cominentariis,  
„ quorum copiam habuimus, ac refe-  
„ ratis Doctrinæ arcans, intueri da-  
„ tum est, quam decolor deinceps ac de-  
„ formis facta fuerit sacræ Facultatis  
„ doctrina, ac Ecclesiæ dispersæ conclu-  
„ mata auctoritas, unum Concilium  
„ generale velut supremus Judex con-  
„ troversiarum habitum; læsa sum-  
„ mi Pontificis & Episcoporum sacra  
„ dignitas; Presbyteri simplices Epi-  
„ scopis fere æquati; judicium in  
„ res fidei non a simplicibus modo  
„ Presbyteris, sed etiam a Laicis te-  
„ mere vindicatum & usurpatum;  
„ Ecclesia exhibita ac repræsentata te-  
„ nebris tota fere obiecta & quasi ex-  
„ tincta, vix ut tenuis quædam illius  
„ scintilla remanere videretur, ad ipsas  
„ mulierculas & Plebeculam misere red-  
„ acta. „

„ Ad hæc si addideris Scholæ di-  
„ sciplinam. Quam tunc mollis & la-  
„ xata? Ob exilium fortiter toleratum,  
„ inquietab Syndicus Ravechet, æquis-  
„ sum erat, ut Baccalaurei, quos  
„ Rex puniverat, compensarentur effusa  
„ in ipsos dispensationum cujuscumque  
„ generis licentia, hoc est in rei veri-  
„ tate, ut ad contemptum Regiæ Maje-  
„ statis,

„statis, quod peccatum fuerat, laudi  
 „& merito verteretur. Nullus in di-  
 „spensando modus, sive in examinibus  
 „adhibendis, sive in Thesibus celeb-  
 „randis, sive etiam in ipsa, ut vocant,  
 „resumpta ante præscriptum tempus  
 „celebranda, ita ut uno & eodem  
 „quasi momento, quidam simul & Bac-  
 „calaurei & Magistri facti fuerint.„

Sæc. XVIII.  
A.C. 1729.

„Adderem adhuc multa, nempe  
 „prorsus neglectam, ac inde dilapi-  
 „datam rem familiarem S. Facultatis,  
 „& antiquos ejus codices dispersos un-  
 „deaque & magna ex parte deper-  
 „ditos; sed nostris Fratribus parcen-  
 „dum.„

„Die prima Octobris 1715. S. M. N.  
 „le Rouge expleto cum laude Syndi-  
 „catus sui biennio successorem petiit.  
 „Electus Sapientissimus Magister No-  
 „ster Hyacinthus Ravechet. Ubi talis  
 „Syndicus electus est, subodorati sunt  
 „e nostris plurimi, meditato consilio  
 „hanc factam fuisse electionem: Rem  
 „probavit eventus. Illoco D. le Rouge  
 „nihil tale cogitanti, imo nequidem  
 „pro more literas commendatitias,  
 „sibi tamen merito debitas, postulanti,  
 „affignati sunt Deputati censores, qui  
 „in ipsius Syndicatum inquirerent.„

„Die secunda Decembris ejusdem  
 „Anni 1715. Sapientissimus Magister

Sæc. XVIII., Humbelotus gravem querelam insti.  
A. C. 1729. „ tuit aduersus orationem, quam D. Ra-  
„ vechet novus Syndicus ad Sacram  
„ Facultatem habuerat die quarta No-  
„ vembris præcedentis, cum gratias  
„ ageret ob delatum sibi honorem Syn-  
„ dicatus, nanc orationem dixit D.  
„ Humbelot injuriosam esse summo Pon-  
„ tifici, Clero Gallicano, memoriae Lu-  
„ dovici decimi quarti, serenissimo Re-  
„ genti, eoquod quæ protulerat, tende-  
„ rent ad infirmandam Constitutionem  
„ *Unigenitus*, quam, addidit D. Humbe-  
„ lotus, acceptaverat *una voce* S. Fa-  
„ cultas. Arrepta hac occasione Syn-  
„ dicus Ravechet reclamavit, & actio-  
„ nem calumniæ & contumeliæ indixit  
„ aduersus D. Humbelot, postulavitque,  
„ ut omissis omnibus aliis negotiis, de  
„ illa una expostulatione deliberare-  
„ tur, nec prius ex Aula discederent  
„ Magistri, quam deliberatio fuisset ab-  
„ soluta...

„ Continuo pronuntiatur in Comitiis,  
„ calumniosam esse & injuriosam ex-  
„ postulationem D. Humbeloti. Fertur  
„ Decretoria sententia, qua Magister  
„ prædictus excluditur a Comitiis & ab  
„ omnibus muniis Magistri, donec pa-  
„ lam & publice revocasset factam ex-  
„ postulationem, & veniam petiisset  
„ humiliime: insuper additur falsum  
„ esse

„esse, quod prædictus Magister dixerit Sæc. XVIII.  
 „Constitutionem *Unigenitus* acceptatam A. C. 1729.  
 „fuisse a sacro Ordine una voce.,,

„Observeate, si placet Sapientissimi  
 „Patres. *Modalis* est, ut ajunt, hæc  
 „propositio, supponitque revera accep-  
 „tam Constitutionem, tametsi non  
 „una voce. Verum expectate tantisper,  
 „ex modali statim fiet absoluta. Nam-  
 „que promptum Syndicus adhibet re-  
 „medium: Atque cum esset vir ad  
 „quodlibet audendum projectus, verba  
 „ista una voce, delet ex *Plumitivo Con-*  
 „*clusionis latæ die secunda Decembbris,*  
 „totque lituris deformari ac eradi cu-  
 „rat, ut vix hodie legi possint.,,

„Fraudulenta certe est ista Con-  
 „clusio. Conscientiam Magistrorum,  
 „qui interfuerunt interrogamus, an ea  
 „de re tunc actum fuerit, an proposi-  
 „tum, an deliberatum, num acceptata  
 „necne fuisset Constitutio *Unigenitus*:  
 „quam tamen Conclusionem die quinta  
 „Decembbris Anni 1715. confirmatam  
 „legimus.,,

„Die secunda Januarii Anni 1716.  
 „proposita fuit a D. Syndico quæstio  
 „hæc ex meditatis infidiis gravissima,  
 „utrum scilicet expensæ occasione e-  
 „ditionis Decreti Anni 1714. pro ac-  
 „ceptanda Constitutione; imputandæ  
 „forent

Sæc. XVIII. „forent Facultati? Judicium Syndici  
A. C. 1729. „statim facile mente ante vertitis.,,

„Die quarta ejusdem mensis con-  
„cluditur. 1. Impensam il'am reci-  
„dere debere in auctores editionis il-  
„lius Decreti. 2. Dictum vestrum decre-  
„tum falsum esse, adulterinum, commen-  
„titium, & ex commentariis eradendum.

„Somnium istud est, ac vana men-  
„tis illusio? ita ne quadam veluti in-  
„cantatione subito evanescit, ac pro-  
„falso traducitur Decretum, qnod ab  
„annis duobus latum est, confirmatum,  
„ne ullo quidem reclamante, quod Re-  
„giæ Majestati non sine ejus gratula-  
„tione oblatum fuit, jussu Regis typis  
„editum, omnibus distributum? De-  
„cretum, inquam, illud subito falsum  
„& adulterinum declarare absque præ-  
„via ulla judicii forma, nulla facta  
„propositione, nulla deliberatione præ-  
„missa, portentum est, in hoc sacro  
„Ordine plane inauditum.,,

„Rem ubi audivit Serenissimus  
„Princeps Dux Aurelianensis, Regni  
„Regens, tantæ temeritati frænum  
„injiciendum esse duxit, ne temera-  
„riam manum, quam in Decretum ve-  
„strum injecerat, forte etiam in For-  
„mularium ipsum & Censuram Arnaldi,  
„homo ille præceps tentaret extendere.  
„Itaque, data gravi ad Syndicum Ra-  
„„vechet

„vechet Epistola die septima Januarii, Sæc.XVIII.  
 „declaravit Serenissimus Princeps nolle A. C. 1729.  
 „se, ut in posterum S. Facultas directe  
 „vel indirecte ullam faceret de Constitu-  
 „tione mentionem; quod, si quis  
 „piam servidioris animi, suis mandatis  
 „contrarium aliquid attentaret, se illi  
 „D.Ravecheto in culpam imputaturum.,,

„Hanc impositam sibi silentii legem  
 „dissimulavit & occultavit Syndicus,  
 „veritus, ne, si publica evaderet, le-  
 „gendæ ac confirmandæ conclusioni  
 „latæ die quarta moras injiceret.,,

„Igitur die octava Januarii Conclu-  
 „sionem diei quartæ legi & confirmari  
 „intrepide postulavit. Qua audita sta-  
 „tim summo zelo insurrexit, & oblate  
 „instrumento intercessit Sapientissimus  
 „Magister Leullier, hanc Decanus no-  
 „ster colendissimus. Non patiar, ex-  
 „clamavit Syndicus Ravechet, vetat  
 „nobis a Principe imposta silentii lex.  
 „At, quæso, nonne hanc silentii le-  
 „gem, quam heri accepisti, tu ipse  
 „mox infregisti? An quod alteri nefas,  
 „tibi licet, ubi pariter urgent jussa  
 „Principis?,,

„Ut viderunt plurimi e Magistris  
 „confirmatam die octava Conclusionem  
 „diei quartæ, integrum permanere,  
 „spretum ac conculcatum penitus so-  
 „lemnne Decretum Anni 1714. nec su-  
 „per-

Sæc. XVIII. „ pereesse spem ullam, futurum ut his  
A. C. 1729. „ turbulentis temporibus sua præsentia  
                 „ tantam cohiberent audaciam, indigna-  
„ bundi ex Aula discesserunt, atque vi-  
„ ginti duo ex illis, significato statim  
„ intercessionis libello contestati sunt,  
„ falso prorsus asseri Decretum Anni  
„ 1714. adulterinum & supposititium esse.

„ Capta statim hac occasione, quo-  
„ rumdam verborum prætextu, quæ  
„ injuriosa visa sunt & tenellam gravio-  
„ rum Doctorum modestiam offendere,  
„ hos viginti duos Magistros Comitiis  
„ excludendos censuerunt die quinta  
„ Februarii Anno 1716.

„ Devenimus jam PP. SS. ad ulti-  
„ mam hujuscē Relationis epocham, ad  
„ diem quintam scilicet Martii Anni  
„ 1717. cum ex improviso ecce astant  
„ in hac Aula quatuor illustrissimi Præ-  
„ fules suam ad Concilium generale  
„ Appellationem, advocate sibi Facul-  
„ tatis auxilio, interposituri.

„ Quamquam autem summo sem-  
„ per honore ac cultu singulos profe-  
„ quamur Episcopos, eorumque con-  
„ spectu honorifico frui amemus, pa-  
„ ce tamen dixerim, cum unus ex  
„ illis foret extraneus, nec jure Magi-  
„ sterii sedere inter nos posset, in legem  
„ & usum sacræ Facultatis a pluribus  
„ jam retro fæculis constanter observa-  
„ tum,

„tum, eo introducto peccavit Syndic Sæc. XVIII.  
 „cus; peccavit vero longe gravius, A.C. 1729.  
 „quod, ipso promovente funesta facta  
 „fuerit hic palam ista Provocatio, quæ  
 „tot turbas in Regno concitavit; at  
 „que idcirco ipse paulopost extra Ur-  
 „bem Regiam amandatus temeritatis  
 „& audaciæ poenam luit.

„Verum eo jam seposito, formæ de-  
 „fectu longe quid gravius hic Faculta-  
 „tem offendit, & ipsammet Ecclesiam.  
 „Facultatem dico; dum in re tanti  
 „momenti, qualis forte ipsi, ex quo  
 „fundata est, non obtigit, non desig-  
 „natis prius, ut moris est Deputatis,  
 „re non proposita, nec in maturam  
 „deliberationem missa, non explorata  
 „nec ad severioris examinis trutinam  
 „adducta, statim e vestigio, quasi ab-  
 „reptitii, appellandum esse ad generale  
 „Concilium conclamarunt.

„Recognoscitisne, Sapientissimi Pa-  
 „tres hoc in facto mores vestros ac  
 „leges sacræ Facultatis? sed nullas  
 „observare leges statuerat Syndicus  
 „Ravechetus.

„Quantum vero ad Ecclesiam spe-  
 „ctat, Iæsa ipsius jura, ac supremam  
 „auctoritatem calcatam & contritam,  
 „graviter conquesti sunt Præfules Gal-  
 „licani ferme omnes, hancque dictam  
 „Provocationem ad Concilium generale  
 „tan-

**Sæc. XVIII.** „ tanquam nullam, frivolam, illusoriam,  
 A. C. 1729. „ temerariam, scandalosam, schismati-  
 „ cam, errori ac hæresi faventem quam-  
 „ plurimi condemnarunt.

„ Licet enim *Concilium generale* in  
 „ aliquibus casibus dici possit absolute ne-  
 „ cessarium; certe utut res sese habent  
 „ in præsenti negotio, ab his Doctrinæ  
 „ capitibus, quæ a summo Pontifice,  
 „ conspirante Episcoporum multitudine  
 „ judicata sunt, provocare, quid aliud  
 „ est, quam ab Ecclesia ad Ecclesiam,  
 „ & ab eodem Tribunali ad idem ap-  
 „ pellare. Quod proculdubio ex sese  
 „ absurdum ac ridiculum est: Ecclesia  
 „ enim dispersa perinde ac in Conciliis  
 „ congregata, vera Christi Ecclesia est,  
 „ *Columna & firmamentum veritatis*, cui  
 „ a Christo dictum est: *Ecce ego vobis-  
 „ cum sum omnibus diebus usque ad consum-  
 „ mationem sæculi.*

„ Scilicet necesse prorsus est, ad opti-  
 „ mam Reipublicæ Christianæ constitu-  
 „ tionem, ut semper stet aliquod Tri-  
 „ bunal vivens ac spirans, quo subna-  
 „ scentes fidei caussæ supremo judicio  
 „ finiantur. Nisi ita provisum fuisset,  
 „ pendente ac suspenso, ad quod pro-  
 „ vocatur generali Concilio, cuius ut  
 „ omnes sciunt, convocatio incerta,  
 „ difficilis congregatio, finis nonnun-  
 „ quam multorum annorum opus, hoc  
 „ in-

„inquam, suspenso Concilio, quo tan- Sæc.XVIII.  
 „dem recident Populorum animi? A.C. 1729.  
 „Quis fidei eorum arbiter & judex erit?  
 „An quisque privato judicio, & spiritui  
 „permittendus, ut circumferatur omni  
 „vento Doctrinæ? Absit. Eorum igitur  
 „oculis objicienda semper Ecclesiæ fides  
 „& auctoritas, per Romanos Pontifices  
 „& Episcoporum multitudinem pro-  
 „posita & declarata; in eorum memo-  
 „riam revocandum præclarum illud  
 „Bossuetii documentum, quo Ecclæ-  
 „siam sanctam etiam extra Synodum  
 „positam, per suos Pastores nihilomi-  
 „nus, Petro Duce, bellantem bella  
 „Domini adversus hæreses, exhibet  
 „tanquam terribilem Castrorum aciem  
 „ordinatam, armis militiae suæ Rebel-  
 „lium cervices conterentem, ac de-  
 „struentem omnem altitudinem extol-  
 „lentem sese adversus scientiam Dei,  
 „allidentem, vel in ipso ortu, nascen-  
 „tes Hæreses, ut parvulos Babylonis  
 „miseræ, ad Petram, quæ Christus  
 „est, invisibile bellantis Ecclesiæ ca-  
 „put; sponsam suam ab alto jugi ac  
 „perenni influxu movens, prout op-  
 „portunum judicat, adeo ut etiamsi  
 „dispersa sit, collectas vires suas, ubi  
 „opus est, exerat, totaque, cum suo  
 „visibili capite, procedens, hostes suos  
 „omni armorum suorum pondere pre-  
 „mat, vincat ac debellet.

**Sæc. XVIII.** „Hæc sunt fidelibus populis expo-  
**A. C. 1729.** „nenda, ut intelligent, docente S.Au-  
 „gustino, congregatione Synodi opus non  
 „esse, ut aperta pernicies damnetur, quasi,  
 „inquit S.Doctor, nulla hæresis aliquando  
 „nisi congregatione Synodi damnata sit, cum  
 „potius rarissimæ inveniantur, propter quas  
 „damnandas necessitas talis extiterit, mul-  
 „toque sint ac incomparabiliter plures, quæ  
 „ubi extiterunt, illic improbari, damnarique  
 „meruerunt.

„Theologi Parisienses Majorum suo-  
 „rum inhærentes vestigiis, aperta con-  
 „fessione, præstito solemni Sacramento,  
 „certa & firma fide credunt, unum  
 „esse jure divino summum in Ecclesia  
 „Christi militante Pontificem, cui omnes  
 „Christiani parere tenentur. In intimis  
 „viceribus & medullis Theologorum  
 „Parisiensium insculpta vigebunt sem-  
 „per reverentia & obsequium erga Petri  
 „Cathedram & Ecclesiam illam principalem,  
 „unde unitas Sacerdotalis exorta est. Apo-  
 „stolicæ Sedi unde Religionis nostræ, pro-  
 „pitio Christo, fons, & origo manavit,  
 „communione consociati Theologi  
 „scholæ Parisiensis, maxime & anti-  
 „quissimæ & omnibus cognitæ, Romæ fun-  
 „datae & constitutæ Ecclesiæ, eam quam ha-  
 „bet ab Apostolis traditionem, & annun-  
 „tiatam hominibus fidem, per successiones  
 „Episcoporum pervenientem usque ad nos  
 „indi-

indicantes, confundent omnes eos, qui quo- Sæc.XVIII.  
quomodo . . præter quam oportet colligunt. A. C. 1729.  
Ad hanc enim propter potentiorem principaliatem necesse est, eos qui sunt undique fideles; in qua semper, ab his qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apo-  
lis traditio.

„A nobis, ut putamus Sapientissimi  
„Patres, jam non expectatis, ut quos  
„Constitutioni Apostolicæ tam abnor-  
„mes errores affingunt Adversarii, hic  
„commemoremus ac serio refellamus.  
„Vel una Ecclesiæ auctoritate, qua  
„recepta & confirmata Constitutio fuit,  
„evanescunt ac dissipantur. Nihil et-  
„enim huic Constitutioni, quantum ad  
„auctoritatem quam obtinet, deesse,  
„facile ostendi potest. Summo con-  
„sensu Apostolicæ Sedi adhæret ma-  
„xima multitudo Episcoporum, ne  
„uno quidem in externis Regionibus  
„dissentiente. In una Gallia reluctan-  
„tur numero admodum pauci.

„Verbis quidem in speciem Catho-  
licis protestantur illi, se Apostolicæ  
„Sedi, tanquam unitatis centro ad-  
„hærescere, sed mera verba sunt, pace  
„ipsorum dictum sit, illusione ad fucum  
„populis faciendum plena. Cui enim  
„adhærent Ecclesiæ? Quos duces ac  
„Magistros sequuntur? Summum Pon-  
„tificem, cuius Decretum fugillant ac

Sæc. XVIII. „conviciis inverecunde dilacerant?  
 A.C. 1729. „Apostolicam Sedem ac universam Ec-  
 „clesiam? At Sedem Apostolicam a Pon-  
 „tifice in ea sedente in præsenti nego-  
 „tio non distinguimus. Ecclesiam vero  
 „universam, cujus partes sunt docere  
 „ac ministerium publicum exercere,  
 „in summo Pontifice & Episcopis,  
 „quos *Spiritus Sanctus posuit regere Ec-*  
*„clesiam Dei*, residere agnoscimus. Assig-  
 „nent nobis illos Episcopos, cum qui-  
 „bus animo atque doctrina conjuncti  
 „sunt? Assignent, quo in angulo deli-  
 „tescat illa Ecclesia, quam suam esse  
 „gloriantur? Ubique damnantur ac  
 „censuram reportant.

„Incusabuntne defectum examinis,  
 „& latam ex præjudicata infallibilitatis  
 „Pontificiæ opinione sententiam?  
 „Falsi statim revincuntur, tot in me-  
 „dium prolati exterorum Episcoporum  
 „scripto consignatis testimoniis. Ve-  
 „rum istud tantisper demus: Hoc sta-  
 „tuimus & contendimus, quod verissi-  
 „mum est, legem publica & legitima  
 „auctoritate latam, firmam ex se &  
 „inconcussam esse debere, nec privato  
 „cuicunque, ut eam infirmet, fas est  
 „inquirere in examen, modum & mo-  
 „tivum, quo lata est. Si semel, ait Mel-  
 „chior Canus: *Hæreticiis hanc licentiam*  
*permittimus*, ut in quæstionem vocent, num  
*Eccle-*

*Ecclesiæ judices eam diligentiam & curam exhibuerint, qua opus erat, ut quæstio finitur, ecquis adeo cœcus est, qui non videat omnia mox Pontificum, Conciliorumque judicia labefactari.*

„Addimus quid amplius, & hoc uno argumento absolvimus. Quodcumque supponatur fuisse Legis motivum, fieri nunquam posse, vi propagationum Christi, ut Ecclesia erroneam acceptet & approbet sententiam. Ergo Legis literæ, quæ sola subsistit ac vim habet, standum est, ac supponendum, providisse Christum, ne ulla deesset ex requisitis conditio, ad firmam, certam, & inconcussam definitionem.

„Hæc tanta auctoritatis momenta, Sapientissimi Patres juxta mentem Conclusionis vestræ die octava Novembris ultimi latæ eo adduximus consilio, ut iis moti & excitati dissidentes a nobis Collegæ, quantocius ad observandum & unitatem doctrinæ reducantur.

„Quid supereft, nisi ut in spiritu charitatis, auctoritate vestra invitentur, ut memores conditionis suæ, benignæ matris agnoscant vocem, se seque perfecte subditos & sincere obedientes exhibeant, ita censem Deputati vestri, atque ut insuper feratur

Sæc. XVIII. „ a vobis hodierna die solemne Decre-  
A. C. 1729. „ tum in quo.

1. „ Auditis ac perpensis rationum  
„ momentis, quibus abunde constat  
„ Decretum latum diebus quinta & de-  
„ cima Martii 1714. verum esse ac ge-  
„ nuinum, tale a vobis agnoscatur, quod  
„ illud idem sacra Facultas iterum ac  
„ de novo suum faciat, pronuntietque  
„ immerito prorsus declaratum fuisse  
„ falsum, adulterinum & commenti-  
„ tium: eradantur itaque & expungan-  
„ tur penitus, quotquot in contrarium  
„ tentata sunt, & in Libris vestris in-  
„ serta leguntur.

2. „ Constitutionem *Unigenitus*, Regiis  
„ Sanctionibus munitam, & in Regno  
„ promulgatam, summa cum reveren-  
„ tia, & integro cordis & animi obse-  
„ quio iterum ac de novo sacra Facul-  
„ tas amplectatur, tanquam Dogmati-  
„ cum Universalis Ecclesiæ judicium.

3. „ Provocatio, seu appellatio, quæ  
„ legitur & circumfertur sub nomine  
„ sacræ Facultatis, a prædicta Consti-  
„ tutione *Unigenitus* ad futurum gene-  
„ rale Concilium die quinta Martii  
„ Anni 1717. interjecta hodierna die  
„ revocetur, declaretur nulla, e nostris  
„ Commentariis eradatur & expunga-  
„ tur, una cum aliis omnibus Actibus,  
„ qui prædictæ constitutioni adver-  
„ santur.

„ Quam-

4. „ Quamvis S. Ordinis Decretum Sæc. XVIII.  
„ mense Martio Anni 1714. latum pœ- A. C. 1729.  
„ nam exclusionis *ipso facto* incurrendæ  
„ adversus inobedientes pronuntiet,  
„ censent nihilominus deputati vestri,  
„ cum Magistris dissidentibus agendum  
„ esse benignius, ipsos quantocius mo-  
„ nendos in charitate Christi, & hor-  
„ tandos in omni sollicitudine, ut ob-  
„ temperantes sint Ecclesiæ, Regi, ac  
„ Decreto S. Facultatis almæ Matris  
„ suæ; quod si præstiterint promptius,  
„ æquum judicant iidem Deputati, ut  
„ S. Facultas suis optimis Officiis apud  
„ clementissimum Principem efficiat,  
„ quantocius reddi nobis absentes Fra-  
„ tres nostros. Sin vero (quod Deus  
„ avertat) restiterint contumacius,  
„ quemadmodum & si quidam alii fiant  
„ a Decretis vestris dissidentes, decla-  
„ ret S. Facultas *ex nunc pro tunz eos*  
„ omnes, post concessum tamen ipsis  
„ aliquod temporis intervallum a vobis  
„ præscribendum, omni jure Magisterii  
„ in hoc sacro Ordine excidisse, adeo  
„ ut eo ipso sine ulla spe reditus pri-  
„ vati remaneant.

5. „ Cum sacra Facultas providere  
„ debeat, quantum in se est, ne in po-  
„ sterum ad suos Gradus admittantur  
„ quidam, nisi Constitutioni *Unigeni-*  
„ *tus* sincere sint obsequentes, existi-

Sæc. XVIII., mant Deputati statuendum, ut nulli  
A. C. 1729., deinceps, sive Magistri ad resumptam,  
, sive Licentiati. sive Baccalaurei, sive  
, Candidati ad ullos Actus admittantur,  
, nisi certum obedientiæ suæ testimo-  
, nium exhibuerint.

, Hæc omnia tanquam necessaria  
, judicant iidem vestri Deputati, ne  
, serpat ulterius tam impotens opinio-  
, num licentia, coerceatur perniciosum  
, inobedientiæ fermentum, errori &  
, dissensionibus aditus omnis præclu-  
, datur, redeat pristinus sacræ Facul-  
, tatis splendor, pax & vera pax resti-  
, tuatur, in qua firmati unanimes uno  
ore honorificemus Deum Patrem Domini  
nostrri Jēsu Christi.

### §. XX.

#### *S. Facultatis Decretum de recipienda Constitutione.*

Absoluta hac relatione Syndicus pe-  
tit, ut S. Facultas de quinque illis  
articulis, ad quos relationis summa re-  
ducitur, deliberare ipsamque relationem  
ad acta referre, & si videbitur, prælo  
committere velit. Re igitur proposita,  
& mature discussa nonaginta quinque  
Magistri Facultatis nomine sequens edi-  
derunt decretum;

, Sa-

„ Sacra Facultas, ad suffragium non- Sæc. XVIII.  
 „ aginta quinque Magistrorum ex cen- A.C. 1729.  
 „ tum & uno Magistris, qui suam dixere  
 „ sententiam, sex in varias sententias  
 „ abeuntibus, audita Relatione facta a  
 „ S. M. N. Tournelio, nomine Deputa-  
 „ torum ipsique gratiis actis

1. „ Eam laudat, & approbat in  
 „ omnibus, jubet ut inscribatur in suis  
 „ Commentariis, atque etiam mande-  
 „ tur typis, Latine & Gallice, ubi ta-  
 „ men res opportuna judicata fuerit &  
 „ dicta Relatio fuerit recognita.

2. „ Attendendo ad gravissima ra-  
 „ tionum momenta, quibus abunde  
 „ constat Decretum sacri Ordinis latum  
 „ diebus quinta & decima Martii 1714.  
 „ verum esse ac genuinum, illud iterum  
 „ ac de novo suum facit, & agnoscit,  
 „ immerito prorsus fuisse declaratum  
 „ falsum, adulterinum & commenti-  
 „ tium, atque idcirco vult, ut nulla ha-  
 „ bita ratione lituræ factæ quarta Ja-  
 „ nuarii 1716. quantumvis per nonnullas  
 „ conclusiones probata videatur,  
 „ illud Decretum suum omne robur ha-  
 „ beat, & hac præsenti Conclusione  
 „ in integrum restitutum censeatur;  
 „ necnon quæcumque contra ipsum sub-  
 „ inde tentata sunt, penitus deleantur  
 „ & eradantur, adhibita mentione ad  
 „ marginem præsentis Conclusionis.

Sæc. XVIII. 3. „ Constitutionem Sanctissimi Do-  
A. C. 1729. „ mini nostri Clementis Papæ XI. da-  
„ tam die octava Septembris Anno  
„ 1713. quæ incipit *Unigenitus Dei Fi-*  
„ *lius*, summa cum reverentia, & in-  
„ tegro cordis & animi obsequio iterum  
„ & de novo amplectitur tanquam dog-  
„ maticum Ecclesiæ universalis judi-  
„ cium.

4. Provocationem seu Appellationem,  
„ quæ legitur & circumfertur sub no-  
„ mine sacræ Facultatis a prædicta Con-  
„ stitutione *Unigenitus* ad futurum ge-  
„ nerale Concilium die quinta Martii  
„ Anni 1717. interjecta, præsenti Con-  
„ clusione, quantum opus est, revocat,  
„ pro nulla haberi jubet, cassat & an-  
„ tiquat, atque e suis Commentariis  
„ vult & imperat eradi & expungi, nec-  
„ non alios omnes Actus prædictæ Con-  
„ stitutioni adversantes.

5. „ Cum nihil S. Facultas exoptet  
„ magis, quam ut Dissidentes, quos a  
„ nostris Comitiis Rex jussit abstinere,  
„ ad unitatem Doctrinæ & ad præstan-  
„ dum obsequium prædicto Apostolico  
„ Decreto debitum, redeant & addu-  
„ cantur, eos in Charitate Christi omni-  
„ studio invitat & adhortatur, ut at-  
„ tendentes ad indubitatem auctoritatis  
„ momenta, quæ omnem contumaciam  
„ frangere debent, memores quoque  
„ con-

„conditionis suæ & jurisjurandi toties Sæc. XVIII.  
 „ab ipsis præstiti, atque suæ matris A. C. 1729.  
 „vocem agnoscentes, se perfecte sub-  
 „ditos, & sincere obedientes, in om-  
 „nibus exhibeant, & profiteantur:  
 „tum vero spondet eadem sacra Fa-  
 „cultas, se apud Regiæ Majestatis cle-  
 „mentiam sponte & ultiro acturam sup-  
 „pliciter in ipsorum favorem & gratiam.

6. „Favendo dictis Magistris, &  
 „aliis, si qui sint dissidentes, quod ab-  
 „sit, concedit duos menses integros a  
 „die præsentis Conclusionis latæ com-  
 „putandos in gratiam eorum, qui Ur-  
 „bem incolunt, quatuor vero iis, qui  
 „extra Urbem, & Banleucam com-  
 „morantur, ut intra præscriptum tem-  
 „poris intervallum, sacræ Facultati  
 „veri obsequii sui certum testimonium  
 „exhibeant: quod ni fecerint, decla-  
 „rat, *ex nunc pro tunc*, sacra Facultas  
 „tales Magistros quicumque fuerint,  
 „penitus & absque ~~ut~~ a spe redditus  
 „exclusos ab omni aditu Comitiorum  
 „suum, necnon a quolibet jure Ma-  
 „gisterii & Doctoratus.

7. „Ut sacra Facultas provideat  
 „in posterum, ne ad suos Gradus ad-  
 „mittantur quidam, nisi Decretis  
 „Apostolicis, nominatim vero huic  
 „quod incipit, *Unigenitus* sincere obse-  
 „quentes sint, vult & jubet, ut quicum-  
que

Sæc. XVIII., que deinceps accessuri sunt, aut Ma-  
A.C. 1729., gisti ad resumptam propugnandam,  
,, aut Licentiati ad Lauream Doctora-  
,, lem adipiscendam, aut Baccalaurei  
,, primi ordinis ad Gradum Licentiae  
,, obtainendum, aut Baccalaurei secundi  
,, ordinis ad aliquos Actus Theologicos,  
,, sive ad respondendum, sive ad dispu-  
,, tandem aut denique Theologiae Can-  
,, didati ad respondendum de tentativa  
,, vel supplicandum ut vocant, *pro pri-*  
,, *mo cursu*, teneantur omnes & singuli  
,, declarare, se corde & animo perfecte  
,, submissos esse supradictæ Apostolicæ  
,, Constitutioni; fin minus *ipso facto re-*  
,, *jiciantur.*

8. „ SS. MM. Brillono socio Sor-  
,, bonaico & Crouseto, qui, inter deli-  
,, berandum, corde magno & animo vo-  
,, lenti addiderunt, & expresse decla-  
,, rarunt, a se interjectam a Constitu-  
,, tione *Unigenitus* ad futurum generale  
,, Concilium provocationem revocasse  
,, se & revocare, Aetum suæ declara-  
,, tionis libentissime concessit. Signatum  
,, J. Leullier Decanus.

### §. XXI.

*Heidelbergensium Calvinistarum cavit-*  
*lationes occasione cuiusdam dispu-*  
*tationis Theologicæ.*

Habe-

Habebatur jam anno priori decima Sæc. XVIII.  
 quarta Septembris in Universitate A.C. 1729.  
Heidelbergensi publica disputatio ad  
 librum V. Decretalium *de delictis &*  
*pans.* Præsidem agebat P. Adamus  
 Huet Jesuita Professor Juris Canonici;  
 Theses, quæ in quodam libello expli-  
 cabantur, propugnabat Joannes Lauber  
 Academicus celissimo Regimini Palatino nuncupatas. Innoxiæ, & ad nul-  
 lius offensionem expositæ credebantur  
 assertiones, solis tamen Calvinistis illæ  
 suis Sectariis contumeliosæ, noxiæ,  
 & diffensionum, belli, & vastationum  
 feraces videbantur: Eapropter ad Ca-  
 roli III. Electoris Palatini folium que-  
 rulas suas voces protendunt, caussati,  
 quod pagina 37. Evangelici sub nomine  
 Lutheranorum & Calvinistarum haud  
 obscure pro hæreticis declarantur, &  
 pag. 39. & 40. inter spirituales hæreti-  
 corum pœnas numeretur *privatio sepul-*  
*turæ*, inter temporales vero & civiles  
 pœnas recenseatur *infamia*, *intestabilitas*,  
*confiscatio bonorum*, *amissio patricæ*  
*potestatis*, *ultimum Supplicium & quidem*  
*vivicomburium*, & quamvis hæ pœnae non  
 amplius obtineant in Germania propter Pa-  
 tificationes, has tamen & præcipue pacem  
*Westphalicam* *Innocentius X.* rejecerit, &  
 pro irritis declararit per specialem Bullam,  
 ob rationes sequentes. I. Quia intrinsece ma-  
 lum

**Sæc. XVIII.**, *lum videtur exæquare hæresin cum vera fide*  
**A.C. 1729.** *quoad perpetuitatem, defensionem, & li-*  
*bertatem profitendi.* II. *Quia Principes*  
*sæculares potestatem usurparunt sibi non*  
*competentem, dum paci sunt & concesse-*  
*runt libertatem hæresi, suspenderunt juris-*  
*dictionem Ecclesiæ erga hæreticos, ceperunt*  
*bona Ecclesiastica, & subditos Catholicos*  
*&c.* *Hæ erant præcipuæ propositio-*  
*nes, quæ Calvinistis stomachum mo-*  
*vebant, ut vero hasce doctrinas pa-*  
*sim in Catholicorum libris contentas*  
*ceu infelias, calumniis ac convitiis*  
*turgidas depingere possent, inde infe-*  
*rebant, quod Protestantes irrita semel*  
*Pacificatione Westphalica in Romano Im-*  
*perio nec quiete vivere, nec suis bonis*  
*tuto frui possent, & graves discordiæ*  
*& animorum exacerbationes inter re-*  
*ceptarum Religionum Aſſeclas per-*  
*mescendæ forent.* Perceptis hisce que-  
*relis Elector Celsissimo Regimini in*  
*mandatis dedit, ut in rei veritatem*  
*sedulo inquireret, & quid hac in re*  
*decernendum esset, proxime referret.*  
*Re discussa, atque audita Præsidis vin-*  
*dicatione Elector pacis amore die de-*  
*cima quinta Decembris statuit, harum*  
*thesium Defendantem e studio Acade-*  
*mico esse dimittendum, ac deinceps*  
*nulli Professori licitum fore, theses*  
*publici juris facere, nisi a Facultate*  
*recog-*

recognitas atque approbatas: Hoc de-  
creto nondum satisfactionem injuriæ  
commensuratam fuisse præstitam existi-  
mabant Protestantes, partim quia hic  
Academicus jam antea absoluto studio-  
rum curriculo aliorum ultero Manhei-  
mum abiisset, & Præses, in cuius o-  
dium hæc fabula cudebatur, sine poena  
dimissus fuisset: Eapropter Electori  
supplicabant, ut Præses ob hoc deli-  
ctum severè objurgaretur, omnesque  
theses proscriberentur. Verum hac  
in re nihil amplius actum est, eoquod  
Catholici longe æquiorem haberent ra-  
tionem querendi de Calvinistis, qui hor-  
renda convitia in Catholicos passim e-  
vomunt, & ceu sectæ suæ notam cha-  
racteristicam in suis libris symbolicis  
teneræ juventuti instillant *Antichristi*  
*talumniam*, qua summum Pontificem  
impetunt, ut olim vix audita temeri-  
tate coram Ludovico XIV. Galliarum  
Rege defendere non erubuerunt.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1729.

Eodem etiam anno Ludovicus XV.  
Franciæ Rex vehementer de Geneven-  
sis Urbis Senatoribus querebatur, eo-  
quod violata promissi fide per Urbem  
propudiosa, atque Ecclesiæ, Regique  
injuriosa scripta in Constitutionis con-  
troversia passim atque impune divulgari  
permitterent. Hi tamen Calvinistæ  
æquissimas Regis querelas frivolis ob-  
tentis-

~~Sæc. XVII.~~ tentibus eludebant. Nempe, sibi solis  
A. C. 1729. semper, nunquam autem Catholicis  
 tolerantiæ beneficium impendi deside-  
 rant, id suadente Calviniana charitate.

## §. XXII.

*Vratislaviensis controversia de Baptis-  
mi necessitate.*

**H**oc item anno die duodecima Apri-  
 lis Joannes Antonius Cothes de  
 Schaffgotsch supremæ Silesiensis Curiae  
 Præfectus edictum edidit, vi cuius Vo-  
 laviensis Regiminis Administris præ-  
 ceptum, ut Lutheranis, qui ibidem  
 Anno 1709. ex Alstrandstadiensi pacto  
 suæ sectæ Ecclesiam aperuerunt, ex-  
 probarent corruptelam, qua infantes  
 non ex integro natos sacro Fonte tin-  
 gere neglexerunt, & tam hos, quam  
 ceteros sine Baptismo decedentes,  
 publice & cum cantu, ac campanarum  
 sonitu inter alios Baptizatos sepultura  
 donauunt, cauſſati, id suæ Religionis  
 dogmatibus non modo esse consonum,  
 sed & præceptum: Cum autem nec in  
 Confessione Augustana, nec in ejus  
 Apologia & concordiæ libro hunc usum  
 esse præceptum, sed potius contrarium  
 fuisse statutum constaret, eapropter  
 Volaviensibus Administris injunctum  
 est, ut, Prædicantibus præciperen-  
 qua-

quatenus hi intra quindecim dierum Sæc. XVIII.  
 terminum ex S. Scriptura docerent, A. C. 1729.  
 quo jure ipsi infantibus non integre na-  
 tis, et si sacra lympha in præcipua parte  
 tangi potuissent, Baptismum necessi-  
 tatis denegarint, aliosque sine Baptis-  
 mo mortuos palam & cum solemnitate  
 terræ mandari curarint: Ad hoc vero  
 Prædicantes responderunt, Fridericum  
 Bechmanum casu XXI. ex Luthero pro-  
 bare, quod infantes ex parte, & non  
 ex toto geniti non baptizentur, id conso-  
 num esse S. Literis, ibidem enim ad  
 Tit. 3. v. 5. Joan. 3. v. 7. haberi, quod  
*ni si quis renatus fuerit &c. non ergo juxta*  
 S. Aug. ep. 57. ad Dard. & Ifid. l. 1. de  
 summo bono c. 4. *renasci posse infantem,*  
*antequam natus esset,* infantem autem  
 non esse natum, si duntaxat unica ejus  
 pars promineat, Augustanam quidem  
 confessionem art. 9. docere, *Baptismum*  
*esse necessarium ad salutem,* id tamen non  
 intelligi de necessitate absoluta, sed  
 ordinaria; infantes tamen ejusmodi sine  
 Baptismo decedentes salvati, quia  
 1. non sunt contemptores Baptismi,  
 contemptum autem, ut ait Bernardus  
 ep. 57. Sacramenti, non privationem  
 damnare 2. quia per preces parentum  
 & Ecclesiæ Deo offeruntur. 3. Quia  
 de benevolo Dei erga ipsos affectu ex-  
 stant promissiones Gen. 17. v. 7. Matth. 18.  
*Hist. Eccles. Tom. LXXIII.* G v. 14.

Sæc. XVIII. vers. 14. Marc. 10. v. 14. Joan. 6. v. 37.  
 A. C. 1729. 4. Quia Christus infantum adhuc in  
utero clausorum Salvator est. 5. Quia  
 Deus ad media ordinaria non est alli-  
 gatus, sed extraordinarie in commo-  
dūm infantum agere potest. 6. Quia  
 Infantes Israelitici ante circumcisionem  
 mortui salvabantur. 7. Quia latro in  
 Cruce, Martyres, Catechumeni sine  
 Baptismo salutem consecuti sunt. 8.  
 Quia Christus quidem dixit: *Qui cre-  
 diderit & baptizatus fuerit &c.* non au-  
 tem addidit: Qui non crediderit, nec  
 Baptizatus fuerit, damnabitur. Id  
 quoque probari ex S. Thoma p. 3. q. 68.  
 art. 2. *Pueri*, inquit, in *uteris maternis*  
*non possunt subjici actioni humanæ*, ut *Sa-*  
*cramenta recipient*, *possunt tamen subjici*  
*actioni Dei*, idem testari Gersonem serm,  
 de Nat. Mariæ, Suarezium tom. 3.  
 p. 190. Tannerum tom. 4. Theol. disp. 4.  
 q. 3. dub. 1.

Frivolas horum rationes Catholici  
 nullo negotio confutarunt, observan-  
 tes, eos in sui abusus præsidium non-  
 nisi Lutherum, Gerardum, Bechman-  
 num &c. quorum tamen testimonium  
 in re tanti momenti nullius fidei esset,  
 allegasse, nil tamen ex S. literis pro-  
 basse, cum tamen ipsi nil credant,  
 nisi quod clare in S. literis continere-  
 tur: falso etiam adduci D. Thomam

ad

ad 4. cum hic diserte dicat, *subjectum Baptismi esse etiam nondum baptizatum,* Sæc. XVIII.  
A. C. 1729.

*qui tamen potest in corpore suo tangi aqua baptismali:* Ineptam quoque esse illationem ex textibus S. Scripturæ extortam, sicut enim infans cum toto corpore ex utero prodiens, absolute natus, & capax est regenerationis, ita & infans natus secundum quid est natus simpliciter, proin capax regenerationis: nec ad extraordinaria remedia, præsentibus ordinariis esse recurrendum, extraordinarium autem, & nunquam factum esse, ut Deus in lege gratiæ, in qua Baptismus est remedium ordinarium, parvulum extra Martyrium sine Baptismo salvarit, verba igitur S. Augustini & Isidori intelligenda esse de iis, qui nequidem secundum aliquam partem nati sunt, futilem autem esse distinctionem inter necessitatem absolutam, & ordinariam Baptismi, ubi verba Joannis 3. v. 5. absolute statuunt, neminem posse in Regnum Dei introire, nisi renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto. Bernardum autem loqui de contemptu adultorum, de infantibus autem ibidem afferere, eos, si absque Baptismi perceptione moriantur, salutem non consequi: nec ullo S. Scripturæ textu probari, quod infantes, si per preces Parentum & Ecclesiæ

**Sæc. XVIII.** Deo offeruntur, sine Baptismo salven-  
**A. C. 1729.** tur; sicut ergo vi pacti Gen. 17. v. 7.  
 & 10. & 14. promissionum Divinarum  
 non erant capaces incircumcisi, ita  
 Regni Divini non sunt capaces, nisi  
 Baptizati; Baptismus enim successit in  
 locum circumcisionis: perperam au-  
 tem inferri, 1. Christum esse Salvato-  
 rem infantum in utero clausorum,  
 ergo sine Baptismo salvantur, sicut  
 male ita inferretur: Christus est  
**Salvator omnium hominum**, ergo om-  
 nes sine bonis operibus salvantur. 2.  
 Deum mediis ordinariis juxta Gerso-  
 nem non alligatum posse infantem sine  
 Sacramento sanctificare, ergo actu *san-  
 tificat*. 3. infantes Israeliticos ante  
 circumcisionem mortuos esse salvatos,  
 S. Literis non esse consonum. 4. Male  
 inferri, aliquos sine Baptismo fluminis,  
 per Baptismum fluminis aut sanguinis  
 fuisse salvatos, ergo infantes, cum  
 Baptismum suscipere possent, sine Ba-  
 ptismo fluminis salvantur.

Ineptam quoque esse argumentatio-  
 nem ex textu Marci 16. v. 16. sequere-  
 tur enim, adultum posse salvari vel sola  
 fide sine omni Baptismo, quod est  
 Calvinianum, vel salvari solo Baptis-  
 mo, quod est contra Apostolum Hebr.  
 11. v. 6. vel requiri simul fidem & Ba-  
 ptismum, tunc autem necessario sequi,  
 infan-

infantem sine Baptismo salvari non pos-  
se, veram ergo esse antithesin hauc, qui A.C. 1729.  
*non crediderit, aut non baptizatus fuerit,* ~~condemnabitur.~~

Ponderatis utrinque rationibus Si-  
lesiensis Curiæ Præfectus die decima  
quarta Septembris Anno 1731. ad Vo-  
lavienses edictum transmisit, vi cuius  
Lutheranis Obstetricibus injunctum,  
ut infantibus ex integro non natis, si  
pars sacro fonte ablui potest, Baptis-  
mum conferant, eo quod nec ex Con-  
fessione Augustana, nec ex ejus apo-  
logia vel libro Concordiæ constet, id  
Lutheranis esse prohibitum.

### §. XXIII.

*Ordo Equestris S. Georgii a Carolo  
Alberto Bavariæ Electore  
restauratus.*

Sub idem tempus Carolus Albertus  
Bavariæ Elector Monachii Ordinem  
Equestrem sub tutela S. Georgii ad de-  
fensionem immaculatæ Conceptionis  
B. V. M. a suis Majoribus institutum &  
postea injuria temporum, bellorumque  
intermissum, annuente summo Ponti-  
fice, cuius Breve Apostolicum Scarlat-  
tus Abbas detulerat, restauravit, eum-  
que pluribus, iisque amplissimis privi-  
legiis auxit: Statuta illius erant præ-  
cipua,

Sæc. XVIII cipua, ut omnes Equites Religione  
A. C. 1729 essent Catholici, fidem Catholicam,  
atque Ecclesiam Romanam pro viribus  
tuerentur, Viduis ac pupillis opem &  
patrocinium impenderent, cunctis Christia-  
nis virtutibus studerent, ac senten-  
tiam de immaculata Conceptione B. Vir-  
ginis Mariæ strenue propugnarent.  
Tessera vero hujus Ordinis erant hæc  
verba: *In fide, iustitia & fortitudine:*  
nec admittebantur ad hunc Ordinem,  
nisi qui generis sui nobilitatem a tri-  
ginta duobus suæ profapiæ Majoribus  
continuata serie comprobare possent,  
ita, ut nequidem Magnus Magister,  
qui semper ipsemet Serenissimus Elector  
esset, in eo dispensare valeret: Die igit-  
tur vigesima quarta Aprilis Monachii  
in Ecclesia Collegiata B. V. (\*) festiva  
habebatur hujus Ordinis institutio, ubi  
Pontificii Commissarii partes agebat  
Clemens Augustus Archiepiscopus &  
Coloniensis Elector, qui assistentibus  
quamplurimis Prælatis atque Abbati-  
bus sacrum solemne peragebat. Elige-  
bantur eo die tres Magni Piores, sex  
Equites magnæ Crucis, octo Commen-  
datores, & sex Equites, quibus die  
octava

(\*) Hanc Ecclesiam jam circa annum Do-  
mini 1482. in honorem immaculatæ Con-  
ceptionis dedicatam fuisse referunt Scriptores.

octava Decembris præter alium magnæ  
Crucis Equitem adhuc alii novem Com-  
mendatores adjungebantur.

Sæc. XVIII.  
A.C. 1729.

### §. XXIV.

#### *Motus contra Lectiones de S. Grego- rio VII. Papa concitati.*

Jam anno Christi millesimo quingen-  
tesimo octogesimo quarto Grego-  
rius XIII. in Martyrologio Romano a  
se emendato memoriam fieri jussérat  
S. Gregorii VII. Pontificis cum hoc e-  
logio: *Salerni Depositio Beati Gregorii Papæ  
septimi, Ecclesiasticæ libertatis Propugna-  
toris, ac defensoris acerrimi.* Non de-  
erant, qui honorifica hac mentione stu-  
diose Henrici IV. Imperatoris exaucto-  
rationem in memoriam ideo revocari  
criminabantur, ut eo facilius Henri-  
cus IV. Navarrae Rex a Franciæ folio  
arceri posset. Horum tamen cavillatio  
adeo tum flocci habebatur, ut ipse e-  
tiam Paulus V. Pontifex anno nono  
sæculi decimi septimi primum indulge-  
ret, ut ejus festum publico cultu ce-  
lebraretur, ac de eo Officium cum pro-  
priis Lectionibus & oratione a Salerni-  
tano Clero, id præcipiente Joanne Bel-  
trano de Gueverra Archiepiscopo Sa-  
lernitano, recitaretur, ipsis etiam Flo-  
rentinis ac Senensibus pari cultu hunc

Sæc. XVIII. S. Pontificem venerantibus. Postea  
A. C. 1729, Alexander VII. idem officium in  
omnibus Romanæ Urbis Basilicis, &  
Clemens XI. Annis 1704. & 1705. ad  
Gabrielii Cardinalis preces a Cister-  
ciensibus, necnon Anno 1710. a Bene-  
dictinis recitari voluit. Tandem vero  
Benedictus XIII. hoc ipsum Officium ad  
omnes utriusque sexus Clericos tam  
sæculares, quam regulares extendit:  
Eo fine Tedeschio, qui tum S. Congre-  
gationi Rituum a secretis erat, in man-  
datis dedit, ut decretum conficeret,  
vi cuius hoc officium Romano Brevia-  
rio infereretur, omnesque Clerici in uni-  
versa Ecclesia Officium, scilicet ora-  
tionem & proprias tres lectiones se-  
cundi, ut vocant, *Nocturni* recitare  
tenerentur. Edito hoc decreto in va-  
riis Provinciis juxta Romani exempla-  
ris normam quatuor paginis impressum  
divulgabatur hoc Officium, in cuius  
secunda lectione hæc legebantur verba:  
*contra Henrici Imperatoris impios conatus*  
*fortis per omnia Athleta impavidus per-*  
*mansit, seque pro muro Domui Israël po-*  
*nere non timuit, ac eundem Henricum in*  
*profundum malorum prolapsum, fidelium*  
*communione Regnoque privavit, atque sub-*  
*ditos populos fide ei data liberavit. Quæ*  
*tamen verba in Officio, quo sub Ale-*  
*xan-*

xandro VII. Romanæ Urbis Basilicæ Sæc. XVIII.  
utebantur, non erant contenta. A. C. 1729.

Vix hoc folium Gallici Regni fines attigerat, cum illico quædam Franciæ Parlamenta se se ei opponerent, ac Regiam auctoritatem, Regni jura & Ecclesiæ Gallicanæ libertates lædi vociferarentur. Præcesserat ceteris Parisiense, quod paulopost Metense & Burdegalense & Britannicum sequabantur. Verum intempestivos horum ausus Cardinalis Fleuryus primus Regis Administer suppressit, dum hanc temeritatem eis acriter exprobrans, inhiberet, ne hac in re quicquam. in consulo Rege, attentaretur: Insuper supremus Regni Cancellarius ad omnes Parliamentorum Præsides rescripsit, vetuitque, ne ipsorum Procuratores sub obtentu conservandæ libertatis Gallicanæ contra Gregorii VII. Officium reclamarent, quin prius Regis consensum obtinuissent.

### §. XXV.

*Quorundam Franciæ Præfulum op-  
positio contra præfatam  
Officium.*

Hoc interdicto parumper refrænabatur Parliamentorum audacia, quæ tamen novis viribus aucta est, dum

G 5                      appro-

Sæc. XVIII. approbantis, imo & jubentis Cleri au-  
 A. C. 1729. etoritas accessit. Hoc enim anno die  
 vigesima quarta Julii Carolus Gabriel  
 de Levy de Caylus Antissiodorensis Epi-  
 scopus palam Instrunctionem Pastoralem  
 contra dictum Officium divulgavit, in  
 qua præprimis ex S. Litteris ostendere  
 nitebatur, nec Regnum Christi, nec  
 Regnum Ecclesiæ esse de hoc mundo,  
 Cæsari dandum esse, quod Cæsar,  
 Christianos circa temporalia Principi-  
 bus Idololatricis plene fuisse subjectos,  
 ac Christianam Religionem, si sibi po-  
 testatem in temporalia arrogasset, Prin-  
 cipibus fuisse exosam, proin profanam  
 potestatem esse omnino distinctam a  
 sacra, ejusque fine, qui non alias esset,  
 quam homines ad Regnum Cælorum,  
 salvis legibus profanis, conducere; pri-  
 mum autem ex Pontificibus extitisse  
 Gregorium VII. qui Reges exauktorare,  
 eorumque Regna aliis tradere ausus  
 fuisset; injustam tamen hanc usurpa-  
 tionem Verbo Divino, SS. Patribus,  
 Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus, Regni  
 juribus, Status & patriæ legibus maxim-  
 opere adversam esse, & tamen velut  
 eminentis sanctitatis, qua Gregorius  
 VII. effulsiisset, specimen commendari  
 ab obscuro dicti Officii Authore, hunc  
 quoque non advertisse, quod hos au-  
 sus in Gregorio approbans, Principes  
 Aca-

Acatholicos adhuc magis ab Ecclesia segregaret, aliis vero Catholicæ Ecclesiæ unitis justam diffidentiam instilaret, ac denique ipsum Deum, pacis Auctorem redderet Auctorem facinoris ad invehendam rebellionem aptissimi; id patere ex eo, quod in Lectione VI. legeretur, *visam esse columbam e cælo delapsam ejus humeris insidere, ac significari, illum Spiritus Sancti afflatu duci in Regnino Ecclesiæ, ac in oratione exprimi, quod Deus illum pro tuenda Ecclesiæ libertate virtute constantiæ roborarit.* Denique hic Episcopus, ut omnem (prout ajebat) adimpleret justitiam, & Regi nova suæ fidelitatis ac Zeli specimina daret, simulque sacratæ ejus Personæ securitati, Regnique tranquillitati prospiceret, malaque ex principiis in hoc officio stabilitis præveniret, omnibus & singulis suæ Diœcesis Ecclesiasticis inhibuit, ne præfatum Officium vel publice, vel privatim recitarent &c. Ejusdem ferme tenoris erant Instructiones Caroli Joachimi Colbert de Croissy Montpeſſulani, necnon Metensis Episcoporum, horum tamen prior insuper die 31. Decembris epistolam ad Regem dedit, in qua quicquid virulentum ex cogitari posset, contra Gregorii VII. officium pleno alveo effudit.

## §. XXVI.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1729.

§. XXVI.

*Horum Præfulum Instruções a Be-  
nedicto XIII. Papa proscriptæ.*

Postquam Romæ horum trium Episcoporum oppositio innotuerat, summus Pontifex eorum scripta a pluribus Cardinalibus, ac Theologis examinari jussit, ac tandem ad eorum relationem, maturamque deliberationem Instruções Antissiodorensis Episcopi die decima septima Septembbris, Episcopi Metensis die octava Octobris, ac denique Montpeſſulani proscriptis edito hoc decreto: „Cum ad Apostolatus nostri „notitiam pervenisset, in vulgus cir- „cumferri quædam folia Gallico idio- „mate typis impressa sub titulo. Man- „dement de Monſeigneur l'Eveque &c. „Nos quamplures ex venerabilibus Fra- „tribus nostris sanctæ Romanæ Eccle- „siæ Cardinalibus, aliosque sacrae „Theologiæ Magistros ad illorum exa- „men delegimus, qui post maturam eo- „rumdem foliorum discussionem, quid „sibi ea super re videretur, Nobis retu- „lerunt. Auditis itaque memorato- „rum Cardinalium, & in sacra Theo- „logia Magistrorum sententiis, de Apo- „stolicæ potestatis plenitudine, Ordi- „nationes in præfatis foliis contentas, „nul-

„ nullas, inanes, invalidas, irritas, Sæc. XVIII.  
 „attentatas, nulliusque omnino robo- A C. 1729.  
 „ris, & momenti esse, & perpetuo  
 „fore vi præsentium declaramus.

„Et nihilominus ad majorem cau-  
 „telam, & quatenus opus sit harum  
 „seriem revocamus, cassamus, irrita-  
 „mus, annullamus, viribusque & ef-  
 „fectu penitus & omnino vacuamus,  
 „ac pro revocatis, cassatis, irritis,  
 „nullis, invalidis, & abolitis, viribus-  
 „que, & effectu penitus omnino va-  
 „cuis semper haberi volumus, & man-  
 „damus; folia vero prædicta tam im-  
 „pressa, quam etiam manuscripta legi,  
 „seu retineri tenore pariter præsentium  
 „prohibemus, illorumque impressionem,  
 „descriptionem, lectionem, retentio-  
 „nem, & usum omnibus, & singulis  
 „Christifidelibus, etiam specifica, &  
 „individua mentione, & expressio-  
 „ne dignis, sub poena excommuni-  
 „cationis per contrafacentes ipso facto  
 „absque alia declaratione incurrenda,  
 „a qua nemo a quoquam, præterquam  
 „a Nobis, seu Romano Pontifice pro  
 „tempore existente, nisi in mortis ar-  
 „ticulo constitutus, absolutionis bene-  
 „ficium valeat obtinere, omnino quo-  
 „que interdicimus. Volentes, & au-  
 „toritate Apostolica mandantes, ut  
 „quicunque folia hujusmodi penes se  
 „ha-

Sæc. XVIII. „habuerint, illa statim atque præsentes  
 A. C. 1729. „literæ eis innotuerint, locorum Or-  
 „dinariis, vel hæreticæ pravitatis In-  
 „quisitoribus tradere, atque consig-  
 „nare teneantur; hi vero ea sibi sic  
 „tradita illico flammis aboleri current;  
 „in contrarium facientibus non obstan-  
 „tibus quibuscumque.

§. 3. Ut autem eædem præsentes  
 „literæ ad omnium notitiam facilius  
 „perveniant, nec quisquam illarum  
 „ignorantiam allegare posse, volumus  
 „etiam, & auætoritate præfata decerni-  
 „mus, ut illæ ad Valvas Basilicæ Prin-  
 „cipis Apostolorum, ac Cancellariæ  
 „Apostolicæ, Curiæque generalis in  
 „Monte Citorio, & in acie Campi  
 „floræ de Urbe per aliquem ex Curso-  
 „ribus nostris, ut moris est, publi-  
 „centur, illarumque exempla ibidem  
 „affixa reliquantur, & sic publicatæ  
 „omnes & singulos, quos concernunt,  
 „perinde afficiant, ac si unicuique illo-  
 „rum personaliter notificatæ, & inti-  
 „matæ fuissent.,,

### §. XXVII.

*Quorumdam motus contra hoc Pon-  
 tificis Breve.*

Quamprimum hæc Benedicti XIII.  
 censura in Franciam erat delata,  
 mox

mox Abbas Pucella ad supremam Parisiensis Parlamenti Curiam die prima Decembris Breve Pontificium detulit, quod tamen supremus Praeses accipere renuit, caussatus, illud esse redendum Regii Juris Cognitoribus; ad hos enim spectare illius denuntiationem: Altera autem die, cum idem Parlamenti Praeses & Procurator Generalis Aulam accederent, Fleuryus Cardinalis, Cancellarius & Regii Sigilli Custos utriusque acriter exprobrabant, quod hac in causa, nec petitio nec expectatio Regis mandato, sententiam pronuntiare ausi fuissent, nil ergo ultra hac in re attentarent: Percepto hoc responso Antissiodorensis Episcopus contra Pontificis Breve Parlamenti opem implorare statuit, suique libelli supplicis ideam Regiae Curiæ Advocatis tradidit, in eoque exposuit, suæ Instructionis proscriptione injuriam suæ Personæ, profapiæ ac dignitati inferri: Pontificis autem Breve eo tendere, ut Papa immediatam jurisdictionem in universam Ecclesiam exercendi, & cuiusdam Franciæ Episcopi, nec auditio nec admoniti Personam & doctrinam dijudicandi auctoritatem sibi arrogaret; id enim inde patere, quod doctrinam in instructione contentam flammis dignam censuisset, proin sibi integrum esse crederet,

Sæc. XVIII.  
A. C. 1729.

Sæc. XVIII. deret, de sceptris, & Regnis omnium  
A.C. 1729. Principum pro arbitrio disponere, eo-  
rumque subditos a fide eis debita libe-  
rare, aliunde vero hoc Breve non mi-  
nus æquitati naturali, quam S. Cano-  
nibus in Regno receptis, Ecclesiæ Gal-  
licanæ libertatibus, Regum statutis &  
sacratis Episcopatus juribus aduersari,  
jure ergo se ab hoc Brevi ad Parlamen-  
tum appellare &c. Hanc ideam qua-  
draginta circiter Advocati die 4. Febr.  
Anno 1730. approbarunt, existimantes,  
a Clemente XI. hanc Quesnelli propo-  
sitionem: *Excommunicationis injustæ me-  
tus nunquam debet nos impedire ab imple-  
do debito nostro*, ideo fuisse proscriptam,  
ut Pontifices injecto excommunicatio-  
nis metu Principes exauctiorare &c.  
libere possent. Horum igitur judicio  
confusus Antissiodorensis Episcopus, una-  
cum Advocatorum consultatione suum  
libellum de interposita appellatione per  
Pucellam Abbatem die 8. Febr. Parla-  
mento tradidit, quod etiam edito de-  
creto hoc scriptum ad acta retulit. Hæc  
autem agendi ratio tantopere Cardina-  
lem Fleurium offendit, ut mox Parla-  
menti Præfidi, ceterisque Curiæ Mi-  
nistris inhiberet, ne hac in re ulterius  
procederent, cunctaque silentio invol-  
verent. Hi vero, ne focordiæ labem  
sibi apud vulgus conciscerent, suppli-  
cabant,

cabant; ut contra Romana Brevia saltem simplex suppressionis edictum promulgare permetterentur. Verum eorum precibus unice datum est, ut Abbas tanquam privatus homo hoc scriptum traderet juris Regii Cognitoribus, hique desuper deliberarent: Nihilominus tamen Antissiodorensis Episcopus hocce Advocatos tanquam *illuminatissimos ac generosos veritatis Defensores* praedicabat, eosque officia gratiarum actione honorabat.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1729.

### §. XXVIII.

*Pontificis constitutio contra Parlementorum edita, & gesta adversus decretum de Officio S. Gregorii VII.*

Interea temporis in variis Franciæ Provinciis adversus Pontificium decretum, quo Officium de S. Gregorio VII. recitari præceptum est, tot tamque virulenta edicta & scripta in vulgus disseminabantur, ut tam effræni licentiæ obicem ponere, summus Pontifex necessarium duceret. Habito igitur cum Cardinalibus consilio cuncta hæc decreta & scripta damnare, eaque tanquam irrita & nulla declarare statuit, hancque in rem die decima nona *Hist. Eccles. Tom. LXXIII.* H De-

**Sæc. XVIII.** Decembris sequentem promulgavit  
 A. C. 1729. Constitutionem. „ Cum ad aures no-  
 „ stras pervenerit, nonnullos Magistra-  
 „ tus, seu Officiales & Ministros fæcu-  
 „ lares quibusdam Edictis, Decretis,  
 „ Senatus consultis, Præceptis, Man-  
 „ datis, aut id genus, aliisve quocum-  
 „ que nomine nuncupatis ordinationi-  
 „ bus, seu Provisionibus adversus de-  
 „ cretum extensionis ad universos Chri-  
 „ stifideles, qui ad horas Canonicas  
 „ tenentur, officii S. Gregorii Papæ VII.  
 „ quod prius ex Indultis fe. re. Pauli V.  
 „ Clementis X. Alexandri VIII. & Cle-  
 „ mentis XI. Romanorum Pontificum  
 „ Prædecessorum nostrorum in pluribus  
 „ jam Christiani Orbis Ecclesiis passim  
 „ recitabatur, atque publice, & solem-  
 „ niter celebrabatur, a Nobis ad au-  
 „ gendum cultum *S. Pontificis & Con-*  
 „ *fessoris*, qui in extirpandis erroribus,  
 „ Ecclesia disciplina restituenda, & in-  
 „ struenda corruptisque moribus refor-  
 „ mandis strenue, ac indefesse elabora-  
 „ vit, novissime editum insurrexisse.  
 „ Hinc est, quod nos ex debito Pa-  
 „ storalis officii, quod humilitati no-  
 „ stræ, meritis licet, & viribus longe  
 „ impari, commisit divina dignatio,  
 „ nostram, & Ecclesiasticam auctorita-  
 „ tem a perniciosis hujusmodi laicorum  
 „ conatibus illæsam; & illibataam tueri,  
 „ &

„ & conservare volentes, necnon om- Sæc.XVIII.  
 „ nium, & singulorum, quæ in præ- A.C. 1729.  
 „ missis, seu eorum occasione quovis  
 „ modo, acta, & gesta fuerunt, seriem,  
 „ aliave quæcumque etiam specificam,  
 „ & individuam mentionem, & expre-  
 „ sionem requirentia, præsentibus pro  
 „ plene, & sufficienter expressis, & ex-  
 „ acte specificatis habentes, de quam  
 „ plurium venerabilium fratrum nostro-  
 „ rum S. R. E. Cardinalium consilio,  
 „ Edicta, Decreta, Senatus consulta,  
 „ Præcepta, Mandata, & quasvis alias  
 „ quocumque nomine nuncupatas ordi-  
 „ nationes, sive provisiones per Magi-  
 „ stratus, etiam supremos, seu officia-  
 „ les, & Ministros Sæculares, aut a-  
 „ lias a quacumque laicali potestate,  
 „ ejusque nomine adversus Decretum  
 „ extensionis Officii ejusdem S. Gregorii  
 „ Papæ VII. per Nds sicut præmittitur,  
 „ editum quomodocumque, & ubicum-  
 „ que, promulgata, & promulgatas ac  
 „ quævis alia in præmissis, seu eo-  
 „ rum occasione, & quomodolibet  
 „ acta, gesta, & ordinata, cum omni-  
 „ bus, & singulis inde secutis, & for-  
 „ san quandocumque secuturis penitus,  
 „ & omnino nulla, inania, invalida,  
 „ irrita, & de facto præsumpta, nul-  
 „ liusque prorsus roboris, & momenti  
 „ esse, & perpetuo fore, Apostolica au-

Sæc. XVIII. „ctoritate tenore præsentium decla-  
A. C. 1729. „ramus. „

„ Et nihilominus ad majorem cau-  
„ telam, & quatenus opus sit, illa om-  
„ nia, & singula harum serie itidem  
„ perpetuo revocamus, cassamus, irri-  
„ tamus, annullamus, & abolemus, vi-  
„ ribusque, & effectu penitus, & om-  
„ nino vacuamus, ac pro revocatis,  
„ cassatis, irritis, nullis, invalidis, &  
„ abolitis, viribusque, & effectu peni-  
„ tus, & omnino vacuis semper haberi  
„ volumus: sicque & non aliter in præ-  
„ missis per quoscumque judices ordi-  
„ nariorum, & delegatos, etiam caussa-  
„ rum Palatii Apostolici Auditores, ac  
„ S. R. E. præfatæ Cardinales etiam de-  
„ latere Legatos, aliosve quoslibet qua-  
„ cumque præminentia, & potestate  
„ fungentes, & functuros, sublata eis,  
„ & eorum cuilibet quavis aliter judi-  
„ candi, & interpretandi facultate, &  
„ auctoritate, judicari, & definiri de-  
„ bere; ac irritum, & inane, si secus  
„ super his a quoquam quavis auctori-  
„ tate scienter, vel ignorantiter contige-  
„ rit attentari, decernimus, in contra-  
„ rium facientibus non obstantibus  
„ quibuscumque. „

## §. XXIX.

Sæc.XVIII.  
A. C. 1729.*Antissiodorensis Episcopi epistola ad  
Franciæ Regem contra Breve  
Pontificis.*

**H**æc Pontificis censura Antissiodorensem Episcopum a prosequenda sua oppositione adeo non absterruit, ut etiam suam agendi rationem apud Ludovicum XV. Franciæ Regem vindicare, & adversus Papæ judicium palam obstrepere non reformidaret: Die igitur undecima Februarii Anno 1730. querulas ad eundem dedit literas, in quibus jactitabat, se ex Franciæ Præfulibus primum esse, qui adversus novas Curiaæ Romanæ opiniones de jure exauctiorandi Reges &c. palam insurrexit, ad exerendum hunc Zelum se extrema necessitate compulsum ajebat; si enim lethale vulnus, quod quatuor articulis Cleri Gallicani Anno 1682. editis per hoc Officium infligitur, non curaretur, simplices ac rudes credere possent, Franciam tandem rejecta horum articulorum doctrina, in summo Pontifice agnoscere jus exauctiorandi Reges, subditosque a fidelitatis juramento absolvendi. Nec malis inde orituris Parisiense Parlamentum occurrendo par esse, sed Episcopali ministerio opus

H 3                   fuisse

Sæc. XVIII. fuisse ad dissipanda dubia, quæ in si.  
A. C. 1729. delibus de legitima sacerdotalis potestatis  
auctoritate pro decidenda Religionis  
causa nasceretur, ac propterea quam-  
plurimos, eosque dignissimos Parisini  
districtus Parochos contra hoc officium  
apud suum Archiepiscopum questos  
fuisse, ipsumque suam epistolam pasto-  
ralem edere fuisse compulsum. His  
præmissis fusi exponebat, quam gra-  
vis injuria sibi & sacerdoti Regni juribus  
fuisset illata: exaggerabat etiam dam-  
na ex Pontificio decreto emergentia,  
necnon Romanæ Curiæ artes, per quas  
doctrinam de Regum exauctoratione  
in Officium ab omnibus Clericis recitan-  
dum eo fine intrusisset, ut hanc op-  
inionem, cum illam Clericorum potis-  
fimi ex Ultramontanorum Theologiis  
haurire non possent, nec vellent, sal-  
tem singulis annis addiscerent, & quod  
Gregorius VII. Henricum IV. exaucto-  
rari, & subditos a fide liberarit, tan-  
quam luculentum Sanctitatis testimo-  
nium deprædicari audirent. Postea  
Episcopus exagitabat Pontificem, quod  
ejus epistolam Pastoralem retineri vel  
legi vetuerit, & illam flammis addici  
jussit: *Quam, obsecro ideam, exclam-  
mat Præsul, sibi formabunt fideles de mea  
instrutione, & de doctrina ibidem tradita?  
quam grave scandalum, dum ab illa Sede  
tam*

*nam iniquum fulmen vibrari cernunt, a qua Sæc.XVIII.  
nonnisi lumen veritatis & charitatis pro- A.C. 1729.  
micare debuisset, quantum periclitatur do-  
ctrina a me propugnata, & a qua Regum  
nostrorum securitas & Regni tranquillitas  
dependet!*

Præterea vehementer querebatur, quod Romana Curia ex Gregorii facto sibi jus in Principes vendicare moliretur, quin prius ex S. Literis & SS. Patribus seposita propriæ utilitatis cura examinarit, an Pontifex potestatem in Principum temporalia a Christo receperit; an hanc doctrinam Christus, Apostoli, ac ipsimet primi Pontifices exercuerint, hanc vero potestatem Pontificibus minime competere, propugnabat Episcopus, hinc acrius expostulabat, quod Curia Romana usurpatum hoc jus per officium S. Gregorii, & per Epistolæ Pastoralis proscriptionem de novo stabilire intenderit; postea per exempla illorum Pontificum, qui Reges exauctorarunt, exaggerare studuit tumultus, cædes, & bella, quæ exinde in Germania, Italia & Francia fuissent exorta. Denique idem Episcopus hanc Ultramontanorum opinionem a Clero Gallico in comitiis congregato penitus extirpatum iri sperat, Regemque precatur, ut Præsulum horum Zelum

Sæc. XVIII & conatus Regio suo favore & auctoritate fulcire velit.  
A.C. 1729.

Hanc in rem idem Præful ad Cleri Gallicani comitia, necnon ad Parisinum Archiepiscopum eorum Præsidem die decima octava Augusti literas dedit, præfatumque Officium suppressi, Iæsumque ipsius honorem vindicari petit. Verum Rex Episcopi literas nequidem aperire dignatus erat, sed omnia exempla epistolæ Pastoralis, quam Episcopus imprimi carabat, typographo subtrahi jussit, & in Parlamento tam de Episcopi libello, quam ejus epistola mentionem fieri vetuit. Quid vero ad ejusdem literas Franciæ Præfules in suis comitiis responderint, postea referemus.

Sub idem quoque tempus Parisiense Parlamentum die vigesima tertia Februarii edictum promulgavit, quo non modo decretum Pontificium de Officio S. Gregorii, ac Brevia contra tres illos Episcopos, sed etiam nuperas literas, quibus Pontifex edita & acta contra præfatum officium irrita declaravit, proscripsit, cunctaque horum exempla ad Curiam deferri jussit, vetuitque, ne ulla decreta, Bullæ aut literæ a Curia Romana emanatae (exceptis Pœnitentiariæ literis) recipiantur, nisi vel accedat Regis licentia, vel illæ ad Parlamenti

nenti tabulas fuerint relatæ. Atta-  
men Cardinalis Fleuryus ad Parlamenti  
Senatores jam die decima octava Fe-  
bruarii literas dederat, in quibus Re-  
gis iussu eis exprobrabat, quod Antif-  
fiodorensis Episcopi patrocinium in fe-  
sulcepissent, & quidem in ea temporis  
vicissitudine, ubi prudentia omnino exi-  
gere videretur, ut dissensionum vulnus  
potius tegeretur & sanaretur, quam irri-  
taretur, demum Episcopus, priusquam  
suam epistolam & libellum divulgaret,  
quid Rex in re tam delicata agendum  
conseret, explorare, & de modo quo se se  
explicaret, juncta cum Rege opera a-  
gere debuisset; de cetero magis adhuc  
indecens esse, quod idem Episcopus  
suum libellum toto Advocatorum ag-  
mine firmare præsumpsisset, ejusmodi  
enim agendi modum potius conjura-  
tionis, quam veri Zeli speciem præse-  
ferre. Aliis vero literis Fleuryus die  
vigesima quarta Februarii primo Prä-  
sidi inhibuit, ne Parlamenti edictum  
per plateas & compita divendi permit-  
teret, eo quod nimis aperte hac ratione  
Pontifici insultaretur, & finistris male-  
volorum interpretationibus, ac tumul-  
tibus anfa præberetur.

Sæc. XVIII.  
A.C. 1729.

Sæc. XVIII.

A. C. 1729.

## §. XXX.

*Fœderatorum Belgarum editum contra Gregorii VII. P. Officium,*

Horum motuum occasione Fœderati quoque Belgii Status suam in Catholicos auctoritatem extendendi ansam arripiuere, & quidem Hollandiæ ac Frisiæ Occidentalis Status die vige sima Septembbris anno sequenti adversus Officium S. Gregorii VII. P. & Constitutionem *Unigenitus* novum decre tum ediderunt, in quo querebantur, „quod Ordines decrieta, quæ circa „Religionis Catholicæ a se ex *speciali benignitate adhuc toleratæ exerci* „tium promulgassent, in certis casibus „neglecta, & tam indigne habita suis sent, ut etiam in Hollandiæ & Frisiæ „Provinciis Gregorii VII. Officium, quod „Romæ Pontificis jussu die 25. Septembris 1728. Breviario Romanæ Ecclesiæ fuit insertum, palam vel separatim vel ad Calcem Breviarii adjice retur, cum tamen in illo magnis laudibus celebretur, quod hic Pontifex Romanum Imperatorem excommunicasset, ejusque subditos a fidei sacramento solvisset. His præmissis addebat, notum esse, quod ex ipsis Catholicis Principibus nonnulli hoc Pon-

Pontificis facinus ceu seditiosum & publicæ tranquillitati adversum reprobarint, ac propterea præfatum Officium tanquam perniciosum in suis Regnis & Provinciis nullatenus esse tolerandum censuerint: compertum insuper haberi, quod omne studium in id impendatur, ut famosa Constitutio *Unigenitus* inter Catholicos in his Provinciis ac in Belgio foederato morantes invehatur, & *velut Regula fidei* tam integre acceptetur, ut nequidem inde expungantur ea, quæ tamen non modo Protestantæ, sed plures etiam Catholicæ tam generis nobilitate, quam officii dignitate conspicui haud immerito Principum paci & securitati adversa esse censuissent.

Sæc.XVIII.  
A.C. 1729.

Hoc ipsum in Batavorum oculis tam enorme erat piaculum, ut pro conservanda communi tranquillitate, & Principum securitate, necnon pro *Reformata Religione ab insidiis & Romance Sedis auffibus tuenda* præciperent. I. Ne quis præfato officio vel publice vel privatim utatur, secus Sacerdotes tanquam publicæ pacis perturbatores sine ullo status aut nationis habita ratione plectendi, Ecclesiæ vero, Sacella, aliaque loca, in quibus Catholicæ alias ad Religionis suæ exercitia convenire solerent, & hoc officio usi fuerint, per integrum

Sæc. XVIII. tegrum semestre occludenda forent.  
A C 1729. II. Prohibuerunt, ne idem officium  
 vel in Belgio secundis typis edatur,  
 vel alibi impressum ibi vendatur, aut  
 distrahatur, vel separatim vel ad finem  
 Breviarii aut aliorum Catholicæ ritus  
 librorum adjiciatur, sed deinceps in  
 Breviariis recens imprimendis omnino  
 omittatur, indicta transgressoribus pœ-  
 na mille florenorum, quorum media  
 pars officialibus, altera vero Delatori-  
 bus cedat: Præter hanc multam in-  
 super statuerunt, ut si quis hoc edictum  
 violaverit, cunctis Catholicis nego-  
 tiandi jus penitus sit interdictum.

Huic Calvinistarum edicto jamjam  
 præcinuerat Jansenianus Ultrajecten-  
 sis Archiepiscopus Cornelius Joannes  
 Steenhoven, qui die duodecima Maij  
 1730. promulgato per Diæceses e-  
 dicto, officium Gregorii VII. tam publice  
 quam privatim recitari omnibus ad ho-  
 ras Canonicas obstrictis inhibuit: Si-  
 mulabat, se non sine magna molestia,  
 & nonnisi resistente calamo hoc edictum  
 scribere; procul enim a se esse, ut un-  
 quam debitæ erga S. Sedem reveren-  
 tiæ oblivisceretur, aut in Successoribus  
 D. Petri reprehenderet, si forte a recto  
 veritatis Evangelicæ tramite deviarent;  
 Episcopalis autem muneris esse, præ-  
 cavere, ne in publicis precibus quic-  
 quam

quam fidei contrarium immisceretur, Sæc. XVIII.  
 in officio autem Gregorii VII. legi, A. C. 1729.  
 quod potestatem in Reges exercuisset, id autem esse contrarium institutioni  
Christi, qui ejusmodi potestatem in ter-  
ris nunquam exercuisset, nec eam suæ  
Ecclesiæ reliquisset, esse contrarium E-  
vangelio, perturbare pacem, & Acatho-  
licos adhuc magis ab unione absterrere  
&c. Ut ergo, ajebat iste Præful, di-  
 stinctionem utriusque potestatis defen-  
 deret, & civili potestati independen-  
 tiæ a Sacra assisteret, ac foederatis  
 Statibus, utpote suis Superioribus in-  
 violatae fidelitatis specimen daret, se  
 ad proscribendum hoc officium, fuisse  
 adactum &c. Hoc quippe sibi sola-  
 men habent hujus sectæ Viri, ut se im-  
 moto nexu Sedi sacræ, ejusque Apo-  
 stolicæ auctoritati addictos verbis pro-  
 testentur, opere autem hanc ipsam  
 auctoritatem totis viribus impuguent.

### §. XXXI.

#### *Funestum P. Courayeri fatum.*

Dissertationem, quam P. Courayerus *Vid. supra*  
 de validis Anglorum ordinationi- *tom. 71.*  
 bus ediderat, a Clero Gallicano & Pa- *pag. 513.*  
 risiensi Archiepiscopo Cardinale Noail- *& tom. 72.*  
 lio fuisse proscriptam, jam supra me- *pag. 519.*  
 minimus: supereft ut hujus contro-  
 versiæ

**Sæc. XVIII.** versiæ exitum, & infaustam præfatam  
A. C. 1729. Patris sortem referamus: Postquam  
igitur supremus Congregationis Cano-  
nicorum S. Genovefæ Præpositus illum  
ad quemdam Conventum prope oppi-  
dum S. Germani in Laia eo fine, ut ab  
Anglorum commercio remotior esset,  
transmigrare jussérat, ipse non modo  
doctrinam Catholicam, quæ in Noaillii  
instructione tradebatur, approbabat,  
sed etiam errores ibidem damnatos,  
ipsasque perversas assertiones in libris  
suis contentas rejicit, declaravitque,  
se magno affici dolore, quod suis scri-  
ptis tam gravem præbuisset offensionem.  
Attamen ejus submissionem nonnisi si-  
mulatam fuisse, multiplici argumento  
apparuit; præprimis enim frequens ei  
erat cum Anglis Protestantibus con-  
versatio, suosque errores contra Noail-  
lium, Abbatem suum, Pelleterium,  
Trevoltienses, aliosque, qui ipsum im-  
pugnabant, pertinaciter defendit, no-  
vosque errores accumulavit: demum  
vero die duodecima Januarii ad Noail-  
lium Cardinalem literas dedit, in qui-  
bus proximam suam a fide Catholica  
defectionem haud obscure prænuntia-  
bat; Paulopost Noaillus suo Officiali  
in mandatis dedit, ut contra ipsum  
judicij acta instrueret: Hæc subodora-  
tus Courayerus, die decima nona ejus-  
dem

dem Mensis cum duobus Anglis & Sæc. XVIII.  
 Valle - polo maritimæ rei Præfecto Ca- A. C. 1729.  
 letum ac inde in Angliam aufugit, ea-  
 demque die literas arrogantia tumi-  
 das ad suum Generalem Caleto trans-  
 misit, quibus perfectis Præpositus die  
 trigelima Januarii contra hunc Patrem  
 sententiam pronuntiavit, quæ postea  
 typis impressa prodiit; Hic vero trans-  
 fuga paulo post datis ex Anglia literis  
 Cornelio Barchmano Ultrajectensi Pseu-  
 do-Archiepiloco sua detulit obsequia,  
 ab eoque re ipi rogavit. Verum hic  
 Præful eidem rescripsit, ipsius libros  
 continere perveriam adeo doctrinam,  
 tamque Calvinistis consonam, ut ipsum  
 suo Clero aggregare, nefas foret: Ea-  
 propter Anglorum benevolentiam de-  
 mereri coactus, potentis Amici patro-  
 cinio obtinuit, ut Oxoniensis Academiæ  
 Professoribus aggregaretur; ubi suos  
 Adversarios acerrimo prorsus stylo ali-  
 quamdiu infectatus est.

Interim vero Pontifex die vigesima  
 quinta Junii Anno 1728. Patris Cou-  
 rayeri dissertationem. ejusque Apolo-  
 giam proscriptis, edita desuper sequenti  
 Constitutione:

„Cum, sicut accepimus, in lucem  
 „prodierint duo libri Gallico idiomate  
 „absque nomine Auctoris seu Auctorum  
 „typis editi, uterque in duos tomos  
 „di-

Sæc. XVIII. „ divisus, unus quidem sub titulo: *Dif-*  
A.C. 1729 „ *fertatio &c, & altera pars eodem ti-*  
 „ *tulo inscripta, Secunde Partie, alias*  
 „ *vero, cui titulus: *Defense des Differ-**  
 „ *tations &c. & altera Pars hoc itidem*  
 „ *postremo titulo inscripta: *Tomo II.**  
 „ *Part II. Nos pro commissa Nobis*  
 „ *ab æterno Pastore gregis sui cura*  
 „ *Dominicas oves, quantum Nobis ex*  
 „ *alto conceditur, a noxiis præservare*  
 „ *cupientes, de nonnullorum ex Ve-*  
 „ *nerabilibus Fratribus nostris S. R. E.*  
 „ *Cardinalibus, qui librorum hujus-*  
 „ *modi relationem, & censuram au-*  
 „ *diverunt, remque mature, & dili-*  
 „ *genter discusserunt, consilio, ac e-*  
 „ *tiam motu proprio, ex certa scientia,*  
 „ *ac matura deliberatione nostris, de-*  
 „ *que Apostolicæ potestatis plenitu-*  
 „ *dine, libros supradictos, & eorum*  
 „ *quemlibet, uti continentes proposi-*  
 „ *tiones fallas, temerarias, seditiosas,*  
 „ *scandalosas, perniciose, piarum au-*  
 „ *rium offensivas, sanctæ Sedis, & Con-*  
 „ *ciliorum auctoritati injuriosas, &*  
 „ *contumeliosas, schismaticas, erro-*  
 „ *neas, Sacrarum Ordinationum, alio-*  
 „ *rumque Ecclesiæ Sacramentorum e-*  
 „ *versivas, & hæreticas respective, sub*  
 „ *superius expressis, aliisve quibus-*  
 „ *cumque titulis, ubicumque, & quo-*  
 „ *cumque alio idiomate, seu quavis*  
     „ *edi-*

„editione, & versione hucusque im- Sæc. XVIII.  
 „pressos, ac manu descriptos, aut (quod A. C. 1729.  
 „ablit) imprimendos, & describen-  
 „dos tenore præsentium damnamus,  
 „reprobamus, ac legi, & retineri pro-  
 „hibemus, illorumque impressionem,  
 „descriptionem, lectionem, & usum  
 „omnibus, & singulis Christifidelibus  
 „etiam specifica, & individua mentio-  
 „ne, & expressione dignis, sub poena  
 „excommunicationis per contrafacien-  
 „tes ipso facto absque alia declaracione  
 „incurrenta, a qua nemo a quoquam,  
 „præterquam a Nobis, seu Romano  
 „Pontifice pro tempore existente, nisi  
 „in mortis articulo constitutus, ablo-  
 „lutionis beneficium valeat obtinere,  
 „omnino interdicimus.

„Volentes, & auctoritate Aposto-  
 „lica mandantes, ut quicumque Li-  
 „bros prædictos, vel aliquem illorum  
 „penes se habuerint, illos, seu illum  
 „statim atque præsentes literæ eis in-  
 „notuerint, locorum Ordinariis, vel  
 „hæreticæ pravitatis Inquisitoribus  
 „tradere, atque consignare teneantur.  
 „Hi vero exemplaria sibi sic tradita  
 „illico flammis aboleri current: In con-  
 „trarium facientibus non obstantibus  
 „quibuscumque. ,

Sæc. XVIII. Nihilominus tamen idem P. Cou.  
A.C. 1729. rayerus hoc anno Amestolodami in  
sui defensionem edidit *relationem histori-  
cam seu apologeticam opinionis suæ una-  
cum documentis, quibus facta in sua differ-  
tatione allegata vindicantur.*

## §. XXXII.

*Benedictus XIII. Papa Beneventum  
profectus.*

Hoc rursus anno Benedictus Pontifex  
Beneventum proficiisci statuit, ut  
hanc Ecclesiam, quam nec in Pontifi-  
cia dignitate constitutus dimiserat, am-  
plis Benevolentiae pietatisque monu-  
mentis locupletaret. Præcesserant Col-  
licola & Coscia Cardinales, qui neces-  
saria Beneventi procurarent: ipse etiam  
Pontifex, cum pia ejus liberalitas jam-  
jam omnem auri suppelleftilem in pau-  
peres profudisset, in pleno Senatu Pur-  
paratis exponere cogebatur, ad itine-  
ris expensas necesse esse, ut ex the-  
sauro in arce S. Angeli reposito quas-  
dam desumeret pecunias: nonnullis  
vero opponentibus, has pecunias non-  
nisi pro extrema necessitate esse eroga-  
das, respondit, etiam Beneventi exi-  
stere pauperes extrema necessitate  
pressos. Igitur die vigesima octava  
Martii Roma profectus, continuato iti-  
nere

nere ad locum pervenit, ubi recens e-  
recta erat Christi Crucis affixi imago. Sæc. XVIII.  
A.C. 1729.  
qua conspecta e curru descendens, ac  
in genua provolutus preces ad Deum  
tanto pietatis ardore effudit, ut ex ad-  
stantium oculis lacrimæ ubertim pro-  
rumperent. Advenerat demum die  
sexta Aprilis Beneventum, ubi non-  
nisi Divinis rebus, & Pastoralibus  
exercitiis incumbens, mirifica gesit,  
ac protulit, Pauperes quotidie aluit  
quamplurimos, eorum pedes lavit, in-  
firmos Sacramentorum administratione,  
solatio & eleemosyna juvit, pueros fi-  
dei rudimenta edocuit. & assiduas ad  
populum habuit conciones, in quibus  
Auditorum animos ad rerum Divina-  
rum amorem, & cultum B. Virginis  
Mariæ mirum in modum inflammat:  
Frequens insuper Divinæ Psalmodiæ  
in choro cum ceteris Canonicis adstitit,  
& Ecclesiam S. Bartholomæi, quam ex-  
pensis sexaginta aureorum millibus ex-  
truxerat, solemni ritu sacravit, necnon  
sancti hujus Apostoli reliquias in eam  
transferri jussit. Denique celebravit ibi-  
dem Synodum Provincialem, ad quam  
non modo Comprovinciales Antistites,  
sed plures etiam Episcopi, qui Pontifi-  
cem secuti erant, ad ferendum suffra-  
gium admittebantur. In illa saluber-  
rimæ leges tam antea, quam in

Sæc. XVIII. præcedentibus duobus Conciliis con.  
A.C. 1729. ditæ, Apostolica auctoritate firmabam-  
tur: plura etiam ex integro fuerunt  
adjecta decreta, quibus Religionis  
incremento, & disciplinæ Ecclesia-  
sticæ, necnon morum emendatio-  
ni tam in Clero quam in populo sa-  
tis prospectum est. Agebatur insuper  
de celebrando Concilio Nationali; cum  
autem Imperator de Sicula Monarchia,  
aliisque rebus minus sibi acceptis ibi-  
dem agendum esse prospiceret, ac pro-  
pterea ejusmodi Synodus sibi haud  
arridere demonstraret, quinimo suæ  
ditionis Præsulibus illuc accedere in-  
hiberet, illius celebratio intermissa est.  
Demum vero Pontifex die vigesima  
Junii Romam reversus, summa om-  
nium aggratulatione & applausu ex-  
cipiebatur.

### §. XXXIII.

#### *Plures Sanctorum Albo a Benedicto XIII. Papa adscripti.*

Inter alia pietatis opera, quibus Be-  
nedictus Pontifex Dei cultum pro-  
movere impense conatus est, haud in-  
finum erat singulare studium, quo vir-  
tutibus ac miraculis insignes debito  
publicoque cultu honorari voluit. Cum  
ergo Cardinales ac Theologi huic ne-  
gotio

gotio præpositi die decima quinta Fe-  
bruarii declarassent, re diu ac mature  
perpensa constare, quod Ven. Dei fa-  
mulus Fidelis a Simaringa Ord. FF.  
Capuccinorum in Rhætia Missionarius  
ab hæreticis mere in odium fidei Ca-  
tholicæ variis tormentis crudeliter  
trucidatus, Martyrii palmam consecu-  
tus sit, ac ipsemet Deus signis ac pro-  
digii rite probatis Apostolici hujus Viri  
sanctitatem manifestarit, proin quan-  
docunque summo Pontifici videretur,  
idem Dei Servus publice Beatorum  
Martyrum Canoni solitis ritibus ad-  
scribi tuto possit, hinc Benedictus  
XIII. proponente Cardinale Cienfue-  
gos die duodecima Martii Constitu-  
tione Apostolica indulxit, ut hic Dei  
famulus imposterum Beati nomine nun-  
cupetur, ejusque Corpus & Reliquiæ  
fidelium venerationi palam exponi,  
ejus imagines radiis exornari, & de-  
mum de eo tanquam Martyre Officium  
& Missa a sui Ordiuis Religiosis cele-  
brari valeat.

Idem Pontifex die undecima Ja-  
nuarii specialem indixit Sacrorum Ri-  
tuum Congregationem, in qua propo-  
nente Cardinale de Althian in Canoniza-  
tionis caufa B. Joannis Nepomuceni  
Pragensis Canonici sequens dubium  
discuti jussit: *An & de quibus miraculis*

Sæc. XVIII.  
A. C. 1729.

Sæc. XVIII. *constet in casu & in effectu Canonisationis?*  
A. C. 1729. Re igitur exacte discussa, atque auditis  
 Cardinalium & Consultorum judiciis  
 Pontifex post fusas ad Deum preces die  
 decima octava ejusdem Mensis ex plu-  
 ribus propositis miraculis sequentia  
 quinque duntaxat approbavit. I. Quod  
 præfati Beati linqua perenniter iucor-  
 rupta permanerit, & etiamnum per-  
 maneat. II. Quod eo tempore, quo  
 coram Pragensi Archiepiscopo, aliis-  
 que a Sede Apostolica delegatis Judi-  
 cibus, & tam de Clero quam populo  
 & Nobilibus tum præsentibus eadem  
 linqua recognita fuit, ea repente in-  
 tumuerit, & III. colorem mutarit.  
 IV. quod Anna Theresia Cretsin a pa-  
 ralyssi in brachio sinistro *instantane*e fue-  
 rit sanata V. quod Rosalia Hodan-  
 chiana in flumen prolapsa a submer-  
 sione mirabiliter præservata fuerit.

Die autem decima quinta Februarii  
 in eadem hac caussa habebatur altera  
 Congregatio, in qua hæc proponeba-  
 tur quæstio, *anstante approbatione qua-*  
*tuor miraculorum tuto quandocunque procedi*  
*queat ad solemnum Canonisationem ipsius*  
*Beati Joannis?* Cunctis ergo unanimi  
 voce affirmando respondentibus, sum-  
 mus Pontifex accitis Cardinale Carolo  
 Cavalchino fidei Promotore, & Felici  
 Franciscino sacræ Rituum Congrega-  
 tionis

tionis Secretario die 16. Februarii ex- Sæc.XVIII.  
 pediri ac publicari mandavit illud Ca- A.C. 1729.  
 nonisationis decretum ac Bullam, quæ  
 ab his verbis: *Christus Dominus* incipit,  
 & jam a triginta septem Cardinalibus  
 subscripta anni prioris die decima nona  
 Aprilis condita erat. Demum vero  
 die vigesima quarta Martii hoc anno  
 hæc festivitas Romæ in Basiliaca, S.Pe-  
 tri singulari pompa celebrabatur, &  
 quamvis ea integras sex horas tenuis-  
 set, eidem tameu Pontifex non nisi  
 pane & aqua refocillatus, immote  
 interfuit. Porro jam dudum sanctitate &  
 miraculis inclarerat Vincentius a Pa-  
 lo Sacerdos Gallus ex Congregatione  
 Presbyterorum secularium Missionis,  
 & Societatis Pueriarum, quæ a chari-  
 tate nomen habent. Fundator, qui  
 mira in Deum ac proximum charitate  
 succensus, ruricolas in fidei præceptis  
 erudiendi, & Clerum rite instituendi  
 voto sodales suos obstrinxit, ac ipse-  
 met omnium virtutum præsidio muni-  
 tus, fidelem se Dominicæ Vineæ Cul-  
 torem exhibit, atque Ecclesiam uber-  
 rimo animarum fructu locupletavit:  
 Hujus igitur Viri meritis & signis ex-  
 acte discussis probatisque, Pontifex ad  
 Ludovici XV. ejusque Conjugis &  
 Franciæ Præsulum preces fidelem hunc  
 Dei Servum Beatorum Albo die deci-  
 ma tertia Augusti adscripsit.

Sæc. XVIII.  
A C. 1729.

§. XXXIV.

*Inquisitionis Tribunal in Lusitania  
reformatum.*

Hoc item anno Joannes V. Lusitanæ Rex Inquisitionis tribunal ejusque potestatem, annuente ipso summo Pontifice, restrinxit, ac præcipue statuit, ut quilibet accusatus ad sui defensionem sibi Advocatum eligere, & ab hujus Tribunalis sententia appellare valeat, simulque ut lati judicij æquitas ante executionem rursus examinetur, petere possit. Eo fine Caſſidici animo intrepidi, & in Inquisitionis negotio longe versatissimi constituebantur, cum autem supremus Inquisitionis Ju-dex quosdam in libertatem afferere renueret, suo Officio amovebatur, donec ipso tamen præsente, de reorum criminе nova haberetur cognitio; de cetero autem inter sexaginta septem a Coimbricensi Inquisitione damnatos nullus rogi poena, omnes tamen aut exilii, aut carceris, aut triremium supplicio mulctabantur.

§. XXXV.

*Laurentii Cozzæ Cardinalis  
obitus.*

Præter

Præter Noaillium Cardinalem, de quo Sæc. XVIII.  
 jam frequens occurrebat mentio, A. C. 1729.  
 hoc adhuc anno ex Purpuratis tres na-  
 turæ debitum solverunt. Hos inter  
 primus est Laurentius Cozza Montis *Vide supra*  
*Tomo 68.*  
 Falisci die 31. Martii Anno 1654. na- pag. 520.  
 tus. Septennis Patrem amisit, Ma-  
 trem vero, cum annum ageret ætatis  
 decimum tertium: suorum tamen Con-  
 sanguineorum cura liberaliter educa-  
 tus, in patria pietatis ac literarum  
 fundamenta jecit. Vix decimum quin-  
 tum ætatis annum egressus, in cæno-  
 bio Urbevetano Ordini S. Francisci Mi-  
 norum Observantium nomen dedit,  
 vocatus Laurentius de S. Laurentio  
 della Grotta. Inde Caprarolam mis-  
 sus, sub Magisterio celeberrimi P. de  
 Magliano, Philosophiæ, & Romæ in  
 Monasterio Aræ Cæli Theologiæ stu-  
 diis solerter incubuit: demum vero in  
 variis Conventibus Professoris Theo-  
 logici munus non sine magno applausu  
 obiit: Ut vero iis contingere solet,  
 qui moribus, aut doctrina ceteris an-  
 tecellunt, ita Laurentius quorundam  
 invidiam atque æmulationem in se con-  
 citaverat. Et quo magis apud suos  
 Superiores, atque adeo ipsum Cardi-  
 nalem Alexandrum Cibo totius Insti-  
 tuti Protectorem favore atque existi-  
 matione valebat, eo magis ceterorum

Sæc. XVIII. livorem contraxerat: Specie igitur  
A.C. 1729. honoris Roma Viterbum dimittitur,  
ut illius Cænobij Guardianus esset, ibi  
tamen a Cardinale Urbano Sacchetto  
hujus Civitatis Episcopo tanti habeba-  
tur, ut in ejus Confessarium & Theo-  
logum assumptus, atque inter ejus fa-  
miliares receptus illum sæpius Romam  
comitaretur. Postea in comitiis sui  
Ordinis Definitor Romanæ Provinciæ,  
& paulopost Visitator Generalis electus,  
Bosniam & Dalmatiam lustravit: inde  
vero Romam redux, otium, quod da-  
batur, in Theologia consumere statuit,  
sed anno vix evoluto iterum Visitator  
electus, Mediolanensem Provinciam e  
solutiore disciplina ad veterem insti-  
tuti sanctimoniam feliciter reduxit.  
Hoc munere defunctus, Romæ Con-  
ventui Aræ Cæli præficitur, triennio  
autem sui Officii exacto, commentaria  
Historico-dogmatica ad librum de hæ-  
resibus S. Augustini, necnon vindicias  
librorum D. Dionysii Areopagitæ exa-  
ravit, easque Clementi XI. nuncupa-  
vit, a quo Pontifice Consultor S. In-  
dicis Congregationis, & Qualificator  
S. Officii renuntiatus, in Provincialibus  
comitiis Præses totius Romanæ Pro-  
vinciæ eligitur, tanta apud suos existi-  
matione auctus, ut quicquid arduum  
emergeret, ibi Laurentius in consilium

&amp;

& operam adhiberetur: nunquam vero utilius pro sui Ordinis incolumentate opem suam impedit, quam dum ex literis Jerosolyma allatis nuntiaretur, inter illius Cænobii Fratres tam acerbum exarsisse dissidium, ut suum quoque Guardianum Virum gravem, irreprehensibilem, severiorem tamen, immani protervia inde ejicerent. Has ergo turbas, ut sedaret Laurentius, a suo Generali feligitur, qui etiam arduum hoc opus sine tergiversatione inse suscepit, atque in S. Tempii Custodem, & Jerosolymitani Cænobii Præsidem nominatus, longinquum iter arripuit. Quamprimum ad Sacra hæc loca pervenerat, mox consueta morum comitate, prudentia, & moderata severitate collapsam disciplinam reparavit, & pristinam inter Fratres concordiam restituit: Nec his contentus, insuper diffensiones, quæ inter Maronitas, & Jacobum Petrum Antiochenum Patriarcham diu fervebant, feliciter extinxit, ac Vicarii Apostolici dignitate auctus præfatum Patriarcham a Maronitis jurisdictione exutum, suæ Sedi reddidit: Restituta igitur animorum confensione ruinam proxime imponentem, simulque funestum, quod haud temere timebatur, schisma, ab Universa Maronitarum Natione prospero sane

Sæc. XVIII.  
A. C. 1729.

Sæc. XVIII  
A. C. 1729

sane successu propulsavit. Clarius tamen suæ pietatis specimen præbuit Laurentius, dum Samuelem Capefulis Patriarcham Alexandrinum eo addaxerat, ut hic ejurato schismate cum Ecclesia Catholico - Romana sincero animo sese conjungeret, & misso Romam Legato debitam Clementi XI. obediens, tam polliceretur. His præclare gestis Laurentius a S. Congregatione de Propaganda fide Romam revocatus, a summo Pontifice Clemente XI. Vice-Commissarius Generalis totius Ordinis sui renuntiatur, atque ab Innocentio XIII. Examinator Cleri Romani nominatus, comitia totius Ordinis, quæ per viginti ferme annos Romæ intermissa fuere, rursus indixit, in quibus præsente summo Pontifice in supremum universi Ordinis Præpositum eligebatur, non raro ab Innocentio XIII. honorifica salutatione recreatus, morientem vicilim Laurentius piis juvit officiis, & cum illo salubres de rebus Divinis sermones usque ad ejus obitum miscuit. Electo autem Benedicto XIII. inter Presbyteros Cardinales cooptatus, pluribusque S. Congregationibus accensitus est, ob assidua tamen valetudinis incommoda ferme nunquam e suo Conventu prodire poterat; unico hoc ei relicto solatio, quod ingenio præ-

præstans e privata sua Bibliotheca literaria fructus colligere, ac eruditorum confortio frui posset, plura etiam antiqua numismata, adinodum rara ac selectiora habebat, quæ ex Ierusalem aliisque Orientis urbibus. quas difficultissimis itineribus inviserat, magno studio conquisivit: Demum ætate, curis, ac morbis confectus die decima octava Januarii anno ætatis septuagesimo quinto & sui Cardinalatus secundo, decepsit, sepultus in ipsa Ecclesia S. Bartholomæi in Insula. Præter libros jam recensitos evulgavit etiam dubia selecta de Confessario sollicitante, Historiam Polemicam schismatis Græcorum Vol. IV. & tractatum dogmatico-moralem de Jejunio.

### §. XXXVI.

#### *Joannis Baptista Cardinalis de Salerno decepsus.*

Ejusdem Mensis die trigesima Johannes Baptista Salernus, Cosentinus vivere desit. Hic nobilibus Parentibus Dominico, & Cæcilia Connestabili Ciaccia natus, pietatis & literarum tyrocinium in patria posuit. Adolescens non sine suorum oppositione Societatem ingressus, ut ad altiores disciplinas gradum faceret, Romam.

mis-

Sæc. XVIII. missus est, ubi Ptolomeo institutore  
A. C. 1729. usus, Theologiæ non sine maximo pro-  
fectu incubuit. Jam tum a Clemente  
XI. ejusque Nepote tanti habebatur,  
ut Episcoporum Examinator electus,  
eundem Nepotem Annibalem Alba-  
num in Germaniam ad Principum  
Congressum comitari juberetur: Tanta  
autem sedulitate hoc munus obibat Sa-  
lernus, ut denuo itineris ac laborum  
focius eidem Annibali in Sarmatiam  
usque adjungeretur, ubi etiam Apo-  
stolicæ Sedis auctoritatem strenue de-  
fendit, Religionem, atque Ecclesiæ  
disciplinam egregie promovit, & Diæ-  
ceses ob Antistitum absentiam, & Pa-  
storum desidiam laborantes, restitutis  
inibi indefessis Dominicæ Vineæ Cul-  
toribus, ac restaurata morum puritate  
ad pristinum splendorem reduxit. Præ-  
terea Augusto II. Poloniæ Regi non  
modo Auctor exstitit, ut Fridericum  
Augustum Filium suum natu majorem  
Catholico Moderatori instituendum,  
sed etiam in fide Catholica erudiendum  
traderet. Hoc igitur Romanæ Eccle-  
siæ reconciliato Salernus omnem ad-  
hibuit conatum, ut Neo-conversio nu-  
ptiæ cum quadam Catholica Principe  
conciliarentur. Eo fine Viennam pro-  
fectus, rem cum Carolo VI. Impera-  
tore tam feliciter promovit, ut juveni  
huic

huic Principi pietissima Josephi I. Fi-  
 lia natu major faustissimo jungeretur  
 conubio: inde in Poloniam reversus,  
 Anno 1719. die 29. Novembris a Cle-  
 mente XI. Romanam Purpuram obti-  
 nuit, unde Romam venire intentus,  
 die decima quarta Julii solemnii pompa  
 Urbem ingressus est, atque in gratitu-  
 dinis signum Pontifici, Theresiæ Al-  
 baniæ, & Albano Cardinali admodum  
 pretiosa obtulit dona, vicissim vero a  
 Poloniæ Rege sexaginta aureorum mil-  
 libus & annuo decem millium pro-  
 ventu, necnon a summo Pontifice tot  
 pinquibus augebatur Sacerdotiis, ut  
 quotannis inde quadraginta ferme scu-  
 torum millia reciperet. Interfuit Sa-  
 cris comitiis pro electione tam Innocen-  
 tii XIII. quam Benedicti XIII. in qui-  
 bus Cardinalem Pauluccium Societati  
 apprime addictum toto, irrito tamen  
 studio ad D. Petri Cathedram evehi  
 a laborabat. Postea Viennam profe-  
 stus, ibidem, quo consilio incognitum,  
 aliquamdiu hæsit, & Christianum Ul-  
 ricum Würtenbergæ Ducem in Roma-  
 ñæ Ecclesiæ Gremium recepit, simul  
 que solemnii Cæfaris atque Imperatri-  
 cis inaugurationi Pragæ interfuit:  
 Postea a Benedicto XIII. ad Latera-  
 nense Concilium Romam revocatus,  
 persuadere nitebatur, ut illud pro Oe-  
 cum

Sæc. XVIII.  
A. C. 1729.

Sæc. XVIII. cumenico haberetur: ast ipso Papa de-  
A. C. 1729. clarante, illud duntaxat Provincialem  
 esse Synodum, faltem gravibus ratio-  
 num momentis obtinuit, ut in Sessio-  
 ne, in qua de Constitutione *Unigenitus*  
 decernebatur, his verbis: *debita obe-*  
*dientia*, adhuc verbum: *omnimoda ad-*  
*deretur*. Ceterum amplis divitiis au-  
 etus, nec pauperum, nec propriæ suæ  
 commoditatis obliscebat, sed in  
 agro Tyburtino, ubi autumnali tempore  
 rusticabatur, splendidam sibi villam  
 ab imo magnis sumptibus exstruxerat:  
 Hoc fuit illi vitæ genus usque ad an-  
 num 1729. quo annos natus ferme quin-  
 quaginta novem obiit, sepultus in Ec-  
 clesia S. Ignatii.

### §. XXXVII.

*Gregorii Selleri Cardinalis extrema.*

Postremus ex Purpuratis, qui hoc  
 anno mortalitatem exuerunt, erat  
 Gregorius Selleri Perusinus. Hic hu-  
 milibus quidem Parentibus in oppido  
 Panicole natus, in omni tamen virtu-  
 tum genere educatus, maximam de se  
 spem fecerat. Juvenis adhuc Ordinis  
 Prædicatorum institutum amplexatus,  
 expleto probationis anno sese Deo so-  
 lenni votorum sponsione devovit: Phi-  
 losophicis disciplinis admotus, fervido  
 suo

suo ac peracri ingenio Metaphysicis subtilitatibus summopere delectabatur, atque in hoc disputandi genere ceteros longe anteibat. Paulopost tamen ad magis seria intendens, arcana Theologiae ad mentem D. Thomae Aquinatis penetrare studuit, non tam ut doctior evaderet, quam ut ex hausta Angelica doctrina sanctior & proximo utilior esset, quocirca dubium reliquit, an virtutibus, vel scientiis praestantior foret. Affidus quoque erat in evolvendis S. Literis, & Patrum operibus, quapropter hac supellectile sacra locupletatus, non sine maximo animarum proventu, & efficacis eloquentiae præconio frequentes ad populum Conciones habuit, morumque Sanctitate ac Religiosæ vitæ exemplo, sua verba corroboravit. Regnante Innocentio XIII. Romam delatus, & inter Theologos Casenatenses annumeratus, sua eruditione, concionandi arte, & animi moderatione in Aula Pontificia tantam sibi conciliabat existimationem, ut tanquam peritissimus Theologus a plurimis Cardinalibus, Prælatis, aliisque Viris illustrissimis in consilium adhibetur. Nec minus cognita & accepta erant hujus Viri merita Clementi XI. Pontifici, qui eum a secretis constituit facræ Indicis Congregationi, & Co-Hist. Eccles. Tom. LXXIII.

Sæc. XVIII.  
A.C. 1729.

K ful-

Sæc. XVIII. fultorem in Congregatione Indulgentia-  
 A. C. 1729. rum & Inquisitionis dixit, necnon in  
 Canonisationum negotio potissimum  
 ejus opera usus est, utque in arduis  
 maxime rebus præsentaneum haberet  
 ipsius auxilium, Gregorium non modo  
 Sacri Palatii Magistrum, sed & con-  
 scientiæ suæ Rectorem sibi adscivit,  
 eumque usque ad extremam vitæ suæ  
 periodum sibi adstantem habere voluit,  
 morientem quoque Gregorius piis ad-  
 hortationibus adjuvit, Sacræ unctio-  
 nis Sacramento munivit, ac denique  
 mortuo oculos clausit. Pari quoque  
 benevolentia ab Innocentio XIII. &  
 Benedicto XIII, honorabatur; uterque  
 enim Pontifex ab ejus consilio velut  
 sapientiæ oraculo dependebat, & Be-  
 nedictus Papa illum depositibus tanti  
 Viri meritis die 9. Decembris Anno 1726.  
 inter Purpuratos evexit, nec prius ta-  
 men evulgavit, quam die trigesima  
 Aprilis anni sequentis. At vix expleto  
 primo Cardinalatus anno Gregorius  
 gravi morbo correptus, eoque ultra  
 bimestre vexatus, tandem pie obiit  
 die 30. Maij, annos natus septuaginta  
 quatuor. Religiosæ paupertatis nun-  
 quam immemor, intestatus decepit,  
 omnemque supelleftilem sui Magistri  
 Generalis arbitrio ac dispositioni com-  
 misit, unice rogans, ut persoluto ære  
 alieno,

alieno, reliqua portio inter suos domesticos distribueretur. Corpus ejus in Ecclesia S. Mariæ super Minervam consueta pompa tumulatum quiescit: Præter alia scripsit vastum opus, in quo demonstrabat, Constitutionem *Unigenitus* nequaquam SS. Augustini & Thomæ doctrinis adversari.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1729.

### §. XXXVIII.

#### Tres *Cardinales* a *Benedicto XIII.* *Papa creati.*

Horum jacturam compensaturus Benedictus Pontifex, hoc anno die vigesima tertia Martii habito secreto, ut vocant, *Consistorio* unum ex suis Domesticis Præstribus Romana honoravit Purpura; scilicet, Camillum Cybo ex Principibus Massæ & Carrariæ Patriarcham Constantinopolitanum, S. Palatii Præfectum, cui adjectit titulum S. Stephani in Monte Cælio. Præter hunc ab eodem Pontifice in Cardinales die sexta Junii inaugurati sunt. I. Franciscus Burghesius patria Romanus, Archiepiscopus Trajanopolitanus, Sacri Palatii Apostolici Præfactus, Cardinals Presbyter tit. S. Silvestri in Capite. II. Carolus Vincentius Ferreri, Niçensis, Ordinis FF. Prædicatorum,

Sæc. XVIII. Episcopus Alexandrinus, Cardinalis  
A. C. 1729. Presbyter tit. S. Mariæ in Via.

## §. XXXIX.

*Summi Pontificis Constitutiones & decreta.*

Plura eaque saluberrima decreta hoc  
item anno Pontifex condidit, at-  
que inter alia Constitutionem evulga-  
vit, qua Clericorum & Sacerdotum  
crimina singulari quidem vigilantia,  
legumque severitate infectatus est, ha-  
bita tamen ratione venerationis erga  
Sacerdotalem prærogativam, indecens  
fore censuit, si Presbyteri unacum  
Laicis ad triremes damnarentur, ea-  
propter ergastulum, quod *Centum - cel-*  
*lense* vocant, prope Cornetum instau-  
rari, eoque Sacerdotes asportari jussit,  
ut pro delictis impositas ibidem pœnas  
luerent. Ut vero sese erga bene me-  
ritos æquum exhiberet remuneratorem,  
die decima sexta Februarii Sacro Ci-  
sterciensium Ordini privilegia a Præde-  
cessoribus concessa confirmavit, simul-  
que varias gratias nonnullis familiari-  
bus suis concessit. Cum autem tot  
Conventus Ord FF. Mendicantium præ-  
cipue Ord. S. Francisci in Hispaniis jam  
fuisserent erecti, ut si alii de novo con-  
derentur, hi Religiosi Christifidelibus

pre

pro sustentatione sibi procuranda oneri  
 essent, & a puritate Regulæ, quam Sæc. XVIII.  
 profitentur, desciscere cogerentur,  
 A. C. 1729.  
 hinc Pontifex die septima Martii pro-  
 hibuit, ne ejusmodi Conventus intra  
 quinque aut saltem quatuor leucas a  
 Conventibus jam erectis Ordinis FF.  
 Minorum de novo erigerentur.

Jam supra meminimus, quod sum-  
 mus Pontifex ob appellantium pertina-  
 ciam Urbi ac Diœcesi Parisiensi gratiam  
 Anni Jubilæi denegarit, proin præfatæ  
 Diœcessis fideles variis impedimentis  
 detenti pro consequenda hac gratia  
 Romam venire non potuerint, tandem  
 vero Pontifex ad humiles Cardinalis  
 Noailii Archiepiscopi Parisiensis preces  
 anno priori die decima tertia Novem-  
 bris transmisso Brevi eos sacri hujus  
 thesauri participes reddidit. Cum  
 autem illi, qui ob pertinacem suam  
 oppositionem sese sacri hujus favoris in-  
 dignos effecerunt, ab eo tamen se ex-  
 cludi haud posse, obtenderent, hinc  
 Pontifex die octava Martii declaravit,  
 suæ intentionis nullatenus esse aut  
 fuisse, quod Indulgentia Anni Jubilæi,  
 aliaque in præfato Brevi Apostolico  
 concessa iis suffragarentur, qui per Pon-  
 tifices Prædecessores a Sacrae Romanæ  
 Ecclesiæ charitate segregati fuerunt,  
 & quibuscum proin nulla Pontifici &

Sæc. XVIII præfatæ Ecclesiæ communio Ecclesia-  
A. C. 1729. stica existit, nisi prius resipuerint.

Sub idem tempus Pampilonensis  
Civitatis Magistratus & Præfetti sum-  
mo Pontifici exposuerunt, quod Anno  
1721. ut cives ab imminentि pestilentia  
liberarentur, se se perpetuo voto ob-  
strinxerint, se nullo unquam tempore,  
ut scenici ludi exhiberentur, permis-  
furos, neque Histriorum cætus admis-  
furos: paucos tamen post annos teste  
experientia agnoverint, hujus voti ob-  
servantiam potius ad destructionem,  
quam ad publicam ædificationem verti,  
eoquod Cives & incolæ, qui prius hone-  
stas comedias accedere consueverant,  
nunc clam ad minus honestas oblectatio-  
nes divertissent, ac insuper Orphantro-  
phiumreditibus & illis proventibus spolia-  
retur, qui ex dictis comediiis non mo-  
dice exigebantur, & ex quibus Orphani  
& spurii alebantur. Igitur expensa  
horum relatione Pontifex die decima  
septima Martii statuit, ut obtenta voti  
dispensatione quotannis solemní ritu  
publice a præfatæ Urbis Episcopo per  
tres dies SS. Sacramentum exponere-  
tur, & in die ultimo post solemnē Sa-  
crum Hymnus Ambrosianus musicis  
modulis decantaretur, ac demum in  
festo Purificationis B. V. solemnis sup-  
plicatio quotannis haberetur; cum au-

tem

tem Præfecti postmodum exponerent, quod ad has solemnitates rite exercendas congrua dos assignanda, proin cives ad certam contributionem cogendi forent, inde vero timenda esset calumnia quorumdam, qui sub pietatis obtentu pecunias extorqueri convitiarentur, hinc votum in aliud pium opus commutari rogarunt. Igitur Pontifex ad eorum preces inclinus, præcepit, ut quingenta scuta ad fabricam Ecclesiae Carmelitarum calceatorum de Tudela in Hispaniis pro unica vice solverent.

Sæc. XVII.  
A.C 1729.

Præterea Benedictus XIII. die vigesima prima Martii indulgentias Crucibus, Rosariis &c. benedictis ab Abbe Monasterii Montis Serrati Ord. Benedict. confirmavit: Eodem etiam tempore Gallus Gallucius Abbas Generalis & Abbas Ramirus Gerardus Procurator Generalis Ord. S. Benedicti Congregationis Montis Virginis apud Pontificem querebantur, quod et si omnes dicti Ordinis Monachi in Monasteriis sub Obedientia Abbatum degentes vi Tridentini, & privilegii ab Urbano IV. concessi a Jurisdictione Nuntii Apostolici in Neapolis Regno exempti essent, quamvis extra claustra deliquissent, nihilominus tamen Nuntius contra eosdem procedendi jus sibi arrogar-

Sæc. XVIII. rogaret, sub obtentu facultatis a Cle-  
 A C. 1729. mente VIII. & Tridentino cap. 14. Seff.  
 25. de Regul. Nuntiis Pontificiis tan-  
 quam Delegatis concessæ : Expensis  
 igitur hisce querelis Pontifex die vige-  
 sima sexta Martii hanc litem inter Nun-  
 tium & Monachos abolere intentus  
 declaravit, hanc facultatem per Cle-  
 mensem VIII. concessam duntaxat in-  
 telligi posse de facultate procedendi e-  
 tiam contra exemptos Regulares, si  
 hi devii, & errantes, & extra claustra  
 in delicto *deprehenduntur*, non autem  
 de facultate procedendi privative vel  
 cumulative contra eos in Monasteriis  
 sub obedientia suorum Abbatum de-  
 gentes, proin ad Nuntium jurisdictione  
 duntaxat devolvatur, in casu negligen-  
 tiæ Superiorum Regularium. Præ-  
 terea Pontifex die undecima Julii con-  
 cessit indulgentiam plenariam & perpe-  
 tuam illis, qui aliquam Ecclesiam Ca-  
 nonicorum Præmonstratensium, ubi  
 cunque locorum die 16. Jan. die 3. &  
 29. Martii, 7. Aprilis, 15. Junii, 9. Julii,  
 13. Augusti, & 17. Novembbris pie visi-  
 taverint.

Alia Constitutione idem Pontifex  
 die 23. Sept. ad preces Michaelis An-  
 geli Tamburini Societatis Præpositi Ge-  
 neralis erexit Congregationem *de bona*  
*Morte primariam Romæ in Domo Pro-*  
*fessa,*

fessa, simulque eidem P. Generali facultatem dedit, eandem per Universum Orbem in Jesuitarum Ecclesiis instituendi, ita tamen, ut si aliquando eos *Roma abesse*, vel alibi commorari contingat, Sodales, in quibuscunque locis existant, indulgentias Congregationi concessas consequi, easque per modum suffragii pro animabus in purgatorio applicare valeant. Die autem vigesima quarta Maij Pontifex statuta approbavit, quæ eidem Sorores Conservatorii Domus Charitatis pro salutari earum Regimine, & pro puellis, aliisque mulieribus in doctrina Christiana, & rudimentis fidei Catholicæ rite instituendis condita & ab Episcopo approbata obtulerunt. Celebris denique est ejusdem Pontificis Constitutio, qua Asyli jura temperans, declaravit, ut jam publici latronis nomine veniat, proin asylo excludendus sit, qui unicam graffationem in via publica aut vicinali committit, dummodo graffati mors, aut membrorum mutilatio secura fuerit. Pariter exclusit Pontifex non modo eos, qui I. in Ecclesiis aut cæmeteriis, homicidia vel mutilationes committunt, sed II. etiam eos, qui in Ecclesia aut Cæmeterio stant, interficiunt vel mutilant extra Ecclesiam vel cæmeterium stantes, III. illos, qui

Sæc. XVIII.  
A. C. 1729.

Sæc. XVIII. stantes extra Ecclesiam occidunt vel  
A. C. 1729. mutilant eos, qui intra Ecclesiam vel  
Cæmeterium stant. IV. Eos, qui con-  
fugientibus vim inferunt, eosque ab  
Ecclesia vel loco immuni violenter ab-  
strahunt. V. Mandantes & mandata-  
rios, et si pecuniæ promissio &c. non  
fuerit adimpta, dummodo assassinum  
re ipsa fuerit patratum. VI. Interfi-  
cientes proximum animo præmeditato  
ac deliberato. VII. Falsificantes lite-  
ras Apostolicas VIII. falsos monetarios  
IX. denique eos, qui se in alienas do-  
mos introducunt, animo perpetrandi  
rapinas, easque cum homicidio & mu-  
tilatione committunt. Statuit vero  
Pontifex, quod soli Episcopo competat  
declarare, an delictum sit a jure asyli  
exceptum.

### §. XL.

#### *Diversa S. Congregationum decreta.*

**E**xstant insuper plura decreta, quæ  
S. Congregationes Romanæ hoc  
anno ediderant, & quidem die vige-  
sima quinta Januarii S. Rituum Con-  
gregatio declaravit, quod festum sep-  
tem Dolorum B. V. si concurrat cum  
officio secundæ classis, ad proximum  
sabbatum transferatur, si autem sab-  
batum

batum post Dominicam Passionis officio altioris ritus fuerit impeditum, tunc dictum festum eo anno penitus omitendum sit. Die decima nona Julii S. Congregatio Indicis solemnni decreto, quod & Pontifex confirmavit, sequentes proscriptis libros. I. Animadversiones Justi Böhmeri in Institutiones Juris Ecclesiastici Claudii Fleury. II. Casimiri Commentarium de scriptoribus Ecclesiæ III. Censuram S. Facultatis Duacensis in quasdam propositiones de gratia ex dictatis DD. Langrand & Marchal. IV. Discursum contra Persecutionem V. Epistolicam Dissertationem Scoti super facti quæstione, utrum Angelicus Doctor revera docuerit, B. V. fuisse immunem a peccato originali. VI. Historiam Vertoti de Equitibus S. Joannis Jerosolym. VII. Joannis Gasparis Suicen Thesaurum Ecclesiasticum ex PP. Græcis. VIII. Joannis Georgii Wolchy Commentarium Concilii Lateranensis a Benedicto XIII. celebrati. IX. Joannis Martini Oconensis Theologiam speculativam, X. Novum Itinerarium Italæ Auctore Missono XI. Observationes Addisoni in varia Italæ loca XII. Spiritualem Directorem pro his, qui nullum habent. XIII. Tractatum de legibus civilibus & Ecclesiasticis contra Hæreticos XIV.

Trium-

Sæc. XVIII.  
A. C. 1729.

Sæc. XVIII. Triumphum misericordiæ, id est S. Or.  
A. C. 1729. dinis SS. Trinitatis institutum.

Præterea annuente Pontifice S. Rituum Congregatio die 27 Jan. & 1. ac  
10 Febr. & 14. Martii 18. Julii conce-  
dit, ut festum SS. Redemptoris sub ritu  
duplici majori a Venetis, Officium  
S. Scholasticæ V. & S. Wenceslai, ac  
S. Petri Chrysologi ab omnibus, qui ad  
horas Canonicas tenentur, & B. Se-  
raphini ab Asculo a FF. Minoribus  
S. Francisci celebrari queat. Insuper  
S. Congregatio Indulgentiarum die nona  
Februarii ad preces Augustini Romani  
Abbatis Camaldulensis in omnibus Or-  
dinis Ecclesiis indulxit privilegium quo-  
tidianum perpetuum Altari S. Romual-  
di: pariter ex benevolentia summi  
Pontificis Ordini Servorum B. V. data  
est facultas nomina Sanctorum & San-  
ctarum proprii Ordinis litanis majori-  
bus adscribendi. Censuit quoque die  
sexta Augusti S. Rituum Congregatio  
concedendum esse, ut propriæ lectio-  
nes secundi Nocturni & tres Oratio-  
nes in Missa S. Joannis Nepomuceni in  
Regno Bohemiæ, in tota Germania,  
ac hæc editariis statibus Domus Au-  
striacæ singulis Annis die 16. Maij in-  
posterum recitarentur, & sequens Elo-  
gium Martyrologio apponenteretur: De-  
cimo septimo Kalendas Junii. Pragæ in  
Bohe-

*Bohemia S. Joannis Nepomuceni Metro-  
politanae Ecclesiæ Canonici, qui frustra  
tentatus, ut sigilli Sacramentalis fidem  
proderet, in flumen Moldavam dejectus,  
Martyrii palmam emeruit.*

### §. XLI.

#### *Principes atque Illustres hoc anno denati.*

Inter Principes Ecclesiasticos hoc anno  
defunctos ingens sui desiderium re-  
liquit Christophorus Franciscus Herbi-  
polensis Episcopus, qui Anno 1673. ex  
illustri & perantiqua Huttenorum gente  
ortus, Majorum suorum decora sibi  
propria fecit. Elegantiores literas  
velut gradus ad altiora emitenti neces-  
farios a prima juventute imbibit, ex-  
coluit, protexit. Postea in ornatissi-  
mam Lotharii Francisci Archiepiscopi  
& Electoris Moguntini aulam accitus  
virtutum omnium præclara exempla  
suscepit, ac preesse imitatus est, am-  
plisque fructus ex variis itineribus re-  
portavit, quos ætate matura in lega-  
tionibus, aliisque perhonorificis Olli-  
ciis publicæ utilitati, & Ecclesiæ bono  
impedit; latinæ insuper, Gallicæ,  
Italicæ & Hispanicæ linguae peritis-  
simus lectioni utilium librorum horas,  
quas paucas habebat, subsecivas sacra-  
vit,

Sæc. XVIII. vit, atque usui profutura in commen-  
 A.C. 1729. tarios retulit, qui adhuc in pluribus  
 voluminibus ipsius manu exaratis affer-  
 vantur. Canonicis Herbipolensis Ec-  
 clesiæ aggregatus Majores suos cultu  
 supremi Numinis ferventissimo, ni su-  
 peravit, saltem æquavit. Ejusdem  
 tandem Ecclesiæ Decanum tot meritis  
 ac virtutibus inclytum Canonici Anno  
 1724. die quarta Octobris sibi in Epi-  
 scopum Duceinque crearunt: Hac di-  
 gnitate clarus, Religionis incremento,  
 Reipublicæ utilitati, ac subditorum  
 commodis sedulo invigilavit, nec inter  
 postremas curas habuit, ut scientiæ,  
 artesque elegantiores indies magis flo-  
 rerent, & probæ juventutis institutioni  
 prospiceretur: eapropter rei literariæ,  
 Historiæ, Juris naturæ & gentium,  
 itemque juris publici doctrinam, nec-  
 non algebræ atque analyseos præcepta  
 publice tradi jussit, æconomiæ quoque  
 Professorem, si fata sivissent, constitu-  
 rus. Præcipue tamen S. Carolum Bor-  
 romæum imitatus, in rerum Episcopali-  
 um monumenta, necnon in Præde-  
 cessorum nomina. genus & gesta, in-  
 que patrias antiquitates inquisivit ipse,  
 & a celeberrimo Joanne Georgio ab  
 Eckhardt aliisque inquire curavit. At-  
 tamen plura & majora meditantem  
 invida mors repente catharo suffocatio-  
 obru-

obrutum suæ Ecclesiæ, ac literario  
 Orbi die vigesima quinta Martii eripuit, Sæc XVIII.  
A.C. 1729.  
 non sine maximo omnium mærore:  
 Vixit nonnisi quinquaginta sex annos,  
 postquam Ecclesiæ ac Ducatui suo di-  
 gnissimus Præsul ac Princeps quinque  
 annis præfuit. Successorem habuit  
 Fridericum Carolum Comitem de  
 Schönborn Coadjutorem Bambergens-  
 sem, & Imperii Vice - Cancellarium,  
 qui die decima octava Maij electus die  
 trigesima Janii fidelitatis homagium a  
 suis recepit.

Celeberrimi hujus Episcopi obitum  
 præcesserat mors Lotharii Francisci  
 Comitis de Schönborn, Electoris Mo-  
 guntini, atque Bambergensis Episcopi.  
 Hic die quarta Octobris Anno 1655.  
 natus, ingenii acie, animi celsitudine,  
 magnanimitate, & oris majestate am-  
 plissimas, quæ de eo paßim concipie-  
 bantur, spes superabat. Juvenis mo-  
 rum candore ingenii acie, eruditionis  
 ubertate, modestia & affabilitate amo-  
 rem atque omnium admirationem in-  
 se rapiebat. Annum ætatis trigesimum  
 octavum egerat, cum inter Canonicos  
 Herbipolenses, Bambergenses & Mo-  
 guntinos cooptaretur. Die autem de-  
 cima sexta Octobris ad Episcopalem  
 clavum Bambergensem communi om-  
 nium suffragio & jubilo admotus, die  
 ter-

Sæc. XVIII. tertio Septembris Anno 1694. in Mo-  
A. C. 1729. guntinum Coadjutorem & S. R. J.  
 Archi - Cancellarium eligebatur, &  
 sequenti anno mortuo Anselmo, Electori  
 atque Archiepiscopo Moguntino divi-  
 nis auspiciis successit. Ferventibus  
 belli tumultibus Imperio in pace Ris-  
 wicensi, Ultrajectina vero & Helveto-  
 Badensi tranquillitatem Europæ resti-  
 tuit, plurimos etiam labores pro Dei  
 gloria, avita Religione, & publica fa-  
 lute exantlavit. Colebatur a Leo-  
 poldo & Josepho Imperatoribus exte-  
 risque Principibus velut boni consilii,  
 pacisque Angelus; ejus enim opera  
 potissimum pax Carlovicensis inter Cæ-  
 sarem & Turcam, necnon inter Bam-  
 bergeases, & Francorum Equites trans-  
 actio firmabatur, insuper adversus Ra-  
 gotium in Hungaria rebellem Leopoldo  
 armorum & militum suppetias trans-  
 misit, Carolo autem VI. Sponsam de-  
 dit Elisabetham Brunsvicensem Ducif-  
 fam, quæ Romanæ Ecclesiæ redditæ  
 Anno 1707. die prima Maij Bambergæ  
 ab hoc Archiepiscopo sacram Synaxin re-  
 cepit, & biennio post ejusdem Avus  
 Antonius Ulricus Dux ad fidem Catho-  
 licam revocatus est. Nec domestici  
 decoris oblitus, Bambergæ magnifi-  
 cum Episcopale Palatum, & Pomers-  
 feldæ in Franconia arcem, Weisenstei-  
 nium

nium vocant, magnis sumptibus erexit, Sæc. XVIII.  
 necnon pro P.P. Capucinis Conventum A.C. 1729.  
 Höchstadii, & aliud Gösweinsteinii  
 fundavit. Tanti Viri elogium Joannes  
 Ludevig paucis his verbis complexus  
 est: *Præst amatus Cæsari, gloriosus Pa-  
 triæ, toti Imperio honoratus, & ut virtu-  
 tibus omnibus maximus, ita sapientia Prin-  
 ceps plane incomparabilis.* Tandem post  
 arduum triginta sex annorum Regimen  
 placidissima morte vitae mortalis cur-  
 sum die trigesima Januarii anno ætatis  
 septuagesimo quinto consummavit. In  
 Bambergensi Episcopatu succedit Pa-  
 truo suo Franciscus Georgius Comes  
 de Schönborn ex Fratre Nepos, jam  
 tum Præpositus Trevirensis, in Mo-  
 guntino autem Franciscus Ludovicus  
 Comes Palatinus.

Nec laicis Principibus hoc anno  
 mors pepercerat; die enim vigesima  
 septima Maij Leopoldus Josephus Ca-  
 rolus Lotharingiae Dux ex Eleonora  
 Maria Ferdinandi III. Imperatoris So-  
 rore natus ex cruento vomitu quinqua-  
 genarius decepsit, postquam per triginta  
 duos annos suo Ducatu per pacem  
 Ryswicensem restituto laudabilissime  
 præerat, & ex Conjuge sua Elisabetha  
 Carolina Aurelianensi Ducissa quatuor  
 Filios, & novem Filias suscepserat.  
 Pari ferme fato vivis ereptus erat die  
*Hist. Eccles. Tom. LXXIII.* L. vige-

Sæc. XVIII. vigesima octava Decembris Thomas  
 A. C. 1729. Emmanuel Sabaudiæ Dux Cæsarei exer-  
 citus supremus Mareschallus annos na-  
 tus nonnisi quadraginta tres: die autem  
 quarta Januarii Joannes Guilielmus  
**Saxo** - Eisenachensis Dux ex apoplexia  
 anno ætatis sexagesimo tertio Eisenachii  
 obiit, postquam ex quatuor uxori-  
 bus duodecim proles procreaverat.  
 Maximo etiam totius Palatino - Sulzbacensis  
 Domus mærore Conjugem  
 suam ad æternitatem die vigesima octava  
 Julii Ogersheimii prope Manheimium  
 fecutus est Princeps Hæreditarius  
 Josephus Carolus Emmanuel, nonnisi tri-  
 gesimo quinto ætatis suæ anno expleto:  
 Reliquerat duntaxat tres Filias ex Eli-  
 fabetha Augusta Electoris Caroli Filia  
 suscepas. Solabatur mæstissimam Fa-  
 miliam Joannes Christianus defuncti  
 Frater, qui Theodorum quinque ab-  
 hinc annis in maximas spes progenuit.  
 Præterea die duodecima Novembris  
 Tychopoli seu *Fortunæ oppido* mortali-  
 tatem exuit Philippus Ernestus Glück-  
 stadiensis Dux anno ætatis quadrage-  
 simo sexto. Præter hos obiere etiam  
 die decima septima Decembris Joannes  
 Ernestus Saalfeldensis Dux annos na-  
 tus septuaginta & unum: die vigesima  
 septima ejusdem Mensis Christina Ca-  
 roлина Onoldina Marchionissa expleto  
 trige-

trigesimo quinto ætatis anno, die de-  
cima nona Aprilis Antonius Ferdinandus Dux de Guaſtalla & Sabionetta,  
vixerat annos quadraginta duos: die  
duodecima Septembris Princeps ultimus de Novellare: die duodecima Julii  
Princeps Mutinensis, & die prima Februarii Antonius Grimaldus de Mo-  
naco Dux Valentinenſis anno ætatis  
septuagesimo primo: die secunda Junii  
Laurentius de Almeida & Bombalinha  
Angolensis Regni Gubernator, & die  
sexta Decembris obiit octogenario ma-  
jor Carolus Augustus de Goyon Comes  
de Gace Rupellenſis Gubernator &  
Franciæ Marescallus.

## §. XLII.

*Scriptorum Religione Catholicorum  
obitus & opera.*

**H**is quosdam etiam ex Scriptoribus Ecclesiasticis hoc anno defunctis adjungere lubet: Hos inter plurimum celebratur Petrus le Brun Oratorii Presbyter pietate ac eruditione clarissimus, qui scripsit epistolas, quibus detexit Philosophorum deliria circa virginem diuinatorm, tractatum de comœdiis ad illum, qui eas defendit(\*), unacum

L 2

Hi-

(\*) Is erat P. Caffarus Theatinus, de quo Cardinalis Quirinus in suis Comm. Lib. II.  
cap. 2.

Sæc. XVII. Historia Theatrorum, & judicio SS.  
A. C. 1729. Patrum a primo sæculo usque ad no-  
stra tempora; Concordantiam tempo-  
rum pro intelligendis Scriptoribus octo  
primorum sæculorum, Historiam criti-  
cam actionum superstitionum, Expli-  
cationem literalem, Historicam, &  
dogmaticam precum & rituum Missæ,  
Manuale pro iis, qui Missæ aliquisque  
Ecclesiæ officiis intersunt, disserta-  
tiones Historico-dogmaticas de liturgiis  
omnium Ecclesiarum, quarum Tomus I.  
Anno 1716. prodiit. Scripsit etiam  
Vindicias antiquæ opinionis de forma  
consecrationis in Eucharistia contra  
P. Bougeant Jesuitam, epistolam, qua  
illusio detegitur (\*) Trevoltiensum Scri-  
ptorum circa vindicias veteris opinionis  
&c. Obiit Parisiis die 6. Januarii e-  
meno vitæ suæ anno sexagesimo septi-  
mo II. Claudio Franciscus Fraguier,  
qui Societate, quam ingressus erat,  
post aliquot annos relicta operam suam

Ab-

cap. 2. p. 96. testatur, quod magna Parisiis  
in existimatione habitus fuerit ex generis sui  
nobilitate & ex Panormitana Insula ac demum  
ex doctrina. Hanc tamen haud leviter fadarit  
Palinodia, quam ab Archiepiscopo Parisiens  
recantare adactus fuerat, ob propugnatum Co-  
mœdicius usum.

(\*) Vid. Trivoltiens. ad Mensem Octobr. 1726.

Art. 39.

Abbati Bignono ad conficiendum *Diarium Eruditorum egregie contulit*, ipsus Sæc. XVIII.  
A.C. 1729.  
vero elucubravit varia opuscula, ex quibus magis commendantur ejus Mop-  
sus seu schola Platonica de hominis perfectione, Santolius pœnitens, dis-  
sertatio de Poetarum usu a Platone facto, dissertatio de ironia Socratis &  
de ejus spiritu familiari, ejusque moribus, tractatus de imprecationibus Pa-  
trum contra filios &c. III. Joannes Harduinus, quo sicut Societas vix do-  
ctiorem illo ævo habuit, ita vix ullius Auctoris opera frequentiori simulque  
acriori censura fuere perstricta: An-  
num agebat trigesimum octavum, cum Parisiis nummos antiquos populorum &  
urbium illustratos, & Themistii oratio-  
nes cum notis ederet, moxque anno  
sequenti Caii Plinii II. Historiam natura-  
lem nova interpretatione & annotatio-  
nibus donaret. Jam tum Criticorum  
calamos in se concitabat; præprimis enim  
præter P. Desmolestium (\*) Crevierus  
Bellovacensis Collegii Professor, tribus  
omnino epistolis hanc Harduini interpre-  
tationem ejusque paradoxa infectabatur,  
cui tamen ipsem Harduinus respon-  
dere conatus est: Nihilominus tamen de  
la Croze seu Maturinus Veyssiere Har-

(\*) Memoires de litterature &amp; d'Histoire,

Sæc. XVIII. duino objectabat, quod non pauca ex  
A. C. 1729. Salmasii Claudi commentario ad Soli-  
num suffuratus sit, Gesnerus quoque  
Gottingensis Professor in sua nova  
Plinii editione Harduinum non  
uno in loco castigavit. Edidit hic  
idem Auctor Anno 1687. triplicem  
quæstionem de Baptismo, & Anno  
1689. suum Antirrheumaticum de num-  
mis antiquis Coloniarum & Municipio-  
rum, necnon S. Joannis Chrysostomi  
epistolam ad Cæsarium notis illustravit  
unacum dissertatione de Sacramento  
Altaris: cum autem Joannes le Clerc  
in eandem epistolam annotationes in  
sua Bibliotheca universali addidisset,  
Hardinus contra hunc Scriptorem  
Gallice edidit vindicias epistolæ S. Joani-  
nis Chrysostomi ad Auctorem Biblio-  
thecæ Universalis, in quibus redar-  
guitur, quod afferisset, Facundum,  
Liberatum, Marium Mercatorem, Vi-  
ctorem Tunensem, Cassiodorum, Isi-  
dorum aliosque natione Gallos, ne-  
quaquam, uti prætenderetur, adeo  
antiquos esse, omnesque libros, qui sub  
 nomine, Justini M. circumferrentur,  
excepto solo ejus Dialogo, esse supposi-  
titios. Ast in hoc judicio Harduinum tuisse  
hallucinatum, facile patet ex eo, quod  
Justinus in suo dialogo cum Tryphone  
Judæo, quod opus Harduinus tanquam  
genui-

genuinum adoptat, mentionem fa- Sæc. XVIII.  
A.C. 1729.  
 ciat suæ apologiæ pro Christianis; si autem hæ Justini apologiæ forent supposititiæ, necesse foret, tales quoque esse ejus Dialogum, in quo hæ allegantur, cum tamen hunc genuinis accenseat. ¶super Harduin Anno 1692. Parisiis literis excudi fecit *Chronologiam ex Nummis antiquis restitutam, Prolusionem de Nummis Herodiadum:* In his quoque acriter ab eruditis vapulat, eoquod propugnasset, aliquot retro sæculis extitisse societatem hominum, qui primorum sæculorum Historiam, quæ penitus perierat, restauraturi, ex Cicerone, Plinio, Virgilio in Georgiis & Horatii satyris ac literis, necnon ex veterum diariis atque inscriptionibus, Historiam novam, seu verius fabulam consarcinassent. Hunc vero Harduini librum Parisiis fuisse suppressum, testatur Bayleus: idem fatum subiere tentamen chronologicæ restitutæ ex antiquis nummis Sæculi Constantiniani, & Chronologia veteris Testamenti conformiter ad Vulgatam illustrata ex nummis veteribus. Scripsit etiam epistolam de tribus nummis Samaritanis, quo opusculo aculeos Nicolai Toinardi in se concitabat: Præter hosce tractatus vulgavit etiam librum de supremo Christi Paschate, numismata quædam Tetrici, Dio-

Sæc. XVIII. cletiani, & Maxentii Augustorum,  
 A. C. 1729 Historiam Augustain ex nummis anti-  
 quis Græcis, latinisque restitutam,  
 dissertationem de 70. hebdomadibus  
 Danielis, epistolam ad Ballon fauxium,  
 ubi denuo suas querelas de præfata ho-  
 minum Societate innovabat: Plura ad-  
 huc alia ejusdem Auctoris opuscula  
 quidam Anonymus Hagæ Anno 1733.  
 sub titulo: *Opera varia* collegit, ac  
 prælo subjicit, ubi inter alia memo-  
 ratu dignissimum est opusculum, quod  
 inscribitur: *Athei detecti*, quibus Cor-  
 nelius Jansenius, A. Martin, Ludovi-  
 cus Thomassinus, P. Mallebranche &c.  
 non alio ex capite annumerantur, nisi  
 quia Deum esse ipsam veritatem, proin  
 veritatem esse Deum affirmabant, Har-  
 duinus vero docuisse arguatur, verita-  
 tem nil aliud esse, quam ideam ab-  
 stractam, secundam intentionem, quæ  
 habet totum suum esse in nostro intel-  
 lectu. Ceterum Harduinus vehementissi-  
 me ab Eruditis carpitur ob systema, quod  
 in potissimis suis libris, præcipue vero  
 in sua Prolusione Chronologica stabi-  
 liisse, & omnem ferme Historiæ Sacrae  
 certitudinem evertisse videtur, eoquod  
 Horatii epistolas & sermones, Cicero-  
 nem, Plinium &c. duntaxat pro ge-  
 nnuinis habeat, proin ceteros omnes  
 antiquos Auctores v. g. Thucydidem,

Dio-

Dionysium Halicarnasseum, Diodorum Sæc. XVIII.  
 Siculum, Dionem Cassium, Titum Livium, A.C. 1729.  
 Suetonium, Tacitum &c. Josephum Hebræum, Eusebium, septuaginta Interpretum versionem, Pentateuchon Samaritanum, Origenem, Basilium, Gregorium Nazianzenum, Hieronymum, Augustinum ac reliquorum omnium tam Græcorum quam latinorum Patrum opera nonnisi in cerebro quorumdam Monachorum Sæculi XIII. fabricata fuisse afferat. Paradoxam hanc, si tamen Harduini est, opinionem acerbo stylo insectati sunt Alphonsus de Vignoles in sua epistola Chronologica adversus Harduinum, ejusque prolationem & Historiam veteris Testamenti, necnon Bierlingius, Thomas Ittigius pluresque alii: nemo tamen acerbiori ferula usus est præter Maturinum Veyssiere de la Croze, qui in suis vindiciis veterum Codicum, necnon in suis Dissertationibus Historicis circa diversa argumenta hoc systema solidissime impugnavit, censuite, Harduinum ad excogitandam novam hanc opinionem impulsum fuisse ex invidia atque æmulatione contra Patres ex Congregatione S. Mauri, qui celeberrimis Patrum antiquorum editionibus de Republica Christiana fese optime meritos reddiderunt. Hujus

Sæc. XVIII. Scriptoris conjecturam non quidem  
A. C. 1729. nostram facimus, certum tamen est,  
 quod ipsimet Trivoltienses Jesuitæ in  
 suis relationibus continuatis ad Janua-  
 rium & Februarium Anno 1734. Parisiis  
 editis hoc ipsum Harduini sistema im-  
 pugnarint, & S. Romana Inquisitio  
 hos ejusdem libros: *Opera varia*, *ope-  
 ra selecta*, & *commentarium in N. T. die  
 13. April. 1739.* & 28. Jul. 1742. atro  
 carbone notarint (\*). Ceterum Har-  
 duinus adhuc edidit Apologiam Ho-  
 meri, judicium Harduini circa duo  
 numismata Annæ Faustinæ, explica-  
 tionem textus 1. Sam. VII. v. 5. 6. Ex-  
 plicationem quorundam nominum Ur-  
 bium, quæ abbreviata leguntur in  
 græcis nummis, Dissertationem P. Cou-  
 rayeri refutatam, refutationem apolo-  
 giæ de ordinationibus Anglicanis, &  
 Paraphrasin Ecclesiastis necnon librum  
 Job juxta Vulgatam notis illustratum  
 (\*\*). Pseudo Virgilium, Pseudo-Ho-  
 ratium,

(\*) Vid. Trivol. Mens. Octobr. 1729.  
 pap. 1871.

(\*\*) Literarum hujus Scriptoris charac-  
 tem Eminentissimus Cardinalis Quirinus pro-  
 priæ experientiæ testis in suis commentariis  
 Lib. II. cap. 2. Part. I. fol. 97. his verbis de-  
 scribit

ratium, observationes in Aeneidem, Sæc. XVIII.  
 Numismata sæculi Theodosiani, & Ju- A. C. 1729.  
 stinianæi, antiqua Numismata Regum  
 Franciæ, in quo postremo opusculo  
 in

scribit: Joannes Harduinus, altero die post-  
 quam Parisios adventassem, a me aditus fa-  
 cilem, & expeditum mihi se præbuit ad fun-  
 denda absque fuso paradoxa sua, et si ad ea-  
 dem ejuranda haud multo antea adactus fuis-  
 set. Liberis igitur verbis affirmare mihi non  
 dubitavit, veterum Numismatum auctorita-  
 tem maximi faciendam, insuper Vulgatam Di-  
 vinorum Bibliorum Editionem, & Conciliū  
 Tridentini Canones, quandoquidem alia sacræ  
 Antiquitatis monumenta, pleraque omnia,  
 justa subleftæ fidei suspicione laborarent,  
 somniaverat ille, quemadmodum antiquissi-  
 mos prophanos Scriptores seu Oratores, seu  
 Poetas, seu Historicos, seu Philosophos, ita  
 Ecclesiæ Patres, Synodos Episcopales, De-  
 cretales Pontificum, atque alia hujusmodi  
 Scripta, nil aliud quam suppositiones esse do-  
 ctorum Cœnobitarum, qui, una simul Sæ-  
 culo X. conjuratione inita, tantis fallaciis fruen-  
 dis, & concinnandis auimum, calamumque  
 appulissent; uno verbo, Vulgatae Versionis,  
 Concilii Tridentini, & priscorum Numisma-  
 tum

Sæc. XVIII. in suum Pyrrhonismum relapsus pro-  
A.C. 1729. pugnabat, Galliæ Historiam ferme to-  
tam usque ad Philippum Valesium non-  
nisi

tum fidei Christianam Religionem inniti, labantibus, ac nutantibus ex ea suspicione cæteris omnibus ejusdem fundamentis, quæ hucusque locata fuerunt. Portenta ista dum audirem, spatiando interea in Bibliotheca conjunctis cum Harduino passibus, accidit, ut oculos converterem ad librum quemdam ex ligno confectum, fictitioque titulo ornatum pro implenda, ut alibi etiam fieri observavi, plutei extremitate, tunc statim libro illi manum injeci, ipsumque Harduini oculis objiciens, En, dixi, hocce figmenti, de quo agitur, genus esse nemo profecto negaverit, in Jesuitarum tamen, non in Monachorum officina fabrefacti. San - Germanensis solutum dicere Mabillonum mihi narrabant, suæ ipsos gloriæ ducere debere, quod olim Ciceronem, Livium, Virgilium, paresque alios Scriptores Monastici cuculli apti fuerint producere. Harduinum in rebus Historicis adeo delirantem, Clero nihilominus Gallicano idoneum visum fuisse, cui colligendorum Conciliorum provincia demandaretur, hoc profecto quamplures ad maximam admirationem pertraxit.

nisi fabulam ab idiotis Monachis male Sæc. XVIII.  
consutam esse: Alias etiam novas Har- A.C. 1729.

duini Hypotheses egregie confutavit  
Christianus Gottlieb Eichler in bina sua  
dissertatione. Haud dissimulandum  
tamen est, quod P. Michael le Tellier  
Parisienfis Provincialis, Gabriel Da-  
niel, Henricus Forcetus, Paulus Bo-  
dinus Rectores contra novam operum  
P. Harduini editionem Amstelodami a  
Lormeo Bibliopola adornatam prote-  
stati sequente declarationem Anno  
1708. ediderint. „inter alia novæ hu-  
„jus editionis opera reperiuntur quæ-  
„dam, quæ nunquam lucem publicam  
„aspexisse, aut æterna oblivione fuisse  
„sepulta optaremus: illud sub titulo:  
„de nummis Herodiadum, cui cetera in-  
„nituntur, a Societatis Superioribus  
„suppressum fuisse constat, cunctaque  
„exemplaria, quotquot poterant, in-  
„tercepta: Chronologia V. Testamenti, &  
„Numismata sæculi Constantiniani, nun-  
„quam divendita fuere, nec unquam  
„impressa fuissent, si constituti Censo-  
„res systema, ob quod prius opuscu-  
„lum de Nummis &c. fuit suppressum,  
„in illis reperiri, suis Superioribus in-  
„dicassent: Ejusdem Auctoris opuscula  
„quædam typis vulgata fuere, quæ ad  
„idem sistema quidem alludunt, sed  
„nunquam a Societate, sicut nec cetera

Sæc. XVIII. „ a Lormeo edita , censuræ fuerunt sub-  
 A. C. 1729. „ jecta. Huiates Superiores eapropter  
 „ præfatum Lormeum, ut a suo propo-  
 „ sito desisteret , impense rogarunt, sed  
 „ frustra; cum ergo ob præsentem tem-  
 „ poris vicissitudinem ad hujus Biblio-  
 „ polæ Superiores recurrere non liceat,  
 „ indicamus ea, quæ jure merito hisce  
 „ Harduini scriptis objiciuntur. I. Ta-  
 „ lia stabiliri fundamenta, ex quibus  
 „ sequeretur , omnia ferme antiqua Ec-  
 „ clesiæ monumenta , & quamplurima  
 „ profanæ Historiæ documenta esse  
 „ supposititia. II. Auctorem aperte in  
 „ illis declarare, quod de horum docu-  
 „ mentorum antiquitate dubitaret. III.  
 „ Illum eorum quædam omnino pro  
 „ suppositiis habere. IV. Videri, eum  
 „ nequidem de antiquitate Græci tex-  
 „ tus S. Scripturæ esse convictum. V.  
 „ Novas adhuc alias paradoxas opinio-  
 „ nes fovere , ex quibus sat periculosæ  
 „ sequelæ deduci possent: Has ob ra-  
 „ tiones declaramus, nos hæc para-  
 „ doxa de suppositione Græci textus,  
 „ & tam Græcorum quam latinorum  
 „ Patrum , aliorumque Ecclesiæ mo-  
 „ numentorum rejicere , & ceu merum  
 „ ingenii figmentum reprobare, sicut &  
 „ quæ Auctor scripsit de Scriptoribus  
 „ profanis, quorum opera peritisimo-  
 „ rum Criticorum judicio illis tempo-  
 „ ribus

„ribus, ad quæ hi Scriptores passim re- Sæc. XVIII,  
 „vocantur, confecta fuere: damnamus A. C. 1729.  
 „autem præcipue Harduini senten-  
 „tiam de illis profanis Scriptoribus,  
 „quorum opera a veteribus Ecclesiæ  
 „Doctoribus fuere allegata, eoquod  
 „inde sequeretur, ipsa horum Docto-  
 „rum opera esse spuria: declaramus ita-  
 „que, nos omnia Harduini asserta &  
 „principia, ex quibus præfata para-  
 „doxa rite deduci possent, rejicere,  
 „& quamcunque aliam opinionem in  
 „his libris contentam reprobare, si ea  
 „communi doctrinæ Catholicorum Do-  
 „ctorum repugnet: Denique ex volun-  
 „tate nostri P. Generalis obsistimus  
 „cuicunque editioni horum librorum:  
 „nec ullus de sincera nostra voluntate  
 „dubitabit, postquam in nostris rela-  
 „tionibus Trivoltiensibus hoc systema  
 „tanquam erroneum & pericolosum  
 „rejici & solide confutari noverit &c.,  
 Hanc declarationem confirmare jussus  
 P. Harduinus die 27. Decembris publici  
 juris sequens testimonium fecit: „Cun-  
 „cta hujus declarationis verba sincere  
 „confirmo, & quicquid in ea circa  
 „meos libros ibi damnatum est, can-  
 „dide condemnno, præcipue vero, quæ  
 „de scelerata quadam hominum socie-  
 „tate scripsi, perinde acsi ipsi ante ali-  
 „quot sæcula tam Ecclesiasticorum  
 „quam

Sæc. XVIII „ quam profanorum Scriptorum opera,  
A. C. 1729. „ quæ hucusque pro antiquis scriptis  
„ fuissent habita, suo Marte consarcini  
„ nassent: Me hac in re tamdiu cæcum  
„ tiisse, vehementer doleo, & meis  
„ Superioribus me obstrictum profiteor,  
„ quod me ab hoc errore deduxerint:  
„ Promitto, me nec ore nec calamo  
„ unquam propugnaturum, quod ullo  
„ pacto huic meæ declarationi adver-  
„ sari posset, & si forte cujusdam ope-  
„ ris antiquitatem, de qua nemo ante  
„ me dubitavit, ceu suspectam haberem,  
„ ea usurum cautela, ut duntaxat meas  
„ dubitandi rationes sub meo nomine  
„ & accedente Superiorum licentia &  
„ Censorum approbatione prolatus  
„ sim &c. „

Ceterum Harduinus de Ecclesia  
optime meritum se reddidit nova edi-  
tione Conciliorum; quamvis infasta  
hujus laboris auspicia habuerit; cum  
enim Anno 1715. novæ hujus editio-  
nis *Conspicuum* ederet, in eoque Lettori  
indicaret, quid in ea vel omissum vel  
additum fuisset, Parisiense Parlamen-  
tum die 20. Decembris 1715. quosdam  
constituit, qui primos undecim hujus  
Collectionis tomos examinarent, his  
ergo Anno 1722. die 7. Septembris cen-  
tentibus, Epistolam nuncupatoriam ad  
Ludovicum XIV. Regem esse suppri-  
mendam

mendam, ejusque loco Censorum judicium præfigendum esse, nec ulli Bibliopolæ integrum fore, absque hoc judicio Tomum vendere &c. Regius Senatus, neglecto Parlamenti decreto die 15. Aprilis 1725. decrevit, sine Censorum judicio hoc opus divendere, integrum esse. In hac autem Collectione Censores carpebant. I. Quod Harduinus Regum, Conciliorum & Episcoporum auctoritati plurimum de-roget, eosque Pontifici subjiciat. Principes ab eo dependere ubique afferat, atque ex Conciliis studiose depromat ea, quæ ad stabiliendam hanc subjectionem conferre existimat, insuper documenta spuria de Pontificum potestate intrudat, & Conciliis nullam præter eam, quam a Pontificum consensu habent, auctoritatem attribuat &c. II. Oecumenicorum Conciliorum aliorumque venerandæ antiquitatis documentorum auctoritatem deprimat, & talia inferat monumenta, quæ vel nullius sunt auctoritatis, vel non majoris præter eam, quam ipse eis attribuere molitur. III. Quod plurima Conciliorum acta, Regum & Pontificum epistolas aliaque genuina monumenta studiose prætermittat, ex quibus tamen jura, confuetudines, & quarumdam Ecclesiistarum libertates pro tuenda Episco-  
Bijl. Eccles. Tom. LXXIII. M pœ

Sæc. XVIII.  
A. C. 1729.

Sæc. XVIII. porum auctoritate comprobari possent.  
 A.C. 1729. IV. Quod tam in notis, quam Indicibus, Dissertationibus &c. inferuerit ea, quibus existimatam Pontificum auctoritatem stabiliri conatus esset, & de actis Concilii Constantiensis, prout eadém edidit Hermanus Vander Hardt, selectiora quidem depromperit, reliqua vero rejecerit, perinde acsi non nisi vel Scriptorem hæreticum vel nugatorem otiosum, vel maledicuum declamatorem redolerent.

Tandem vero doctissimus hic Scriptor die tertia Septembbris annos natus octoginta tres Parisis pie in Domino obiit, cui Claudius Grosæus de Boze ejus quondam Amicus hoc Epitaphio nimis aculeato parentavit:

In expectatione Judicii  
hic jacet  
Hominum paradoxotatos,  
Natione Gallus, religione Romanus,  
Orbis literati portentum:  
Venerandæ antiquitatis cultor  
& destructor  
docte febricitans,  
Somnia & inaudita commenta  
vigilans edidit,  
Scepticum pie egit.  
Credulitate puer, audacia juvenis,  
deliriis senex.

IV. Vincentius Houdry Jesuita, qui Sæc. XVIII.  
 Bibliothecam Concionatorum publici A. C. 1729.  
 juris fecit. Decessit Parisiis die vige-  
 sima nona Martii anno ætatis nonage-  
 simo octavo. V. Honoratus Tournelii  
 Sorbonæ Doctor ac Professor, qui in  
 defensionem Constitutionis *Unigenitus*  
 multa strenue egit & præclare scripsit,  
 & celebre sibi nomen comparavit suis  
 Prælectionibus Theologicis, quarum  
 synopsin sub titulo: *Prælectiones Theo- Vid. p. 191.*  
 logicæ ad usum Seminariorum confidere  
 cœpit, jamque quartus earum tomus  
 sub prælo sudabat, dum Parisiis die  
 vigesima sexta Decembris annos natus  
 septuaginta & unum e vivis excepsit.  
 VI. Franciscus Bianchini Canonicus  
 & Alexandri VIII. Bibliothecarius, qui  
 posteritati reliquit Historiam universa-  
 lem ex monumentis, & veterum Sym-  
 bolis comprobatam, de Calendario &  
 Cyclo Cæfaris ac de paschali canone  
 S. Hyppolyti dissertationes duas, Con-  
 fiderationes Theoreticas & practicas circa  
 translationem columnæ Antoni Pii.  
 Cubiculum & inscriptiones sepulcrales  
 libertorum, Servorum & Officialium  
 Aulæ Augusti, solutionem problematis  
 Paschalis, epistolam dedicatoriæ ad  
 Historiam legationis Card. Barbarini,  
 Hesperi & Phosphori nova phœnome-  
 na, vitam Cardinalis Norilii & Gemi-

Sæc. XVIII. niani Montanarii, jura in cauſſa Ro-  
 A.C. 1729. mana fontis Baptismalis pro Basilica  
 S. Laurentii in Damaso, & diſſertatio-  
 nem de aureis atque argenteis cime-  
 liis in arce Perusina Anno 1717. effoſſis.  
 Denique præter plura alia ſcripſit epi-  
 ſtolam de lapide Antiati ad Aquavivam,  
 de nummo & gnomene clementino,  
 demum vitas Romanorum Pontificum  
 ab Anafazio Bibliotheſario editas cum  
 eruditis annotationibus, & prolego-  
 menis in tribus majoris molis volumi-  
 nibus rurſus prælo ſubjecit. Obiit au-  
 tem Romæ die ſecunda Martii anno  
 ætatis nondum expleto ſexagesimo fe-  
 ptimo VII. Honoratus a S. Maria

*Mens. Jul.* Carmelita Excalceatus Lemovicenſis,  
*Aug. 1701.* qui in primis ſui Ordinis ſubſelliis col-  
*Anno 1714.* locatus præter Philosophica, quamplu-  
*p. 2192.* rimia alia eruditissimo calamo elucu-  
*Anno 1709.* bravit: inter ea ipſius Reflexiones in  
*Mart.* Regulas & uſum critices tantopere  
*att. 57.* commendantur, ut ipfe paſſim *Critico-*  
*rum Princeps* nominetur, & ejus lucu-  
 bratio non modo a Gravesonio tom. 8.  
 Hist. Eccel. p. 135. ſed ab ipſis etiam  
 Parisienfibus, Trivoltiensibus, & qui-  
 busdam Protestantibus Diariorum Au-  
 toribus ſummo elogio celebretur, ac  
 in latinum, italicum & Hispanum idio-  
 ma translata fuerit. Scripſit in ſuper  
 dogmaticam, Historico - hæreticam,  
 Histo-

Historico - positivam & scholasticam Sæc. XVIII.  
expositionem symboli Apostolorum, A. C. 1729.  
Positiones circa omnes difficultates  
chronologicas ab Orbe condito usque  
ad Christum, & circa inspirationes  
Scriptorum sacerorum, & in Canonem  
librorum V. T. aliaque documenta qui-  
busdam adscripta, necnon circa tradi-  
tiones Divinas. Cum autem Burdi-  
galæ quidam Franciscanus libellum *de*  
*Theologia mystica* ederet, illumque ex  
P. Joannis Charoni Carmelitæ libro:  
sub titulo: *Examen Theologiae Mysticæ*  
decerptum fuisse assereret, P. Hono-  
ratus id ab eo minus æque factum fuisse  
ostendit, edito libro ita inscripto: *Dis-*  
*sertatio apologetica seu refutatio eorum*,  
*quæ Mysticis in nuper excerptis ex exa-*  
*mine Theologiae Mysticæ perperam impu-*  
*tantur:* Insuper publici juris fecit ce-  
lebre opus fæpius recusum, & in va-  
rias linquas versum, cui titulus: *tra-*  
*ditio Patrum & Auditorum Ecclesiastico-*  
*rum circa contemplationem, quæ tum dog-*  
*ma, tum hujus exercitii praxin continet.*  
Pariter ob doctrinæ soliditatem pluri-  
mum æstimatur aliud ejusdem argu-  
menti opus, cui titulum præfixit: *de*  
*motivis & praxi amoris Divini:* Edidit  
quoque tractatum de Indulgentiis &  
Jubilæo, Problema doctis propositum  
circa libros, qui nomine S. Dionysii

Sæc. XVIII. A. C. 1729. Areopagitæ circumferuntur: Dissertationes Historicas & Criticas de Ordinibus Militaribus tam antiquis, quam recentioribus regularibus & fœcularibus, denuntiationem Historiæ Ecclesiastice Claudi Abbatis Fleury ad Gallicæ Episcopos, & vitam S. Joannis a Cruce: Præcipue vero Honoratus illos, qui se se Constitutioni *Unigenitus* opposuerant, solidissimis lucubrationibus acriter impugnabat, propterea dictus: *Quesnellistarum malteus*. Hanc in rem sequentes libros prælo subjicit. I. Contra Auctorem Quesnellistam Examinis Theologici, difficultates eidem propo-  
fitas, in quibus æquitas Constitutionis *Unigenitus*, & Instructionis Pastoralis Cleri Gallicani ostenditur tom. 4. II. Denuntiationem hujus examinis ad Cardinales, Archiepiscopos, & Franciæ Episcopos. III. Observationes Dogmatico-Historico-Criticas operum Jansenii, Sancyrani, Arnaldi, Quesnelli, Petitpied &c. IV. Epistolam Theologi ad quemdam Abbatem circa observantiam Constitutionis *Unigenitus*. V. Dissertationes selectas circa contro-  
versias ob Bullam *Unigenitus*. VI. Epi-  
stolam Theologi ad Abbatem occasione miraculosæ sanationis in festo Corporis Christi. VII. Observationes circa Con-  
sultationem L. Advocatorum Parisien-  
sium.

sium. VIII. Epistolam P. Honorati ad Abbatem circa professionem fidei Sacerdotum Congregationis Missionum S. Josephi Lugdunensis. IX. Vindicias Brevis Benedicti XIII. ad omnes Professores Ordinis Prædicatorum contra calumnias in SS. Augustini & Thomæ Discipulos sparsas. Præter hosce libros adhuc in Insulano Carmelitarum Discalceatorum Conventu asservantur MS. opera sequentia. I. Missa latina cum notis II. Flodoardus hactenus ineditus de vitis Sanctorum Palæstinæ, Patriarcharum & Pontificum usque ad Leonem VII. III. Dissertationes quatuor de gratia, prædestinatione & reprobatione. Obiit celeberrimus hic Vir Insulis die octava Novembris annos patut septuaginta octo. VIII. Michael de Amato Protonotarius Apostolicus, qui publici juris fecit tractatum de piscium aviumque esus consuetudine apud quosdam Christi fideles in antepaschali jejunio, de opobalsami specie ad S. Chrisma conficiendum requisita, Dissert. de cauulis, cur in antiquis fidei symbolis Constant. & Nicæno art. descendit ad inferos fuerit prætermissus, de inferni situ, de Benedictione Christi in ultima cæna, quot calicibus Christus fuerit usus, de ritu, quo in prima Ecclesia fideles S. Eucharistiam percepturi

Sæc. XVIII.  
A. C. 1729.

Sæc. XVIII. manibus exhibebant &c. Decessit die  
 A.C. 1729. 15. Nov. Neapolis nonnisi quadraginta  
 septem annos natus.

## §. XLIII.

*Scriptores Acatholici hoc anno mortui, eorumque opera.*

**N**on desunt ex Protestantibus hoc anno denati, qui suis lucubrationibus sese de Republica literaria bene meritos reddiderunt. Hos inter præcipue inclinavit Samuel Clarke, qui scriptis de Baptismo, Confirmatione & pœnitentia, observationes in librum, cui titulus: *Amyntor*, dilucidationes in quatuor Evangelistas, tractatum de existentia & attributis Divinis, epistolam ad Dodwelum de immortalitate animæ, vindicias hujus epistolæ, Julii Cæsaris opera notis illustrata, & doctrinam S. Scripturæ de Trinitate, cum autem in hoc libro Arianismo favisse argueretur, in sui defensionem plures edidit vindicias, quibus tamen maculam contexit, non autem absteruit. II. Abel Boyer, qui diarium edidit de statu politico Britanniae, nec non vitam Guilielmi III, Angliae Regis aliaque non pauca. III. Joannes Franciscus Budæus, qui Orbi literario reliquit *Institutiones Theologico-dogmati-*

maticas, Isagogen Historico - Theologicas, Historiam Ecclesiasticam V. T. Sæc. XVIII.  
 Institutiones Theologiæ moralis, selecta juris naturæ & gentium, analecta Historiæ philosophiæ, introductionem ad Historiam Philosophiæ Ebræorum, Parergen Historico - Theologicam, tractatum de concordia Religionis Christianæ, statusque civilis, theses de atheismo & superstitione, Miscellanea Sacra, Abarbanelis dissertationes de Principatu Abimelechi, Ecclesiam Apostolicam, epistolam apologeticam pro Ecclesia Lutherana contra Javorsckium, & plures dissertationes, aliaque nonnulla. IV. Simon Hahn, qui prosecutus est Chronicon Bergense Meibomij & elucubravit Jus imperii in Florentiam, necnon collectionem monumentorum veterum & recentiam ineditorum, dissertationem de Regno Arelatensi, & diploma Imperatoris Ottonis M. illustratum. V. Ludovicus Fischlin, qui publici juris fecit Theatrum mysterii *Anonatasasēw πάντων* denudatum, & destructum, Memoriam Theologorum Würtenbergensium unacum supplementis. VI. Joannes Fabritius, qui vulgavit Considerationes variarum controversiarum, enodatam quæstionem, an inter Religionem A. C. & Catholicam non sit essentiale discrimen,

Sæc. XVIII.  
A. C. 1729.

& utrum tam in hac quam illa quis sal-  
vari queat, quam quæstionem cum  
affirmando solveret, pro Syncretista  
habebatur. VII. Nicolaus Hierony-  
mus Gundling, qui præter plures dis-  
sertationes Academicas ad prælum pro-  
movit suam viam ad veritatem ratio-  
nalem & moralem, Historiam philoso-  
phiæ moralis apud Orientales, otia  
Gundlingiana &c. VIII. Gottlieb  
Wernsdort, qui posteritati reliquit  
præter dissertationes sat eruditas com-  
mentationem de indifferentismo reli-  
gionum. IX. Fridericus Lampe, e  
cujus calamo profluxit tractatus de  
cymbalis, alias de mystica miraculo-  
rum Christi interpretatione, commen-  
tarius in Joannem, præter ejus differ-  
tationes Philologicas, orationes & pro-  
grammata in duo volumina Amstello-  
damensibus literis Anno 1737. excusa.  
X. Henricus Gebhard, qui edidit com-  
mentarios in XII. Prophetas minores,  
in epist. Judæ, in Apocalypsin Joannis  
& alia quamplurima. XI. Joannes  
Funck, qui scripsit Historiam refor-  
matiæ, & Conf. Augustanæ, dissert.  
de tempore nativitatis Christi & de  
pulchri natura. XII. Joannes Engel-  
brecht, qui vulgavit tractatum de ve-  
ris & necessariis Philosophiæ moralis  
adminiculis, de præsumptione pro Clero  
præter alia nonnulla.

§. LXIV.

## §. XLIV.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1730.*Acta Parisinæ Facultatis Theologicæ  
circa Constitutionem Unigenitus.*

Fluxerat annus hujus sæculi trigesimus, quo Facultas Theologica Parisiensis die secunda Januarii sua habuit comitia, in quibus prælecta fuere decreta duo, quorum primo die prima Decembris anni præteriti decernebatur, *decretum acceptationis die quinta Martii Anno 1714.* a S. Facultate Parisiensi factæ esse publicum, solemne & legitimum, altero autem Deputatorum relatio unanimi suffragio confirmabatur. Reclamabat tamen Magister Catherineus, suæque oppositionis testimonium Syndico tradidit his verbis conceptum: *Ego infra scriptus Sacré Facultatis Parisiensis Doctor Theologus, socius Sorbonicus intercedo Conclusionibus letis, eoquod interjecta appellatione ab octoginta quatuor Magistris ad supremum Senatum, cuius instrumentum significatum est V. D. Decano, Magistro de Remigny & Scribæ, ut denuntiarent præsentibus Doctoribus, quod causa illa pendeat apud supremum Tribunal, atque, in præjudicium appellationis hujus terminari non posset, ut jam in ultimis Comitiis declaravi; cuius quidem intercessionis meæ Actum &*

*instru-*

Sæc. XVIII. instrumentum postulo. Datum in comitiis  
 A. C. 1730. ordinariis Sacrae Facultatis anno millesimo  
 septingentesimo trigesimo, die secunda Ja-  
 nuarii. Signatum Catherinet.

Verum S. Facultas decrevit, nul-  
 lam omnino habendam esse rationem  
 hujus oppositionis, illamque nullam  
 esse, & hunc Magistrum pœnam in dis-  
 sidentes latam incurrisse: Eadem ad-  
 huc die alii sexdecim Sorbonæ Docto-  
 res, qui partim ob adversam valetu-  
 dinem, partim ob negotia prioribus  
 comitiis non intererant, se Facultatis  
 decretum de acceptata Constitutione  
 pro vero ac genuino agnoscere palam  
 declarabant, scriptumque factæ suæ  
 acceptationis testimonium sibi consig-  
 nari petebant; quod & eorum precibus  
 lubenter datum est. His ita peractis  
 Syndicus habita oratione ad congregatos Doctores ita perorabat,

*Venerabilis Domine Decane,  
 Sapientissimi Patres.*

„Est magna apud omnes bonos, qui  
 „de re Catholica recte sentiunt, maxi-  
 „me vero apud eos ex hoc Ordine Ma-  
 „gistros, qui varias nostræ Galliæ Diæ-  
 „ceses incolunt, expectatio legendi De-  
 „creti, quod in ultimis Comitiis vestra  
 „tulit auctoritas, hodierna confirma-  
 „bit.

„bit. Jam diu, quod a vobis nuper Sæc.XVIII.  
 „tanta animorum consensione fanci- A. C. 1730.  
 „tum est, votis ardentibus exposcebant,  
 „moleste ferentes, dolentesque vehe-  
 „menter, dum recogitabant corde, at-  
 „que animo revolvebant ea omnia, quæ  
 „post Ludovici XIV. triumphantis me-  
 „moriæ obitum nebulosis temporibus  
 „in hoc Ordine contra fas omne ten-  
 „tata fuerunt & peracta, nondum esse  
 „a vobis strenue ac fortiter reparata;  
 „laborat idcirco semper sinistra fama  
 „apud Catholicas gentes verendum  
 „sacræ Facultatis Parisiensis nomen.  
 „Urgebant nos itaque longas incre-  
 „pando moras; ubi autem verbum,  
 „quod apud nos istis diebus factum  
 „est, acceperunt, tum enimvero læ-  
 „tari in Domino, gratulari sibi & vo-  
 „bis, restitutum honorem sacri Ordinis  
 „nostræ, assertam veritatem, cautio-  
 „nes adhibitæ plenas sapientiæ, ne  
 „deinceps tales turbæ in hoc Ordine  
 „orientur. Inde Deo præpotenti tan-  
 „torum bonorum auctori immortales  
 „gratiarum actiones non cessant repen-  
 „dere.

„Verum insuper (ut fidem faciunt  
 „literæ, quas ex variis jam accepi lo-  
 „cis) aliquid postulant ulterius, quod  
 „nobis certe honorificum valde est &  
 „exit

Sæc. XVIII. „erit ad corroborandum, firmandum.  
 A. C. 1730. „que, quod præstitimus, maximi pon-  
 deris adjumentum: Scilicet Decreti  
 vestri ultimi ad se exemplaria mitti  
 petunt, ut ad Decretum vestrum ac-  
 cedentes, sua vestris suffragiis ad-  
 jungant suffragia. Tunc patebit pro-  
 fecto dissidentium nostrorum paucitas,  
 & quænam esset mens sacræ Facul-  
 tatis, si in unum Magistri omnes con-  
 gregati circa præsens negotium lo-  
 querentur. Patebit rem parum suæ  
 caussæ deploratæ faventem præstissime  
 eosdem Magistros dissidentes, dum  
 ad fucum faciendum, animosque  
 commovendos, undequaque corra-  
 dere satagunt nomina Magistrorum,  
 qui suis subscriptibant famosis libellis;  
 atque ad augendum catervæ suæ nu-  
 merum, nonnullos Magistros addunt,  
 vel qui jus suffragii non habent, vel  
 qui scripto declarant, se talibus instru-  
 mentis subscriptissime nunquam..,

„Sed Patres Sapientissimi, non de-  
 bet mandari typis Decretum vestrum;  
 quantumvis optimum, nisi in fronte  
 & in limine Acta, quæ a quarta No-  
 vembris modo præteriti præcesserunt,  
 reponantur, imprimis vero Relatio  
 in ultimis Comitiis facta Deputato-  
 rum vestrorum nomine. Verum, ut  
 in lucem prodeat istud opus, necesse  
 est,

„est, ut ad mentem veitiae Conclusio-  
 „nis, iterum a Deputatis expendatur; Sæc.XVIII.  
 „neque enim aliquid juris publici fieri  
 „debet ius tu vestro, nisi tale sit quod  
 „vestri Ordinis famam ac dignitatem  
 „referat. Id præstabunt quam primum  
 „mandatis vestris obsequentes pro suo  
 „solito studio sapientissimi Deputati.,,

„Deerit inter illos proh dolor? qui  
 „totius operis præcipuus auctor fuit,  
 „Deputatorum antiquior, quem fu-  
 „nere acerbo hisce diebus amisimus,  
 „jactura certe gravi, nec lugenda satis.  
 „Audita ejus Relatione, in nostris u-  
 „timis Comitiis meritas ipsi laudes &  
 „gratias ultro rependimus; nunc vero  
 „feralis ille casus, quo nobis quinque  
 „dierum spatio tam intempestive erep-  
 „tus est, nostras lacrimas reposcit.  
 „Flebilis ille quidem Bonis omnibus  
 „occidit, sed nulli Ordini flebilior quam  
 „nostro, cuius erat, & erit semper  
 „eximum ornamentum. Tanta erat  
 „verborum ejus in Comitiis nostris au-  
 „toritas & gratia, & adeo suavi pol-  
 „lebat eloquio, adeo splendido nitore  
 „amantem veri mentem suam expone-  
 „bat, ut facile ad se raperet animos,  
 „eosque, vi blanda, ad suam plenam  
 „judicii amplectendam sententiam ad-  
 „duceret. Præeditus omnibus ingenii  
 „dotibus, sua singulari eruditione in-  
 „signis

A.C. 1730.

Sæc. XVIII., signis. meritis conspicuus, apud Ma.  
A.C. 1730., gnates viros magno positus in loco,  
,,jamque a multis annis amplissima  
,,fruens fama sui, alienus erat prorsus,  
,,qui sibi inde aliquid arrogaret; vir  
,,convictu facilis, suavissimæ indolis ac  
,,beneficæ, nocere cuiquam nescius,  
,,studens prodeesse cunctis..,

„Hinc factum est, Patres Sapienti-  
,,simi, ut cum per tot annos, plenam  
,,faciens disciplinam doctrinæ suæ, &  
,,mitteus sapientiæ suæ eloquia sicut  
,,imbres, publicis in Scholis Theolo-  
,,giam docuisse, Doctor eximus, quo  
,,nullus melior usquam extitit, atque  
,,jam donatus rude, parta quiete non  
,,inglorius frui posset; cedens tamen  
,,votis amicorum ac precibus, ut fie-  
,,ret utilis, reluctantne ne quidquam  
,,modestia, ingravescente ætate, otium  
,,suum communi apposuit lacro, ut  
,,quos olim tradiderat codices, a se  
,,recognitos, novisque locupletatos  
,,additamentis, publici juris faceret,  
,,& laboriosum istud opus aggredere-  
,,tur, quo sensim ac fine sensu vires e-  
,,jus attritæ sunt & exhaustæ, donec  
,,instar Apis studiosæ vitam ipsam pul-  
,,chro sub fasce relinqueret..,

„Cum ergo talentum doctrinæ &  
,,ingenii, quod acceperat ad usuram  
,,posuerit, atque egregiam, ad ulti-  
,,mum

„mum usque vitæ halitum, pro Ec- Sæc. XVIII.  
 „clesiae bono operam navaverit, ne A. C. 1730.  
 „dubitemus, quin cum ipso bonorum  
 „operum remunerator Deus misericor-  
 „diter egerit, non intrans in judicium  
 „cum servo suo. Libri autem, quos  
 „tanto studio defunctus magister ad rei  
 „litterariæ ornamentum, ad Ordinis  
 „nostræ decus & gloriæ, ad Schola-  
 „rum Theologicarum commodum &  
 „utilitatem typis edidit, laudem ejus  
 „enuntiabunt in Ecclesia, præstabunt-  
 „que, ut non recedat memoria ejus,  
 „sed nomen ejus requiratur a genera-  
 „tione in generationem..”

„Hæc pauca de viro nobis omni-  
 „bus charo hic a me cum vestra ve-  
 „nia dici posse duxi, hac occasione  
 „data: Arguendus alioquin a vobis,  
 „si omnino tacuisse; excusandus au-  
 „tem, si, quod in gravi luctu & mærore  
 „fieri aliter vix potest, non pro digni-  
 „tate rei locutus sim. ..”

### §. XLV.

#### *Sacrae Facultatis decretum contra Do- ctores refractarios.*

Hanc Syndici orationem S. Facultas  
 plurimum commendabat, eamque  
 Sorbonæ tabulis esse inferendam de-  
 cernebat, eo potissimum nomine, quod  
*Hist. Eccles. Tom. LXXIII.* N Syn-

**Sæc. XVIII.** Syndicus tam honorificam Viri de Ecclesia, Sacro hoc Ordine, & rebus Theologicis optime meriti Magistri Honorati Tournelii nuper defuncti memoriam habuisset. Postmodum die decima sexta Januarii rursus generalia habebantur comitia, in quibus idem Syndicus exposuit, sibi jam dudum consignatos fuisse tres fasciculos, in quorum primo quorumdam protestatio, in altero libellus supplex Senatui Parisiensi contra Facultatis decreta oblatus & demum in tertio, Magistrorum de Lagneau, & de la Croix oppositio adversus Facultatis conclusionem die 8. Nov. latam & die 1. Decembris confirmatam continentur. His expositis Syndicus rationes attulit, ob quas de hisce fasciculis serius in comitiis reserre decreverit: Igitur hanc in rem ita effatus est. I. „Intellexeram hoc esse „consilium eorum, a quibus talia instru- „menta mittebantur, distrahere ani- „mos, morasque injicere, ut dum in „hisce perlegendis, aut reprimendis „occuparemur, abiret Comitiorum tem- „pus, sicque impedirent nos de his „tractare & agere negotiis, de quibus, „missis aliis, agendum erat in hisce „prædictis Comitiis, aut aliquæ exci- „tarentur turbæ & contentiones, & „id ad minus obtinerent, ut nulla „pronuntiaretur Conclusio.,,

II. Quan-

II. „Quantum ad actum protestato-  
 „rium non potuissem abstinere ob  
 „muita capita, quæ in ipso continentur,  
 „tum contra reverentiam Regiæ Maje-  
 „stati debitam peccantia, tum injurio-  
 „sa vobis omnibus & Sacro Ordini,  
 „quin statim pro munere quo fungor,  
 „actionem dicerem falsi, & calumniæ  
 „adversus illos Magistros, qui non eru-  
 „buerunt tali instrumento subscribere.  
 „Sola lectio hujuscce instrumenti pro-  
 „bat id a me non sine gravissimo fun-  
 „damento pronuntiari. Verum egis-  
 „sem, ut arbitror, contra mentem  
 „conclusionis vestræ, quæ lata est die  
 „octava Mensis Novembris præteriti.  
 „Viæ vestræ sunt pacificæ, consilia  
 „vestra sunt plena humanitatis, nihil  
 „aliud vultis, nisi ut ad obsequium &  
 „unitatem redeant Dissidentes, mota  
 „autem lite adversus illos, timendum  
 „erat, ne eorum mentes nedum mitesce-  
 „rent, sed inde magis ac magis ex-  
 „acerbarentur. „

„Quantum vero ad actum in se mi-  
 „nime juridicum, sed informem, in  
 „quo continetur libellus supplex obla-  
 „tus Senatui Parisiensi, supervaca-  
 „neum videbatur, ut de illo mentio-  
 „nem ullam amplius facerem, cum  
 „publicis in Comitiis die prima Mensis  
 „Decembris habitis, S. M. de la

Sæc. XVIII. „ Croix objicienti Conclusionem ve-  
A. C. 1730. „ stram diei octavæ Novembris præce-  
„ dentis minime confirmari posse, ob  
„ Provocationem interjectam ad Sena-  
„ tum Parisiensem in dicto Libello sup-  
„ plici contentam, reposuisse ego pa-  
„ lam & aperte, notum esse quidem  
„ nobis, talem Libellum supplicem ob-  
„ latum fuisse Senatui, sed ab eodem  
„ non admissum, neque obstare posse  
„ interjectam aliquam provocationem  
„ ad Senatum Parisiensem, quæ oblata,  
„ nullo hujusce Tribunalis decretorio  
„ judicio niteretur..,

III. „ Cum Magistri, qui subscripsis-  
„ sent tum provocatorio Instrumento,  
„ tum Libello supplici oblato Senatui  
„ Parisiensi, ut ad eorum Magistrorum  
„ caussam accederent, qui auctoritate  
„ Regia jussi sunt die quinta Novembris  
„ proxime elapsi a nostris abstinere Co-  
„ mitiis, adjecta privationis poena ab  
„ omni jure Magisterii, eadem auctori-  
„ tate Regia iisdem fuissent subjecti  
„ poenis, hoc est, & a nostris exclusi  
„ Comitiis & omni privati Magisterii  
„ jure, quia nempe Majestas Regia in-  
„ tellexerat tales Magistros, non tam  
„ contra Facultatem insurrexisse sua  
„ temeraria agendi ratione, quam con-  
„ tra verendam ipsius Auctoritatem,  
„ existimabam, pro reverentia debita

„ Re-

„ Regiæ Majestati, ad nos amplius non Sæc. XVIII.  
 „ pertinere de tali factō inquirere, aut A. C. 1730.  
 „ illos ad Tribunal vestrum advocare,  
 „ cum jam ea de re non viderentur am-  
 „ plius esse quodammodo nostri juris,  
 „ nec decuisset novas poenas iis addere  
 „ ob eamdem culpam, pro qua Rex  
 „ ipse in eos animadverterat.,,

„ Et vero iis rationibus mox allatis  
 „ novam hanc subjiciam: ut quis ob-  
 „ stare possit, ne aliqua Conclusio lata  
 „ vim legis obtineat in Societate, ne-  
 „ cesse est, ut in dicta Societate jus ha-  
 „ beat suffragii; tum enim, si quid vi-  
 „ sum ipsi fuerit peccatum contra leges  
 „ & statuta & Societas noluerit ullam  
 „ habere momentorum, quæ ab ipso pro-  
 „ lata sunt, rationem, eo ipso tempore  
 „ quo pronuntiata est Conclusio, re-  
 „ cursum habet ad Superiorem, inter-  
 „ cedere vel provocare pro ipso jure  
 „ potest: verum ubi a suo jure excidit,  
 „ spectari debet ac si non esset amplius  
 „ Societatis membrum: Quæcumque  
 „ autem instrumenta denuntiet, nul-  
 „ lius erunt momenti, cum, juxta re-  
 „ gulam juris, nullus major sit defectus  
 „ quam defectus potestatis: talis est  
 „ status M. M. Dissidentium, qui utriue  
 „ actui, Potestatorio scilicet, & Libello  
 „ supplici subscripserunt. Auctoritate  
 „ Regia sunt exclusi ab omni aditu Co-

Sæc. XVIII. „ mitiorum, hoc facto privantur omni  
A. C. 1730. „ jure Magisterii. Quo titulo igitur  
„ jam possunt obstare, quominus S. Fa-  
„ cultas legitime congregata eas Con-  
„ clusiones & leges ferat, quas pro-  
„ circumstantiis temporum judicat esse  
„ sanciendas, non video. Caussentur  
„ illi, si velint, ut faciunt suis in li-  
„ bellis, absentiam suam a nostris Co-  
„ mitiis. Donec eadem auctoritas,  
„ quæ jussit eos abstinere, ipsis permit-  
„ tat, ut redeant, S. Facultas pro jure  
„ suo sua celebrabit Comitia, de rebus  
„ propositis deliberabit, ipsis licet ab-  
„ sentibus. & quas voluerit pronuntia-  
„ bit Conclusiones; eorum vero inter-  
„ cessiones, si quæ sint, habebit tan-  
„ quam irritas ac nullas, nec tenebi-  
„ tur vel levissimam earum facere men-  
„ tionem. „

„ Hac ductus gravissima ratione exi-  
„ stimavi, opus non esse, ut de duobus  
„ Actibus supradictis verba apud vos  
„ facerem & abstinerem adhuc hodie,  
„ nisi visum fuisset nonnullis Magistris,  
„ quorum apud me est summa auctori-  
„ tas, opportunum, ut de hisce omni-  
„ bus penitus non tacerem. „

„ Verum de tertio Instrumento sub-  
„ signato a duobus Magistris, qui no-  
„ stris Comitiis die prima Decembris  
„ intererant, & quorum alter jus ha-  
„ bet

„bet suffragii, tacere minime possum, **Sæc. XVIII.**  
 „& de illo retulisse initio hujusce **A.C. 1730.**  
 „mensis, nisi me retardassent negotia,  
 „quibus de more onerantur, quæ fin-  
 „gulis bienniis secunda Januarii cele-  
 „brari solent Comitia; hinc factum est  
 „ut initio ultimorum Comitiorum ve-  
 „niam a vobis postulaverim, quod de  
 „isto negotio non referrem. „

„Actus ille continet intercessionem  
 „factam a duobus SS. MM. scilicet Lag-  
 „neau & de la Croix. Solum appellat  
 „labo jam M. de la Croix, cum  
 „alter, qui etiam subscripterat Libello  
 „supplici oblato Senatui Parisiensi,  
 „vestris non possit interesse Comitiis,  
 „a quibus jussus est auctoritate Regia  
 „abstinere. „

„Scitis, Patres Sapientissimi, a  
 „me interpellatum fuisse tribus repe-  
 „titis vicibus M. de la Croix, utrum  
 „vellet intercedere adversus Conclusio-  
 „nem vestram diei octavæ Novembris  
 „ultimi? Potuisset ille intercedere,  
 „si voluisset, & de ipsius intercessione  
 „a vobis illico in Comitiis Kalendis  
 „Decembris præteriti celebratis fuisset,  
 „ut moris est, deliberatum, quemad-  
 „modum deliberatum fuit de inter-  
 „cessione facta a S. M. Magnodet; ob-  
 „mutuit D. de la Croix, remansit in  
 „Comitiis, & cum a me postulatum

Sæc. XVIII. „ fuisse, utrum vellet facer Ordo vel  
A. C. 1730. „ confirmare Conclusionem, vel ex-  
pectare, donec Deputatorum antiquior  
„ suam habuisset Relationem, de qua  
„ agendum erat die decima quinta ejus-  
„ dem mensis, dictus D. de la Croix  
„ rogatus sententiam ordine suo, eorum  
„ amplexus est opinionem, qui sentie-  
„ bant, expectandum esse usque dum  
„ Deputati retulissent, sed interim a  
„ confirmando conclusione abstinentium,

„ Estne, unde querimoniam moveat  
„ dictus S.M. de la Croix adversus sa-  
„ crum Ordinem, peccatum est ad-  
„ versus leges & statuta? Nonne libe-  
„ rum erat unicuique alterutram, si  
„ vellet, amplecti sententiam? Et quo-  
„ niam, quam amplexus est, non præ-  
„ valuit, estne idcirco intercedendi  
„ locus? Poterunt ergo similiter inter-  
„ cedere quicunque aliquam sequuti  
„ fuerint sententiam, quæ numero suf-  
„ fragiorum non vicerit. Miror, quo-  
„ modo vir in rebus tractandis erudi-  
„ tus, nescio quo, ex præjudicata opi-  
„ nione, abreptus impetu, leges juris  
„ tam cito dedidicerit. .

„ Ut autem aliquis sit rationis color,  
„ pro gravissimo momento contendit in  
„ suo Instrumento per Apparitorem re-  
„ gium significato, summam deberi reve-  
„ rentiam Senatui Parisiensi, atque, cum  
„ causa

„caussa de qua agitur, ad ipsius Tri- Sæc. XVIII.  
 „bunal pendeat ob factam provocatio- A. C. 1730.  
 „nem a nonnullis Magistris, vos, lite  
 „pendente, non potuisse ad confir-  
 „mandam Conclusionem procedere.  
 „Sed iterum hominis eruditii peritiam  
 „hic requiro; nonne in confessio est  
 „apud omnes, nullam esse provocatio-  
 „nem, quantumvis delata videatur ad  
 „Senatum Parisiensem, cuius nos, ut  
 „haec tenus præstimus. summo obse-  
 „quio decretoria judicia veneramur,  
 „nisi nixa fuerit Decreto aliquo quod  
 „gallice vocant *un Relief d'appel?*

Absoluta hac oratione Sacra Fa-  
 cultas decrevit, oppositionem a Ma-  
 gistris Lagueau & de la Croix omnino  
 esse rejiciendam, & utrumque eidem  
 sententiæ ac poenæ esse subiectum,  
 qua nuper Catherinetus fuerat multa-  
 tus, quo facto Magister Poulin palam  
 declaravit, se decreto S. Facultatis die  
 14. Decembris condito sincere adhæ-  
 rere; cum autem Magister Piers de  
 Girardin ore & calamo feso novissimis  
 Facultatis Theologicæ decretis oppo-  
 suisset, Syndicus declarabat, hunc Ma-  
 gistrum in comitiis jam dudum feso  
 iteratis vicibus Virum ferventioris in-  
 genii exhibuisse, sua vero oppositione  
 omnem excessisse modum, eamque om-  
 nino nullam esse, intempestivam, S.Or-

Sæc. XVIII. dini oppido iniuriosam, ac alsitatisbus  
 A. C. 1730. & calumnias turgidam, præcipue cum  
████████ falso affereret, paſſim in comitiis au-  
 diri comminationes exilii & carceris;  
 cum S. Facultatis confilia nonnisi ad  
 humanitatem & indulgentiam colli-  
 ment, eaque nil magis ardentius ex-  
 optet, quam ut e Magistris dissidentes  
 ad obsequium & unitatem doctrinæ re-  
 vertantur. Eapropter Syndicus petuit,  
 ut nulla habita prælatæ oppositionis ra-  
 tione Sacer Ordo prælectam Facultatis  
 conclusionem confirmaret, & Magi-  
 strum Piers e Sorbonæ gremio ejectum,  
 exclusumque declararet, nisi in proxi-  
 mis comitiis suam oppositionem revo-  
 caret, & humillime a S. Ordine veniam  
 peteret, eoquod statuti vigesimi quinti  
 immemor contra reverentiam S. Facul-  
 tati debitam suis convitiis ac probris  
 inverecunde peccasset, atque idcirco  
 juxta Sorbonæ leges a consortio S. Or-  
 dinis repelli promeruisse. His expo-  
 sitis idem Syndicus suasit, ut fatalis  
 poenæ latæ terminus Dissidentibus Ma-  
 gistris præfixus, quamvis die 15. hujus  
 Mensis expiraret, nihilominus tamen  
 prolongaretur, ut emnis querimoniae  
 locus amputaretur, hacque ratione S. Fa-  
 cultas magis magisque suam in redu-  
 cendis refractariis propensam demon-  
 straret voluntatem. Postea Syndicus  
 signi-

significabat, quatuor alias Magistros <sup>Sæc.XVIII.</sup>  
sponte & toto cordis affectu cunctis <sup>A.C. 1730.</sup>  
Sorbonæ decretis adhærere, plurimos-  
que Magistros tam sacerdtales quam Re-  
gulares, qui nondum jure suffragii gau-  
derent, exoptare, ut pari obedientia  
hisce decretis palam adhærere, eis li-  
ceret, præcipue vero conclusioni die  
15. Decembris, qua S. Facultas decla-  
rabat, se amplecti Constitutionem *Uni-*  
*genitus* tanquam judicium dogmaticum  
Ecclesiæ Universalis, eoquod omnino  
æquum esse eis videretur, annuere  
præclaris Magistrorum votis, quæ in  
communi cauſa aliunde in commodum  
& utilitatem tam privatorum, quam  
totius S. Facultatis Parisinæ vergunt.  
His in deliberationem vocatis, S. Fa-  
cultas decrevit. I. Magistrum Piers  
e gremio esse ejiciendum, ni veniam  
peteret. II. Longioris moræ termi-  
num dissidentibus nonnisi in proximis  
comitiis esse præfigendum. III. Docta-  
ribus, qui Sorbonæ decretis acquie-  
runt, suæ adhæsionis literas testes esse  
dandas, æque ac aliis decem, qui pa-  
lam in comitiis declarabant, se sincero  
corde præfatis decretis adstipulari.

## §. XLVI.

*Alia Ejusdem Facultatis comitia.*

Inſu-

Sæc. XVIII. Insuper Sacra Facultas Theologica die  
 A.C. 1730. prima Martii solemnia habebat co-  
 mitia, in quibus Magister de Valliere  
 ceterorum, qui a sua pervicacia resi-  
 puerant, nomine perelegantem habuit  
 orationem, ac sacræ Facultati rem  
 nuperis suis decretis ad totius Ordinis  
 splendorem, atque ad Religionis &  
 Ecclesiæ bonum feliciter ac præclare  
 gestam gratulabatur, simulque palam  
 profitebatur, se obsequentiissimum fore  
 Constitutioni Apostolicæ juxta decre-  
 tum a S. Facultate die 15. Decembris  
 latum, seque lubentissime toto corde  
 & animo in omnibus huic decreto ad-  
 hæsurum. Ad hujus Magistri exem-  
 plum non modo præfati Doctores, sed  
 & viginti tres Magistri suam appellatio-  
 nem revocarunt. Tam prospero comi-  
 tiorum auspicio animatus Syndicus re-  
 tulit, sacræ Facultatis deputatos die  
 octava Novembris Conventum habuisse,  
 atque in eo deliberasse I. super quo-  
 „dam novo Instrumento a centum Ma-  
 „gistris subsignato, quod sibi Syndico  
 „die 13. Februarii per Apparitorem  
 „forensem denuntiatum & significatum  
 „fuisset, & quod fuisset prælectum il-  
 „lud prolixum opus, ita minusculis  
 „literis exaratum, ut vix, nec sine in-  
 „genti oculorum labore legi potuerit, vi-  
 „sum autem esset Deputatis id nihil aliud  
 „esse,

„esse, quam novum Libellum suppli- Sæc.XVIII.  
 „cem, quem Magistri dissidentes obtu- A.C. 1730.  
 „lerunt Senatui Parisiensi, non feli- ~~—————~~  
 „ciori exceptum sorte, quam quem  
 „primum obtulerunt, quia in isto re-  
 „centi instrumento, ut in præceden-  
 „tibus. absurdâ quæque nec ferenda  
 „continerentur, dignum in omnibus  
 „capitibus quod summo contemptu ne-  
 „gliceretur, aut, si tamen de illo a-  
 „gendum sit, ad alia commodiora re-  
 „mitteretur Comitia.

II. „Retulit quoque, actum esse  
 „de Magistro Sornet Licentiando, qui  
 „die vigesima Februarii a Meritissimo  
 „D.Cancellario Baccalaureis Licentian-  
 „dis ad gradum Licentiati obtainendum  
 „asignata, cum cæterorum suorum  
 „commilitonum offensione ac scandalo  
 „ab Aula Illustrissimi Archiepiscopi Pa-  
 „risiensis idcirco recesserat, quod nol-  
 „let postulatum ab omnibus, ad men-  
 „tem Decreti die 15. Decembris ultimi,  
 „certum dare palam testimonium fin-  
 „ceri erga Constitutionem *Unigenitus*  
 „obsequii; addens, apertis verbis &  
 „voce intelligibili coram omnibus, se  
 „tali conditione Benedictionem Apo-  
 „stolicam, gradumque Licentiati mi-  
 „nime posse recipere; censuisse Domi-  
 „nos Deputatos, gratulandum quidem  
 „esse S. Ordini, quod nullus ex Licen-  
 „tian-

Sæc. XVIII. „tiandis aliis tam pravum exemplum  
A. C. 1730. „secutus fuisset; unde S. Ordo intel-  
 ligebat cæteros omnes, qui reman-  
 serant, sese hac in occasione obse-  
 quentissimos præbuuisse; verum anim-  
 advertendum severe in dictum Ma-  
 gistrum Sornet, eumque inter Diffi-  
 dentes annumerandum, neque, nisi,  
 ante præfigendum tempus, ad me-  
 liorem mentem reverteretur, admit-  
 tendum, nisi palam & publice veniam  
 humillime peteret a S. Facultate; si  
 vero renuerit, ex albo Baccalaureo-  
 rum expungendum.,,

III. „Actum esse de figendo termino  
 Magistris Dissidentibus, mentem vero  
 deputatorum esse, benigne satis jam  
 actum esse cum dictis Magistris; pa-  
 tere etiam ex Instrumento recens  
 significato Decretum S. Facultatis ipsis  
 notum esse: Quoniam vero ad eorum  
 manus nondum pervenit Relatio in  
 ipsorum gratiam & commodum ex-  
 rata, cuius editio cum cæteris Acti-  
 bus intra paucos dies erat absolven-  
 da, existimasse Deputatos, concedi  
 adhuc iis posse, qui intra Urbem &  
*Banleucam* commorantur usque ad pri-  
 mam Aprilis proximi, iis vero qui  
 extra Urbem & *Banleucam* degunt us-  
 que ad primam mensis Maij subse-  
 quentis, ita ut tamen nulla ulterius  
 prorogatio concedatur.,,

IV. „ Visum esse iisdem Dominis  
 „ Deputatis, sex Seniores in præse-  
 „ bus Comitiis nominandos, qui una  
 „ cum V. D Decano & Syndico, no-  
 „ mine S. Ordinis Regem ipsum quam-  
 „ primum adirent, si talem honorem  
 „ Regia Majestas concedere vellet S. Fa-  
 „ cultati, & ipsi Acta nostra typis e-  
 „ dita reverenter offerrent ac præsen-  
 „ tarent, ut olim factum fuit tempore  
 „ triumphantis memorie Ludovici XIV.  
 „ cui similiter obtulit suum Decretum  
 „ S. Facultas die 14. Mensis Martii  
 „ 1714. atque cum inde accessisset huic  
 „ Decreto magnum auctoritatis pon-  
 „ dus, interesse plurimum S. Facultatis  
 „ satagere quantum posset, ne tantus  
 „ deesset honor recentiori Decreto suo,  
 „ eo plus virtutis ac momenti habituro,  
 „ quo splendidiori præsidio, eoque Re-  
 „ gio firmaretur. „

V. „ Quantum ad exemplaria acto-  
 „ rum, quæ mandantur typis distri-  
 „ buenda, censuisse Dominos Deputatos,  
 „ honorifice deferenda Viris Principi-  
 „ bus ac in primis dignitatibus consti-  
 „ tutis, Eminentissimis videlicet Cardi-  
 „ nalibus, imprimis vero Eminentissi-  
 „ mo Fleurio, ex cuius potenti patro-  
 „ cinio tantum decoris & adjumenti  
 „ singulis diebus percipit S. Ordo, nec-  
 „ non Illustrissimo Archiepiscopo Pari-  
 „ fiensi,

Sæc. XVII.  
 A.C. 1730.

Sæc. XVIII. „ siensi , cujus omnes norunt propen-  
A. C. 1730 „ sam erga Nos voluntatem , ipsum ,  
„ occasione data , invitandum ac ro-  
„ gandum , si vellet , quod valde hono-  
„ rificum fore & gratum S. Facultati ,  
„ servatis , quæ tempore Illusterrimi  
„ Harlæi unius ex Decessoribus suis ser-  
„ vata sunt , Lauream doctoralem adi-  
„ pisci , seque numero Magistrorum  
„ adjungere . „

VI. „ Vifum esse iisdem Deputatis  
„ non expectandum usque ad proxima  
„ comitia , ut singulis Magistris distri-  
„ buerentur Actorum nostrorum exem-  
„ plaria , sed convenientius fore , si mit-  
„ terentur per domos ; atque ut M. M.  
„ Dissidentes intelligant S. Facultatem  
„ in eorum favorem & commodum jus-  
„ sisse illa mandari typis , ut quæcum-  
„ que inonita & adhortationes in illis  
„ continentur , ad promptum eorum  
„ redditum inserviant , opportunum fo-  
„ re , si singulis exemplaribus ad hosce  
„ M. M. Dissidentes dirigendis , hæc fo-  
„ lita formula adhiberetur , ex parti  
„ S. Facultatis , appositis nomine & syn-  
„ grapha M. Herissant I. Apparitoris &  
„ Scribæ S. Facultatis . „

## §. XLVII.

Sæc.XVIII.  
A. C. 1730.*Ejusdem S. Facultatis decretum circa  
Syndici postulata.*

**D**e hisce sex articulis a Syndico expositis Jacobus Leullierus Decanus cum octoginta quatuor Magistris maturam instituit deliberationem ac tandem communi omnium suffragio decidit.

I. De instrumento a dissidentibus oblatu proxime esse deliberandum.

II. Sornetum Baccalaureum inter dissidentes esse annumerandum, expungendum que ex albo Baccalaureorum, nec si intra tempus mox figendum, redire vellet ad obsequium, admittendum, nisi coram S. Facultate veniam peteret humillime.

„ Terminum fatalem temporis jam concessi M. M. Dissidentibus fixum esse, ad diem primam Mensis Aprilis proximi in gratiam eorum, qui in Urbe vel in Banleuca commorantur, ad diem vero primam Maij subsequentis pro iis, qui extra Urbem aut Banleucam degunt, adeo ut nulla ulterius fieret prorogatio.

III. „ Sex Seniores esse nominandas, qui unacum Decano & Syndico Regem adirent, quique acta sua sta-

Hist. Eccles. Tom. LXXIII. O „tim

Sæc. XVIII. „ tim ac fuerint edita, debita reve-  
A. C. 1730. „ rentia offerrent, simulque Facultatis  
 „ Deputati sua acta deferrent tum Emi-  
 „ nentissimo Regni Administro, Emi-  
 „ nentissimisque tribus aliis Cardinali-  
 „ bus, quos suos inter Magistros annu-  
 „ merare gloriatur S. Ordo, tum etiam li-  
 „ lustriſſimo Archiepiscopo Parisiensi ipſi-  
 „ que declarandum, rem fore admodum  
 „ honorificam & gratam S. Facultati,  
 „ si, servatis, quæ servata sunt tem-  
 „ pore Illustriſſimi Harlæi Archiepiscopi  
 „ Parisiensis, vellet Lauream Doctora-  
 „ lem adipisci, ſeque numero Magistro-  
 „ rum adjungere; voluit insuper Decanus,  
 „ ut iidem curent Deputati deferri cum  
 „ omni honore eadem exemplaria illu-  
 „ striſſimis Franciæ Cancellario, & Re-  
 „ giorum ſigillorum Custodi, omnibus  
 „ Regni Administris, Illustriſſimo Proto-  
 „ præſidi Senatus Parisiensis, & Re-  
 „ giis Triumviris ac Procuratori Ca-  
 „ tholico... „

### §. XLVIII.

#### *Finalis declaratio S. Facultatis.*

**P**ostquam hæc omnia in variis co-  
 mitiis gesta fuissent, Decanus no-  
 mine totius Facultatis sequentem de-  
 clarationem typis promulgari jussit:  
 „ Patebit proculdubio iis omnibus,  
 „ qui

„ qui hæc Acta præsentia lecturi sunt, Sæc. XVIII.  
 „ S. Facultatis Magistros Constitutioni A. C. 1730.  
 „ *Unigenitus* obsequentes numero cete-  
 „ ris Dissidentibus longe prævalere. Hi  
 „ enim quantumvis hactenus omnem  
 „ moverint lapidem, ut suffragia suæ  
 „ caussæ faventia tñdequiaque corrade-  
 „ rent, vix nomina centum Magistro-  
 „ tum potuerunt obtinere. Ex hoc  
 „ autem numero ferme dimidia pars  
 „ eorum est Magistrorum, qui vel in  
 „ Comitiis sacræ Facultatis jūs ferendi  
 „ suffragii nondum habent, vel sunt  
 „ ab octo annis & amplius ejusdem  
 „ juris prærogativa destituti: quin &  
 „ adhuc detrahendi sunt non pauci,  
 „ tum, & illi, qui scriptis ad DD. Syn-  
 „ dicum privatis Epistolis, quas penes  
 „ se servat, declarant, apertis verbis  
 „ perperam omnino inscribi eorum no-  
 „ mina vel in Instrumento protestato-  
 „ rio, vel in Libello supplici, oblato  
 „ Senatui Parisiensi, cum certum sit neu-  
 „ tri Instrumento eos usquam subscrip-  
 „ sisse, tum etiam & illi qui a Comitiis  
 „ die prima Martii celebratis subscrip-  
 „ tionem suam plane revocarunt, se  
 „ seque Decretis a sacra Facultate latis  
 „ adhærere sponte & ultro profitentur.

„ Curabitur ut publici juris fieat quam-  
 „ primum accuratus Catalogus eorum  
 „ Magistrorum, qui ad mentem de-

Sæc. XVIII. „ creti die decima quinta Decembris  
 A.C. 1730. „ 1729. vel viva voce, vel scripto te-  
 „ stati sunt, se corde & animo obsequen-  
 „ tes esse Constitutioni *Unigenitus*, tan-  
 „ quam Decreto dogmatico Universalis  
 „ Ecclesiæ; addentur & eorum similiter  
 „ nomina, qui statim atque Decreta præ-  
 „ sentia receperint, eidem adhæsioni  
 „ accedere properabunt. „

„ Id unum in præsentiarum sufficiat  
 „ observare. I. Nonaginta quinque  
 „ Magistros in Comitiis die 15. De-  
 „ cembris 1729. II. Septendecim in Co-  
 „ mitiis die 1. & 16. Januarii 1730.  
 „ III. Quatuordecim in Comitiis 1. Febr.  
 „ & IV. Triginta septem in Comitiis  
 „ primæ Martii sese ad eandem senten-  
 „ tiam adjunxisse; unde jam constat  
 „ numerum effici Magistrorum ultra  
 „ centum & sexaginta, qui corde ma-  
 „ gno & animo volenti se Constitutioni  
 „ *Unigenitus* obsequentes esse palam &  
 „ aperte gloriantur, atque ex iis bene  
 „ multos Deo optimo maximo, singulis  
 „ diebus grates rependere ob acceptum  
 „ singulare beneficium, quo, agnita ve-  
 „ ritate, caussam prorsus conclama-  
 „ tam deseruere, quæ proh dolor! eo  
 „ unice tendit, ut animi, præfracto om-  
 „ ni subordinationis vinculo, spretaque  
 „ debita Ecclesiæ Decretis & Superio-  
 „ ribus legitimis obedientia, nihil aliud  
 „ præ-

„præter schisma, rebellionem, ac dis- Sæc. XVIII.  
„fensiones spirent.,, A. C. 1730.

### §. XLIX.

#### *Epistola Facultatis Theologicæ Pa- risiensis ad Universitates Colo- niensem & Pragensem.*

**H**is feliciter confectis mox die prima Septembris nomine Decani, omniumque Magistrorum Syndicus Universitates Coloniensem & Pragensem de plena sua submissione certiores reddidit, datis ad eas hisce literis:

*Decanus & Facultas Theologorum Pa-  
risiensium celeberrimæ Studii Coloniensis  
Universitati salutem plurimam in eo, qui  
convertit luctum nostrum in gaudium.*

„Si juxta monitum sapientiæ, cu-  
„ram habere debeamus de bono nomine.  
„Tum maxime cum famæ nostræ asper-  
„sam labem novimus, in iis quæ Re-  
„ligionis & fidei nostræ integritatem  
„spectant, in quibus, ut ait D. Hiero-  
„nymus: *Nefas est quemquam esse pa-*  
„*tientem.* Cum igitur ex iis, quæ statim  
„ab obitu Ludovici XIV. invictissimi  
„Galliarum Regis in nostra Theologica  
„Parisiensi Facultate adversus Consti-  
„tutionem *Unigenitus* a nonnullis tur-  
„bulentis tentata sunt, iste rumor in-  
„faustus de Parisiensibus Theologis per

Sæc. XVIII. „ universum orbem Catholicum incre-  
 A. C. 1730. „ buerit, Decretum nempe, quod Anno  
 „ 1714. pro acceptanda & observanda  
 „ Constitutione Sanctissimæ memoriae  
 „ Clementis Papæ XI. emiserant, sub-  
 „ inde declaratum fuisse nullum, falsum  
 „ & adulterinum (quod tamen invictis-  
 „ simis argumentis ostendimus in actis  
 „ nostris esse falsissimum) imo communi-  
 „ Magistrorum suffragio renitentibus ad-  
 „ modum paucis interjectam fuisse ad  
 „ futurum generale Concilium scanda-  
 „ losam provocationem; uno verbo ad-  
 „ versus Apostolicum Decretum ab Epi-  
 „ scopis acceptatum & promulgatum,  
 „ insurrexisse nihilominus totam Facul-  
 „ tam nostram, atque inde vulgo tra-  
 „ ducerentur Parisienses Theologi non  
 „ secus ac si, per stupendam animorum  
 „ conversionem, a priscis majorum suo-  
 „ rum moribus, & ab antiqua, quæ  
 „ hucusque in ordine suo Doctrina vi-  
 „ guerat, plane recessissent, spretaque  
 „ docentis ac judicantis Ecclesiæ au-  
 „ thoritate, quam *qui non audit tanquam*  
 „ *Ethnicus & Publicanus*, ipso pronun-  
 „ tiante Christo Domino, *haberi debet*,  
 „ se solos aliter docentes esse audien-  
 „ dos jactitarent, eorum r̄itu scilicet, qui  
 „ ut soli sapere videantur, cælum ipsum  
 „ vituperant; & rerum novarum ama-  
 „ tores, *quorum os abundat malitia*, spar-  
 „ sis

„sis undequaque famosis suis libellis, Sæc. XVIII.  
 „tanquam totidem funestis flabellis, A.C. 1730.  
 „falsum hunc rumorem augere non  
 „cessarent, quemadmodum hodierna  
 „die nec adhuc desinunt; adeo ut  
 „in istis florentissimis academiis Ca-  
 „tholicis nemo ferme foret, qui atten-  
 „dendo ad ea, quæ de nobis sinistra  
 „fama renuntiante passim circumfere-  
 „bantur, & ex altera parte revocando  
 „in memoriam felicem præteriorum  
 „temporum nostram conditionem, in  
 „hæc verba luctu & mærore percitus,  
 „non statim erumperet; *hæccine est illa*  
 „per se di *Decoris Theologica Parisiensis*  
 „Facultas, gaudium olim universæ terræ?  
 „quomodo obscuratum est aurum? mutatus  
 „est color ejus optimus; ad tot tantaque  
 „reformanda mala, duximus strenue  
 „ac fortiter esse adlaborandum. Ut  
 „autem præstaremus feliciter, intelle-  
 „ximus non satis, sufficienterque con-  
 „sultum iri famæ nominis nostri, si,  
 „quæ per summum nefas nebulosis  
 „temporibus inserta fuerant in com-  
 „mentariis nostris, & quæ evulgata  
 „falso rumori ansam, aliquodque fun-  
 „damentum hactenus præbuerant,  
 „plane penitusque apud nos rescinde-  
 „rentur, & iis substituerentur meliora;  
 „sed insuper oportere ad amoliendam  
 „hanc labem, ut acta quæcumque a no-

§æc. XVIII. „ bis ea de re sancirentur, publici juris  
 A. C. 1730. „ fierent, ut quocumque, ad dedecus  
 „ & opprobrium nostrum rerum male  
 „ gestarum iniqüitas acceſſerat, ibi pa-  
 „ riter ad refaciendum honorem no-  
 „ strum, damni fortiter ac fideliter re-  
 „ parati notitia perveniret, nec minus  
 „ hodie, ad propulsandam gravem in-  
 „ juriam, diffunderetur factis certissi-  
 „ mis cognitio veritatis, quam ad con-  
 „ flandum turpem calumniam, fese pra-  
 „ vis artibus diffuderat antea propaga-  
 „ tio falsitatis. „

„ Quapropter, quæ duo erant æ-  
 „ que necessaria, statim atque potui-  
 „ mus, eodem ferme momento præſti-  
 „ timus; alterum *in quo agebatur de ſtatu*  
 „ *noftro*, ut verbis utamur S. Augu-  
 „ ſtini, neceſſarium erat nobis, quod  
 „ erat *de recuperanda fama nominis noſtri*  
 „ *neceſſarium aliis*; utrumque debeamus  
 „ æquitati, honori noſtro, Religioni  
 „ itaque ubi fefe fausta obtulit occasio,  
 „ cui jam dudum præſtolabamur im-  
 „ patientes moræ emendavimus, quæ  
 „ jam dudum debuiffent emendari.  
 „ Decretum latum Anno 1714. fuæ, ut  
 „ par erat, ſinceritati reſtituimus, &  
 „ auctoritati, atque, ut nihil deeffet  
 „ opere in tanto, & omnibus, quæ oc-  
 „ currere poſſent incommodis conſule-  
 „ remus, nova ſanctione, eaque, priore  
 „ au-

„authentica magis ac solemniori, Fa- Sæc. XVIII.  
 „cultas nostra declaravit de 15. De- A. C. 1730.  
 „cembbris ultimi in suis generalibus  
 „Comitiis, apud Collegium Sorbonæ  
 „congregata, amplecti se de novo Con-  
 „stitutionem *Unigenitus* tanquam dog-  
 „maticum universalis Ecclesiæ judi-  
 „cium, cui refragari nefas, cui non  
 „obsequi nihil aliud est, quam velle  
 „partem habere cum iis, qui de foris  
 „sunt, nec ad Ecclesiam ulterius per-  
 „tinent. Adhibuimus cautiones, ne  
 „quid huic simile, quod evenerat, dein-  
 „ceps contingeret, neque ad gradus  
 „nostros Theologicos admitterentur,  
 „nisi de quorum constaret apud nos  
 „fidei sinceritate & obsequio, cæteris  
 „quæ expendi solent non neglectis.  
 „Hoc bene ac recte, sapienterque fa-  
 „ctum vobis prosector SS. MM, videbi-  
 „tur: & illud idem valde fuisse non  
 „opportunum duntaxat, sed plane ne-  
 „cessarium, judicabunt, quotquot sunt  
 „æqui æstimatorer rerum, neque enim  
 „sufficit præteritis, aut præsentibus  
 „domesticis malis attulisse remedium,  
 „verum prudentiæ est, in posterum pro-  
 „spicere ac providere. Aliud super-  
 „erat necessarium non minus, a quo exor-  
 „dium duxit præsens Epistola, quod  
 „similiter non censuimus omittendum,  
 „nempe ut non solum typis ad usum

Sæc. XVIII., nostrum mandare utur acta nostra,  
 A. C. 1739., sed etiam eorum exemplaria per or-  
 ,, bem Catholicum affatim spargerentur,  
 ,, tur, & lata eam in rem expresa con-  
 ,, clusione, voluimus ad insigniores  
 ,, Academias, quarum Catholica fides  
 ,, bonus est odor Christi in Ecclesia,  
 ,, quantocius nomine nostro mitteren-  
 ,, tur; nec dubitamus, quin pro vestra  
 ,, erga ordinem nostrum propensa vo-  
 ,, luntate, ad aspectum eorum quæ,  
 ,, favente cælo, novissimis istis tempo-  
 ,, ribus feliciter gessimus, non pluri-  
 ,, mum gaudeatis in Domino, nobis-  
 ,, que velitis ex animo gratulari. Ac-  
 ,, cedit ad istud bonum, quod a se ma-  
 ,, gnum est, descendens a Patre luminum  
 ,, a quo fluit quocumque donum est opti-  
 ,, mum, quod, ex quo prodiit Decretum  
 ,, novum diei 15. Decembris ultimi, sex-  
 ,, centi & amplius numero Magistri,  
 ,, quos officiorum necessitas procul ab  
 ,, Urbe & Comitiis nostris dissitos re-  
 ,, tinet, scriptis eximiis Epistolis, huic  
 ,, applaudere gestiant, suaque suffragia  
 ,, nostris adjungere suffragiis glorien-  
 ,, tur, & singulis diebus accedant ad  
 ,, illud idem roborandum Decretum  
 ,, variis orbis plagis, certissima testi-  
 ,, monia non inferiora prioribus; adeo  
 ,, ut exceptis adhuc non nullis numero  
 ,, paucis de sua nuditate confusis, qui  
     ,, suis

„ suis privatis opinionibus abrepti a Sæc. XVIII.  
 „ cæteris dissident, atque idcirco tan- A. C. 1730.  
 „ quam viri turbulenti iussi sunt a Co-  
 „ mitiis nostris abstinerere, affirmare me-  
 „ rito jam possimus, utendo verbis  
 „ Eutychii Constantinopolitanî, in sua,  
 „ nomine 5. Concilii ad Vigilium Pa-  
 „ pam Epistola, *submota confusione discor-*  
 „ *dice, pacem reformasse Deum in ordine no-*  
 „ *stro, & collectos in unum Magistros unum*  
 „ *idemque sapere in recta fidei confessione, quod*  
 „ *sane Catholice sentientibus gratissi-*  
 „ *mum esse debet, & multum habet*  
 „ *in se non mediocris solatii.,*

„ Quid inde porro his acceptis nun-  
 „ tiis eveniet SS. PP. ac Magistri, illud  
 „ certe quod nostræ inpræsentiarum  
 „ gloriæ plurimum interesse profite-  
 „ mur; quæ infaustæ de nomine no-  
 „ stro, forte apud vos etiam prævalue-  
 „ rant suspiciones, delebuntur: redibit  
 „ pristinus favor, reviviscet præclara,  
 „ quæ apud vos ut alibi, floruerat olim  
 „ nostri nominis existimatio. Docet  
 „ S. Augustinus, lib. confess. *cavendas*  
 „ *omnes suspiciones*, & in antecessum  
 „ Studendum, ne fingatur de nobis  
 „ quidquid fingi potest aut dici; quanto  
 „ magis ubi tam noxiæ suspiciones ob-  
 „ tinuerunt, nec defuit, proh dolor!  
 „ fundamentum ut obtinerent.,

„ His

Sæc. XVIII. „ His ita positis, nullus est, in nostris  
 A. C. 1730. „ evulgandis operibus, superbiæ typus  
 „ metuendus, nulla jactantia, ostenta-  
 „ tio nulla, quia vera inest loquendi,  
 „ ac scribendi, & quæ scripta sunt e-  
 „ vulgandi necessitas. Scimus quæ-  
 „ dam esse opera bona, quæ, ne fiant  
 „ coram hominibus, sed in abscondito  
 „ Divina nobis præcipit in Evangelio  
 „ Christi Domini Sapientia, ad quod  
 „ attendens præceptum, S. Basilius  
 „ recte Christianos admonet, *inanem*  
 „ *Gloriam esse fugientiam*, quam dulcem  
 „ bonorum operum spoliatricem non minus  
 „ vere, quam eleganter nuncupat; ve-  
 „ rum sunt alia tamen opera bona, quæ  
 „ jubente eodem novæ legis Auctore  
 „ Christo, lucere debent coram hominibus,  
 „ ut illa videant, & glorifcent Patrem  
 „ qui in cælis est. Non sunt hæc duo  
 „ inter se pugnantia, si attendamus  
 „ ad diversam operum indolem, & eo-  
 „ rum naturam, de quibus sermo est,  
 „ necnon & ad conditionem temporum,  
 „ in quibus nunc versamur, & sumus  
 „ positi; maxime vero si, quæ mani-  
 „ festa fiunt & evulgantur, eo bono ac  
 „ recto fine prodeant, quo acta nostra  
 „ typis recens edita ad celeberrimam  
 „ Academiam vestram mittere satagi-  
 „ mus. Nostrum ergo non improba-  
 „ bitis consilium, Magistri sapientissimi,  
 „ ex

„ex quo mentem nostram noveritis. Ve- Sæc.XVIII.  
 „hementer cupimus in amicitiam re- A. C. 1730.  
 „dire vestram, si forsan ab illa exci-  
 „dimus, nihil magis cordi est, quam  
 „Academiae vestrae, quæ cæteras in-  
 „ter multiplico titulo eminet, antiqui  
 „amoris vinculo, & Catholicæ fidei com-  
 „munione confociari; unde confidimus,  
 „futurum, ut munusculum illud nostrum,  
 „quale est, ingratum vobis non sit,  
 „Erit certe in signum ære perennius,  
 „& pignus authenticum illius obser-  
 „vantiae singularis, qua vos illustrif-  
 „simusque ordinem vestrum impense  
 „colimus ac veneramur. Valete sa-  
 „pientissimi Theologi, crescentes sem-  
 „per in scientia Dei, veritatem facien-  
 „tes in Charitate. Conjunctis viribus  
 „confortemur in Domino, & in potentia  
 „virtutis ejus ad destruendam omnem  
 „altitudinem extollentem sese adver-  
 „sus scientiam Dei; verbum continea-  
 „mus ad consummationem Sanctorum,  
 „in opus Magisterii & ædificationem  
 „Corporis Christi.,,

### §. L.

#### *Responsum Facultatis Coloniensis ad Sorbonæ literas.*

Hasce Parisinæ Facultatis literas Uni-  
 versitas Coloniensis summa animi  
 læti-

Sæc. XVIII. lætitia recepit, moxque die sexta Martii  
A. C. 1730. anni sequentis, hoc ad eam dedit re-  
sponsum:

*Decanus & Facultas Theologorum Co-  
loniensium celeberrimæ, & antiquissimæ  
Studii Parisiensis Facultati Theologicæ Sa-  
lutem plurimam in eo, qui est Via, veri-  
tas, & vita.*

„ Perquam jucundum nobis fuit,  
„ Viri Sapientissimi, vestras sub inscri-  
„ ptione Eminentissimi Domini Cardi-  
„ nalis de Fleury recipere literas, qui-  
„ bus adjunxitis Acta Sacræ Facultatis  
„ vestræ in famosa caussa Quesnellista-  
„ rum, donum profecto nobis pretio-  
„ sum, ac integritatis vestræ certum  
„ testimonium, quo indefessus pro Ec-  
„ clesia Dei zelus vester & labor ma-  
„ nifestus est omnibus, dum non sicut  
„ plurimi adulterantes verbum Dei,  
„ sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo,  
„ coram Deo, in Christo loquimini,  
„ ejusdem bonus odor, multis, quod  
„ optamus, vitæ in vitam, Deo seu  
„ in honorem ejus & gloriam, ac No-  
„ mini vestro in testimonium sanæ do-  
„ strinæ (melius est enim Nomen bo-  
„ num quam unguenta pretiosa) ut  
„ solitam suam fragrantiam quaquaver-  
„ sum spargat in toto orbe Christiano,  
„ nec illud ultra quasi fætere faciant  
„ tot famosi libelli, injuriosæ Epistolæ,  
„ &

„ & scandalosa Opuscula quædam etiam Sæc. XVIII.  
 „ Nomini Facultatis Parisiensis intendit A. C. 1730.  
 „ citer afficta: in quibus damnata  
 „ Quesnelii Doctrina passim venditur,  
 „ defenditur. Constitutio Dogmatica  
 „ Clementis XI. gloriosæ mem incle-  
 „ mentiæ, iniquitatis & injustitiæ in-  
 „ cusatur, ab ea ejusdemque acceptio-  
 „ ne ad futurum Concilium Generale  
 „ exemplo pessimo appellatur, „

„ Vos igitur Viri integerrimi, pro  
 „ Dogmatica Constitutione Apostolica  
 „ Unigenitus nihil omisisti utilium, ut  
 „ Deus odorem notitiae suæ & verita-  
 „ tum in Bulla declaratarum, & con-  
 „ fixarum falsitatum manifestaret per  
 „ vos in omni loco. Secuti estis mo-  
 „ nitum Magni Ecclesiæ Doctoris S.Au-  
 „ gustini lib. de ver. relig. cap. 8. ad-  
 „ hortantis: Utamur haereticis, non ut  
 „ eorum approbemus errores, sed ut  
 „ Catholicam disciplinam adversus eo-  
 „ rum infidias afferentes, vigilantiores  
 „ & cautiores simus, etiamsi eos ad fa-  
 „ lutem revocare non possimus. Vos  
 „ bonus Christi odor etiam in iis, qui  
 „ pereunt, mortis in mortem; appo-  
 „ suisisti Vos murum pro Domo Do-  
 „ mini, pro sancta Matre Ecclesia, pro  
 „ Cathedra, ex qua Clemens XI. in  
 „ Constitutione Unigenitus Dei Filius,  
 „ per Petrum locutus est; fausta se  
 „ offe-

Sæc. XVIII., offerente occasione stetistis in prælio  
A. C. 1730., pro Sacra Facultate conservantes non  
solum præclarissimum a sæculis no-  
men vestrum & famam, verum &  
plurimum augentes. Accedit etiam,  
quæ Dei providentia & bonitas est,  
salus ex inimicis, quibusdam Dome-  
sticis vestris scriptis incassum tenta-  
runt, eam gloriosem fecerunt;  
ipsi vero in gremio vestro probe & pro-  
vide doctrina fana enutriti, ast in-  
grati, plus quam oportet, aut necesse  
est, nec quæ Dei sunt, sed altum &  
apud se sapientes, immites aliis sine  
benignitate, habentes speciem, vir-  
tutem autem ejus abnegantes privati-  
sunt ea quæ secundum pietatem est,  
veritate & doctrina, sicque inquieti  
spiritus dum plus exquirunt contem-  
plando, quam capiunt, usque ad  
perversa dogmata erumpunt: & dum  
veritatis discipuli esse negligunt, ma-  
gistrorum errorum fiunt. S. Gregorius Ma-  
gnus lib. 6. moral. cap. 12.

Istiusmodi spiritus homines per  
hasce partes non raro evagabantur,  
quærentes quos seducerent, sed stu-  
dio adeo sterili, ut nullos invenerint  
discipulos, ast errorum suorum stre-  
nuos offenderint impugnatores &  
magno fructu Facultas nostra, cuius  
ista est gloria non postrema, quod a

,, ev

„vestris Majoribus descendens vera Ca- Sæc. XVIII.  
 „tholica doctrina dotata, ad hæc us- A.C. 1730.  
 „que tempora perennet, se illis oppo-  
 „suerit, nec pedem figere permiserit. „

„Doctissimas diversorum Reveren-  
 „dissimorum Episcoporum Ecclesiæ  
 „Gallicanæ Instructiones super hac ma-  
 „teria editas lætanter vidimus, studiose  
 „legimus, legendas vehementer com-  
 „mendavimus, esto inflexibiles Ques-  
 „nelli sequaces contrarium plebi ob-  
 „trudere, in vanum tamen laborarint,  
 „soli sapere volentes, nunquam ad  
 „sobrietatem, sed ad spiritus intume-  
 „scentiam. „

„Ad horum majorem confusionem,  
 „ac magni Nominis vestri incremen-  
 „tum unanimi consensu decrevimus  
 „reimprimere Acta vestra nobis bene-  
 „voe transmissa, adjunctis gratissimis  
 „Literis Vestris, qua methodo non  
 „parum ædificabitur populus Romano-  
 „Catholicus & Nominis vestri odor bo-  
 „nus amplius diffundetur. Faxint Su-  
 „peri, ut aberrahtes ad nos redeant  
 „& intelligent verbum Domini dicen-  
 „tis: Ego sum Via, Veritas, & Vita,  
 „super quæ S. Augustinus Tractatu 22.  
 „in Joannem inquit: Ambulare vis,  
 „ego sum Via; falli non vis, ego sum  
 „Veritas; mori non vis, ego sum Vita,  
 „quam Vobis, & Nobis in vera Fide,  
*Hist. Eccles. Tom. LXXIII.* P Spe,

~~Sæc. XVIII.~~ „Spe & Charitate conjunctis pre-  
A. C. 1730., mur æternam. Datum Coloniæ Agri-  
„pinæ in Congregatione Concilii Theo-  
„logici specialiter indicta pridie Nonas  
„Martii 1731.

*De Mandato Domini Decani &  
Magistrorum Sacrae Facultatis  
Coloniensis.*

*Gereon Arnold Schauberg  
Universitatis Coloniensis  
Secretarius.*

§. LI.

*Epistola Pragenfis Universitatis ad  
Parisienses Theologos.*

**H**aud seigniori humanitatis affectu in-  
gens suum gaudium testabatur  
Universitas Pragenfis, quæ pariter ad  
Sorbonæ literas præfata die & anno  
sequens transmisit responsum:

Quod in conjunctionem gaudii, &  
in partem de plenitudine consolationis  
& exultationis suæ, quam sapientissi-  
mi consilii sententia & æquissimi judicij  
Decreto pro Gloria Unigeniti Dei Filii  
congregata in unum, Sacra Facultas  
concepit. Nos evocare libuerit, No-  
biscumque uberrimos sanctæ Lætitiae  
fructus in Spiritu sancto conceptos in  
veri-

veritate, atque Charitate partos com- Sæc. XVIII.  
 municare placuerit, grandis exulta- A. C. 1730.  
 tionis Nostræ accrevit portio, inexplicabilis exhilaratio, ingensque in Nos propensi sacræ Facultatis affectus æstimatio, & veneratio, & utriusque argumentum excrevit: Unanimiter profusis gaudiis ex abundantia cordis exhilarati pariter in consummatione gaudii congaudemus: *Ecce quam bonum & iucundum in Domo Divinæ Sapientiæ habitare in unum, in Charitate congregari, & consentire in veritate.* Impense gratulamur ad unum omnes sacris Comitiis, super quæ Spiritus Veritatis & Charitatis ita descendit, ut dissensioni nullus relinqueretur locus, neque ullum foret votum; sed sola Pax & Tranquillitas recto intellectu & bono affectu colligeret calculos & suffragia, quibus sapientissimi juxta ac Sacerrimi Ordinis æquissimum Arbitrium probatis & approbatis sententiam ferret. Non satis dilaudare valemus ardenteū Sacrae Facultatis Zelum, neque sufficienter applaudere magnanimæ Declarationi, Justissimæ & sapientissimæ Ideæ, atque irrefragabilis Veritatis exemplo, quæ novit pretiosum a vili discernere, atque ita ex Propheticō testimonio, quasi os Divinæ Sapientiæ fieri, quod tam solidam argumentandi vim complectitur

**Sæc. XVIII.** & energiam, ut potens sit irritare, quæ  
A. C. 1730. contraria, roborare, atque firmare, quæ  
 stabienda & quæ firmata sunt, porro  
 confirmare, & ab omni adverso insultu  
 generose & gloriose tutari; Magno  
 nempe Sacerrimus Ordo Sapientiæ ap-  
 paratu est instructus, ut potenti elo-  
 quio, literariisque monumentis nun-  
 quam non capax sit falsas subtilitates  
 enervandi, & evertendi, quibus Apo-  
 stolicæ Sedis Constitutio a malignis  
 conatibus per temporis funesti Affer-  
 tores & Scriptores tentata fuit. Pro-  
 bandus etenim spiritus est non minus  
 Veritatis, quam Charitatis, utrum ge-  
 nuinus sit, ne sub specie Veritatis in-  
 tellectus erret, & voluntas decipiatur,  
 amplissimumque literatæ Virtutis in-  
 probata veritate, & Charitate præco-  
 nium est; hæc namque mali genii est  
 impostura, ut assertis suis perfidam  
 conciliet fidem; hæc rectæ ratione non  
 solum non esse diffona, verum ipsi Di-  
 vinæ Sapientiæ consona jactitet, atque  
 eosque temeritate sua procedat, ut  
 velut Auctoritate fidei nixa, mala quan-  
 tumvis fidei relatis Divinis testimoniis,  
 & majori perversitate in argumentum  
 deductis, roborare divulgareque ausit,  
 & sub specie, quasi pervetustum. &  
 authenticum, quod prorsus novellum  
 & spurium, alleget, invalescenteque  
 lapsu

lapsu temporum erratico lumine Ca-  
thedris, & falsis persuasionibus Aris illudat, Maternaque Ecclesiæ viscera in avulsione Membrorum a Capite dilaceret & *Unitatem* falsitate & iniquitate discindendo, veritatem & Charitatem invadat, ut his duabus virtutibus, quæ yitam fovent cæterorum eliminatis, mendacium cum odio concatenet; neque perversitate judicii proprii contenta iniquitas sibi mentiens, ne mentiri quoque censeatur aliis, folique sibi videatur sapere, consequenter despere, falsum loquens testimonium, facit causam communem, & errorem suum sententiam esse Praeclarorum Virorum, & Sapientissimorum Magistrorum Doctrinam impudenter adstruit, ita perverse sua minuens & obvelans errata.

Verum non est Consilium contra Divinum Spiritum Veritatis sacræ Facultati provide assistentem, quæ sapientissima perspicacitate & illustri prudenter fraudes errantium, & fraudulentorum errores detexit, & de crimine falsi magnæ Auctoritatis argumentis, & solidis sinceræ veritatis literatis monumentis convictit; Sapientissimi enim deputati Magistri ad stuporem attoniti primum ad impactas sacræ Facultati calumnias hæserunt, quando inspectis erroneis commentariis intuiti sunt de-

Sæc. XVIII.  
A.C. 1730.

Sæc. XVIII. coloratam, ac deformem factam sacræ  
 A.C. 1730. Facultatis Doctrinam: *Ecclesiæ capitilis*  
conclamatam esse Auctoritatem, unum Con-  
cilium Generale velut supremum judicium  
Controversiarum habitum, laſam summi  
Pontificis & Episcoporum Sacram digni-  
tatem. Presbyteros simplices Episcopis esse  
æquates, judicium in res fidei ab ipsis  
etiam Laicis esse vindicatum, & usurpa-  
tum; attamen tantas tam illustri sacræ  
Facultati asperitas tenebras justissimo  
Zelo non patiens, clarissima Veritatis  
luce prorsus oppositum se sentire corde  
& animo, calami & vivæ vocis firma-  
mentis, etiam jurejurando hoc afferere  
parata, est contestata, firmissima men-  
tis sententia sacra Facultas declarans:  
Se constitutionem Unigenitus tanquam  
Judicium & Decretum Dogmaticum Uni-  
versalis Ecclesiæ simpliciter secundum  
tenorem assertæ Constitutionis, secun-  
dum mentem & sententiam Sedis Apo-  
stolicæ ad supremum a primo apicem  
recipere, & hanc laudare, & appro-  
bare in omnibus, jubere, ut inferatur  
suis Commentariis, atque etiam man-  
dare typis, & Latino & Patrio sermone  
divulgare, statuereque, ut recitetur  
in Cathedris, neque ullus sacræ Fa-  
cultatis ullum obtineat gradum Digni-  
tatis, qui eidem sacræ Constitutioni se  
firmiter assentiri plenam fidem non fa-  
ciat, & Sacramentum dicat.

Non

Non tamen hæc ita intelligimus, <sup>Sæc. XVIII.</sup>  
 quasi vero data Declaratio tacita prioris sententiæ foret revocatio, sed esse  
 sapientem confirmationem sentimus, <sup>A.C. 1730.</sup>  
 quando jam dudum & multis abhinc  
 lapsis annis sancta hæc Constitutio a  
 sacra Facultate plena fide fuit recepta,  
 ita enim inter sua Decreta sub Num. 2.  
 & 3. sacra Facultas sanctum habet:  
*Attendendo ad gravissima rationum mo-*  
*menta, quibus abunde constat Decretum*  
*sacri Ordinis latum diebus quinta &*  
*decima Martii 1714 verum esse ac genui-*  
*nun, illud iterum & de novo suum facit,*  
*& agnoscit immerito prorsus fuisse decla-*  
*ratum falsum, adulterinum, & commen-*  
*titum, atque idcirco vult, ut nulla ha-*  
*bita ratione Lituræ factæ 4. Jan. 1716.*  
*quantumvis per nonnullas conclusiones pro-*  
*batæ videatur, illud Decretum suum omne*  
*robur habeat, & hac præsenti Conclusione*  
*in integrum restitutum censeatur necnon*  
*quæcumque contra ipsum tentata subinde*  
*sunt, penitus deleantur, & eradantur,*  
*adhibita mentione ad marginem præsentis*  
*Conclusionis; & notanter, quod sequi-*  
*tur, respeximus Decretum: Constitutionem*  
*sanctissimi Domini Nostri Clementis Papæ XI.*  
*datam die 8. Septembris Anno 1713. quæ incipit: Unigenitus Dei*  
*Filius summa cum reverentia, & integro*  
*cordis & animi obsequio, iterum & de*

Sæc. XVIII. *novo amplectitur tanquam Dogmaticum Ecclesiæ Universalis iudicium.* Atque ut clarius sinistrum obscurioris famæ sacra immutet Facultas, & de se avertat iudicium, sapientissimo prosequitur Decreto: *Provocationem, seu Appellationem, quæ legitur, & circumseritur sub Nominis sacræ Facultatis a prædicta Constitutione Unigenitus ad futurum Generale Concilium die 5. Martii Anno 1717. interjecta præsenti Conclusione, quantum opus est, revocat, pro nulla haberi jubet, cassat, & antiquat, atque a suis Commentariis vult, & imperat eradi & expungi, nec non alios omnes actus prædictæ Constitutioni adversantes.*

Quæ singula universim ut publici juris fiant Sapientissimum fuit sacræ Facultatis desiderium; amant enim latere, qui male agunt, ea vero, quæ optima sunt, latissime diffundi, æquum est; proinde gloria Comitia non sunt tam deliberantium, quam in unitatem fidei pro plenitudine Dogmaticæ Veritatis sancte conjuratorum sacra Congregatio, ut, si qui forent adhucdum dissidentes, eos dissertatione pacifica Veritatis Auctoritati reconciliet; Officia enim Magistri fidelium Magnus Sapientia & sanctitate Ecclesiæ Doctor describens Aurelius Augustinus ad tria potissimum reducit capita, videlicet:

ut

ut tollat errorem, inserat veritatem, &  
 nutriat Charitatem. Neque enim satis est luminosam possidere scientiam,  
 verum etiam ingenii dexteritate ornatam esse oportet; ita, ut veritatem,  
 quam docet jam illustratam, aliorum intellectui quoque reddat conspicuam;  
 cum enim, ut idem Divus observat Hippomensis Præfus, Doctori laborandum  
 sit ad dissipandas ignorantiae tenebras, lucem afferendo mentibus, ut appareat,  
 quod latebat: Exhibenda pulchritudo, & suavitas Virtutis, ut ametur, atque  
 austерitate sublata, quæ illius desiderium & spem in animis hominum re-  
 trahebat, tam scite insinuare, ut in ejus amorem prona invitetur voluntas;  
 ut libeat, quod horrebat. Quia tamen persæpe ignavia mortalium utut in aliis ardentia & prona sufflaminat corda, ut viribus amissis bonum cognitum, quod quidem amant, minime tamen inquirant, & amplectantur, ideo generosum robur illis infundendum est, quo ad vincendum, quidquid arduum in exercitio virtutis occurrit, amentur, & fiat, quod pigebat.

Atque ita nihil dedecoris sapientissimo accedit ordini, nihil omnino labis sacræ aspergit Facultati, quod nonnulli a tanta sint alieni sapientia, ut diffentiant; cum Veritas & Virtus in suis

Sæc. XVIII. principiis tam solide sit fundata, ut e.  
A. C. 1730. tiam aliorum errore, ac vitio non ce-  
set esse laudabilis, quando hoc, quod  
commendabile est, ex adverso illau-  
dabili amplius & consummatius illu-  
cescit; neque tamen, ex hoc cogita-  
mus dissidentibus nonnullis exaggerare,  
quod erroneum est, sed invitare, ut  
sacræ Facultatis sapientissimæ senten-  
tiæ consentiant; non erit ignominiaæ  
errantes resipiscere, dissentientesque  
conscientire veritati, sed magnæ Gloriæ;  
quod & ipsum, dispari licet casu, ma-  
gnam Ecclesiæ Lumen comprobat Au-  
gustinus, qui dubium eruditio reliquit  
Orbi; utrum Major faerit in sublimi-  
tate in Libris sapientissimis toti com-  
mendatus, & celebratus Orbi, an Glo-  
riosior in humilitate in Libris retracta-  
tionum; attamen lugenda, & nimis  
quam lugenda s̄ rs est illorum, qui a Sa-  
pientissimis Magistris se avellunt, sanæ  
Doctrinæ & irrefragibili veritati, atque  
Canon zatæ Auctoritati dissentientes,  
nunquam de vera Theologica hi fue-  
runt Sapientia, sed esse apparebant;  
ut de alijs spiritui Veritatis dissonis  
Magnum Galliæ Nomen Mellifluus Do-  
ctor suam promptit sententiam: *a nobis  
abierunt, quia non fuerunt de nobis;* ita  
nimirum aberrant, qui nimium lucis  
suæ ingenio præfisi, dilucidæ obscuri-  
tati

tati fidei, quæ magnum cæteroquin recte agendorum lumen est, humiliter captivantes intellectum in obsequium infallibilis Magistræ Veritatis, se non submittunt; atque hinc magno Veritatis videre coguntur dispendio, lumen suum tenebris involutum esse, non attentes Evangelicum Documentum sibi datum in cautelam; *vide ergo, ne lumen, quod in te est, tenebræ sint, simplici nempe hi destituuntur oculo a Patre luminum illustrato*, & volentes nimium esse perspicaces, impingunt, & in multis offendunt, libertatique suæ, quam nimis libere tueri meditabante, præjudicant, quando etiam libertatem conscientiæ hæretica pravitas obtrudit contra legis vigorem, quasi vero ad commendandam libertatis immunitatem, necessum foret inducere licentiam quidlibet audendi.

Ex quibus facile liquet Sapientissimi Magistri, quis de sacro vestro Ordine sacræ Facultati Theologicæ, & Universitati Carolo - Ferdinandeæ Pragensi sit sensus & sententia, patetque ex declaratione animi Nostri, utrum gloriose famæ Magnorum Magistrorum Sapientissimæ Sorbonæ, quod submetuebatur, labe cuiusdam diffamationis sit præjudicatum; nunquam in Animum Nostrum ita induci valuit rumor etiam

Sæc.XVIII  
A.C. 1730.

Sæc. XVIII. etiam literariis monumentis commis-  
A. C. 1730. sus, ulti, citroque divulgatus, qui  
solemnam in Sorbona volebat esse a  
Constitutione *Unigenitus* proclamation-  
nem & provocationem *ad universale Con-*  
*cilium*, ut fidem inveniret apud eos,  
apud quos facri Collegii Theologici  
Sorbonæ magnum semper & glriosum  
fuit Nomen: Neque quod temeritate  
vulgi ex lapsu privatorum toti adscribi-  
tur Ordini, Academicæ Sapientiæ  
fuit, nec esse potuit judicium, nisi  
quoque Collegium Apostolicum ex de-  
fectu particulari quis ausit infamia no-  
tare; nequivit proinde funestus Mercur-  
rius sacræ Nostræ Facultatis ita obti-  
nere aurem, ut, qui alias Nuntio suo  
reddidit attonitos, apud Nos suspicio-  
nem imo judicium falli rumoris non  
subiret: Quanta enim sint incrementa  
Gloriæ Sapientissimæ Sorbonæ, & facri  
Ordinis Vestri celeberrima quidem &  
Antiqua, nunquam tamen antiquata,  
& in veritatis contestationem respician-  
tur tempora, revolvantur acta, legan-  
tur Scriptorum Monumenta, Majorum,  
& succendentium attendantur Testimo-  
nia, & his eruditus compertum pro-  
batumque edicet, sapientiam hic  
ita Sedem fixisse, ut Emporium foret  
Literatorum, tantæque fæcunditatis,  
ut Universitas Parisiensis multarum  
alia-

aliorum Universitatum esset Mater, gloriosos edens Partus, qui Nobilissimos suos Natales suspiciunt in avitæ Sapientiæ Sorbona, & grata veneratione complectuntur: Hinc & Gloriæ sibi dicit Universitas Pragensis sub gloriosissimæ memoriæ Augustissimo Carolo hujus Nominis IV. Universitatem Parisiensem in Tripolim Pragenam ex parte Colonias duxisse; quin imo & toti Ecclesiæ utilissima fuit, ut ita se non solum Sapientissimam, sed & Christianissimam comprobaret, quando non solum Doctores, sed & Sanctos educavit, & enutrivit? Exinde obligata est Sorbonæ Schola subtilis, quod *sandum Doctorem* habeat Seraphicum; obligata est Schola Thomistica, quod *Angelicum* suum natum *Doctorem*; obligatus est Religiosus Nostræ minimæ Societatis Ordo Inclitæ Sorbonæ, quæ primos cum *sанто Fundatore Patres* non sine laureis Theologicis sapientiæ gloria & honore coronavit.

Absit itaque tam illustrem totque Titulis gloriosorum meritorum incremento, Divinæ gloriæ, fidei salvificæ emolumento conspicuam sacram Facultatem ignominizæ maculis, ceu ab Excelsis Majorum cogitationibus degenerem obscurari. Sacra Facultas,

&amp;

Sæc. XVIII.  
A. C. 1730.

Sæc. XVIII. & facerrimus Ordo vester gloriam suam  
 A. C. 1730. & honorem factis tuebitur. Nos sermone  
 glorioſis his facinoribus iuſſente in uni-  
 tate fidei & coniunctione cum Auſtoritate Ca-  
 pitis Ecclesiæ defendemus, ut dissipatis mi-  
 nus recte ſentientium nebulis ſua cla-  
 ritas reddatur veritati; & abolitis diſſi-  
 dentium nævī ſua firmitas reſtituatur  
 charitati; proinde corpore quidem di-  
 viſi, veritate tamen & charitate con-  
 juncti pro gloria Unigeniti Dei Filii  
 conſpiremus, ſub cujus gratioſiſimiſis  
 Auspiciis Dogmaticum Iacrae Conſtitu-  
 tio-*nis Decretum* ſuum ſumit exordium;  
 Conatus & ſtudia noſtra in ſpiritu Veri-  
 tatis & Charitatis unita Divina Sapien-  
 tia, quæ fons & princeps Caput Ar-  
 gumentorum eſt Theologicorum (Theo-  
 logia enim ex notione ſui Nominis  
 de Deo & ex officio pro Deo loquitur)  
 principaliter largiſſima benedictione  
 firmiora reddet & in terris Divinæ Sa-  
 pientiæ Vicarius Clemens XII. *Clemen-*  
*tissimam Anteceſſoris Conſtitutionem* fir-  
 miſſime propugnantes sanctiſſime pro-  
 utriusque Facultatis incremento bene-  
 dicens, corroborabit, Sacro - Sanctum  
 ſemper tenentes, & continuo retinen-  
 tes, quod dogmatice conſtitutum eſt;  
 repeteret enim crebrius, quod rectum  
 eſt, non eſt de veritate deliberare, ſed  
 quod firmiſſimum eſt, affirmare, & con-  
 firmare.

Quod

Quod autem intervallum Respon-  
foriis ad acceptissimas Nobis interposi-  
tum sit, erat opinione Nostra ex ipsa  
voluntate sacræ Facultatis, cuius de-  
claratione accepimus, omnibus suum  
innotescere velle salutare Decretum, fir-  
mamque de Constitutionis *Unigenitus* ac-  
ceptatione sententiam, proinde ad men-  
tem sacri Ordinis, hanc pluribus lite-  
ratis facultatibus communicatam vo-  
luiimus, ut si forte apud quospiam fini-  
sterior foret opinio, in redintegratio-  
nem Gloriæ plene obliteraretur, atque  
ita Nostram, & plurimum aliorum præ-  
sentibus sacræ Facultatis æstimationem  
manifestam manifestius confignamus.  
Insuper & typis mandavimus, ut im-  
pressius extaret, & indelebiliter inte-  
gerrimæ Sententiæ perseveraret Mo-  
numentum.

Repetitis proinde Votis incrementa  
Divinæ gratiæ & gloriæ, jugem pro-  
speritatem, perennem splendorem, &  
excellentiam sempiternam ex animo  
Facultas Theologica Pragensis sacræ  
Facultati Parisiensi precatur, & com-  
precatur.

Datum Pragæ Pridie Kalendas  
Martii Anno reparatæ Salutis humanæ  
supra millesimum septingentesimum  
trigesimo primo.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1730.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1730.

§. LII.

*Ludovici XV. Franciæ Regis mandatum de acceptanda Constitutione Unigenitus.*

Quamquam potissimi ex Sorbonæ Doctribus Constitutionem sincero animo amplecterentur, non deerant tamen nos nulli, qui ceteris pertinaciores libellum supplicem Parisiensi Parlamento offerrent, peterentque, ut eorum appellatio a Facultatis Theologicæ decretis interjecta reciperetur. Subscripti legebantur centum Doctores, ex quibus tamen non pauci aut jure suffragii nondum pollebant, aut jam dudum eo privati erant, alii vero palam declarabant, se invitis ac insciis sua nomina fuisse libello inserta. Non minora pervicacia obsistebant Parisinæ Urbis, ac circumvicinæ Parochi. Hi enim præter aliam epistolam anno priori die 29. Decembris ad Archiepiscopum Parisensem datam, insuper declarationem publici juris fecerunt, in qua omne acerbitatis virus in Constitutionem Pontificiam & Instructionem Archiepiscopi, qui illius promulgationem præcepit, maledico prorsus calamo evomuerunt, omnesque apices præfatæ instructionis vel temeraria crisi con-

contaminarunt, vel aculeatis ironiis,  
 & malignis interpretationibus corrupe-  
 runt. Ea facinoris indignitas tanto-  
 pere offendit Archiepiscopum, ut die  
 octava Februarii apud Regem amare  
 questus, datis ad eundem literis expo-  
 neret, a fæculis inauditam esse in Ec-  
 clesia proterviam, qua Clerus inferior  
 contra suos Superiores rebelli ausu  
 surrexisset, debitamque subordina-  
 tionem, ac dependentiam aperta fronte  
 evertisset: nihilominus tamen Archi-  
 episcopus Regem rogabat, ut justæ suæ  
 indignationis severitati adhucdum in-  
 terrallum dare vellet; se enim prius  
 omnes patientiæ & charitatis vias ac  
 media pertentaturum. Ad has Ar-  
 chiepiscopi literas Ludovicus XV. Gal-  
 liarum Rex die decima quinta Februarii  
 propria manu rescrispsit, se quidem de  
 ejus sapientia & magnanimitate novo  
 experimento persuasum esse, tantam  
 tamen eorum, de quibus questus esset,  
 scelerum enormitatem esse, ut vix suæ  
 indignationi temperare potuerit, laude  
 equidem dignissimam esse charitatem,  
 qua in reorum favorem implorasset  
 clementiam, si tamen eos mansuetu-  
 dine ad obsequium revocare non posset,  
 polliceri se, quod ipsum tota regiæ au-  
 toritatis suæ potentia suffulturus esset.  
 Nec suis promissis deerat Rex, ut enim  
*Hist. Eccles. Tom. LXXIII.* Q pu-

Sæc. XVIII.  
A.C. 1730.

Sæc. XVIII. publicam, quæ tam manifeste periclitari videbatur, tranquillitatem pro vi-  
A. C. 1730. ribus firmaret, die vigesima quarta Martii in sanctiore suo Senatu decla-  
rationem promulgari jussit, qua denuo exposuit, se omnino velle, ut Pontifi-  
cum Bullæ contra Jansenismum editæ, necnon Constitutio *Unigenitus* ab omni-  
bus & singulis in universo Regno de-  
bita submissione reciperetur, postea  
vehementer querebatur de quibusdam  
turbidi ingenii hominibus, qui Regiam  
suam declarationem Mense Augusto  
Anni 1720. promulgatam transgredi,  
& Bullam *Unigenitus* probris & con-  
victis in suis libellis non minus teme-  
rarie quam petulanter proscindere &  
frivolis cavillationibus formularii sub-  
scriptionem eludere, ac dēnum adver-  
sus Episcopalem Ordinem insurgere  
præsumpsissent. His præmissis Rex  
mentis suæ declarationem septem com-  
pletebatur articulis, & quidem I. ut  
Pontificiarum Constitutionum, & le-  
gum Ecclesiasticarum observantia effi-  
cacious urgeretur, inhibuit, ne ullus  
vel ad S. Ordines promoveretur, vel  
quodcumque Beneficium petere vel ob-  
tinere posset, nisi prius Formulario sub-  
scriplisset; hujus vero subscriptionis  
factæ testimonium tam petitionis literis,  
quam in possessionis actu scriptum ex-  
hibea-

hibeat, secus tam hæc quam illa pro nullis habeantur: Hac super re Ar-  
 chiepiscopi, totiusque Regni Præfules exacte ac fideliter invigilent: Hi autem Ecclesiastici, qui vel nondum formulatio subscriptissent, vel subscribere recu-  
 saverint, ad possidenda beneficia, in quæ institui postulaverint, sint incapaces, cunctaque beneficia, quæ antea eis fuere collata, censeantur ita vacare, ut a quovis alio impetrari valeant.

II. Præcipit Rex, ut non alteri for-  
 mulæ, quam quæ per edictum Mensis Aprilis Anno 1665. præscripta fuit,  
 subscriberetur, omnisque alia formula,  
 nisi sit pura, simplex & vacua ab  
 omni distinctione, aut ejusmodi interpre-  
 tatione vel restrictione, qua directe  
 vel indirecte Innocentii X. Alexandri  
 VIII. & Clementis XI. Bullis deroga-  
 retur, omnino rejiciatur, omnesque,  
 qui aliis formulis uti præsumperint,  
 poenis omnibus præfato edicto Mensis Aprilis Anno 1665. statutis sint obnoxii.

III. Regiæ literæ & decretum die 14. Febr. 1714. promulgatum, necnon Regis declaratio die 4. Augusti Anno 1720. facta in suo robore permaneant, cumque Constitutio *Unigenitus*, utpote ab Ecclesia acceptata, in legem Eccle-  
 siæ transierit, Rex præcipit, ut ea pa-  
 riter pro Regni lege habeatur, & ut

**Sæc. XVIII.** talis ab omnibus subditis (nullo ex-A.C. 1730. cepto) in omnibus totius Regni locis observetur.

IV. Confirmat Rex quintum articulum, quo Anno 1720. die quarta Augusti silentium imponebatur, vetat tamen, ne sub obtentu hujus silentii temere spargeretur, Regem voluisse Episcopis inhibere, ne suis populis obedientiam & submissionem erga Bullam *Unigenitus* inculcarent.

V. Pariter inhibit Rex, ne occasione Bullarum in Regno receptarum nova exigeretur subscriptio, hoc tamen non obstante declarat, quod Episcopi illos omnes (nemine excepto) qui post declarationem Anni 1720. vel suas appellations innovarunt, vel se eis inhærere, scriptotenus declararunt, vel Bullam, aut explicationes ab Episcopis Anno 1714. & 1720. factas publicis scriptis impugnarunt, vel sermones Ecclesiæ & Episcopatui injuriosos habuerunt, a sacris Ordinibus, dignitatibus & beneficiis excludere potuissent & debuissent, singula enim hæc facinora a die prima Augusti Anni 1720. talia erant, ut ejusmodi homines jure accusari potuissent. Eapropter voluit Rex, ad hoc, ut Episcopi ejusmodi criminum reos excludere & repellere valeant, sufficere, ut de uno ex hisce crimini- bus

bus vel legitimis probationibus, vel <sup>Sæc.XVIII.</sup>  
tunc quando pro Institutione ab Episcopis <sup>A.C. 1730</sup> desuper interrogantur, propria confessione convicti appareant, aut suam mentem circa submissionem præfatis Constitutionibus debitam aperire recusant.

VI. Declarat insuper Rex, [quod si illi, qui alicujus ex criminibus in primo, secundo, tertio, & quinto hujus declarationis articulo expositos se reos fecerunt, & forte ab Episcoporum sententia tanquam ab abusu appellare ausi fuerint, eorum appellations interjectæ nullatenus habeant effectum suspensivum, sed duntaxat devolutivum; si que caussa, ob quam Episcopus hos Ecclesiasticos a S. Ordinibus &c. exclusit, non alia est, quam ejusmodi crimen in his articulis expressum, tunc haec caussa non habeatur pro legitima abusus probatione: si vero Episcopi præter hanc caussam alias adduxerint, & haec tanquam abusivæ fuerint judicatae, tunc Parlamenta declarent, in his duntaxat cauſis involvi abusus, & propter has appellantem juxta Articulum VI. editi Mensis Aprili Anno 1695. ad Judices in Hierarchia Ecclesiastica stabilitos & ad ipsum Archiepiscopum vel Episcopum, qui Institutionem Canoniam ei denegavit, remittat.

**Sæc. XVIII.** VII. Innovabat denique Rex ea,  
A. C. 1730. quæ circa Typographos in sua decla-  
 ratione diei decimæ Martii Anno 1728.  
 decreverat, poenisque ibidem statutis  
 obnoxios fore declarabat omnes illos,  
 qui libellos, in quibus præfatæ Pontifi-  
 cum Constitutiones ac speciatim Bulla  
*Unigenitus*, Instructio Pastoralis An-  
 ni 1714. atque Cleri Gallicani expli-  
 cationes Anni 1720. editæ directe vel  
 indirecte impugnantur, vel composuisse,  
 vel in vulgus sparsisse, aut propositio-  
 nes in præfata Constitutione damna-  
 tas innovasse, aut quovis pacto ad-  
 optasse, vel reverentiam Pontifici, Epi-  
 scopis, Regiæ auctoritati, Regini juri-  
 bus aut Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus  
 debitam violasse convicti fuerint. Quis-  
 cunque autem Ordo aut Communitas,  
 vel quisunque privatus suas ædes eo  
 fine locaverit, ut ejusmodi scripta in  
 illis affervari, vel occultari possent,  
 pariter hi omnes severe puniantur. Tan-  
 dem Rex omnibus Parlamentorum Cu-  
 riis & Judicibus serio injunxit, ut hi  
 ad exactam & inviolabilem præsentis  
 declarationis observantiam omne stu-  
 dium & sollicitudinem impendant, at-  
 que Episcopis eorumque Officialibus  
 necessariam opem & assistentiam ad hoc  
 exhibeant, ut eorum decreta & sen-  
 tentiæ executioni mandentur.

Hanc

Hanc declarationem Rex edidit ad ~~Sæc. XVIII.~~  
 impensas Episcoporum preces. Hi e- ~~A.C. 1730.~~  
 nim unacum Fleuryo Cardinale & Chau-  
 velino Regii Sigilli Custode jam dudum  
 Regem aliunde proprio Religionis Zelo  
 & pietate incensum effictim rogabant,  
 ut Regia auctoritate, legumque severi-  
 tate refractariorum petulantiam co-  
 hiberet.

### §. LIII.

#### *Parisini Parlamenti oppositio contra hanc Regis declarationem.*

Hoc Regis decretum Ecclesiæ pacem  
 & Regno tranquillitatem absdubio  
 plene reddidisset, nisi illius executio  
 per summam quorumdam proterviam  
 ad quævis audenda proje&tam minus  
 religiose fuisse promota; adhucdum  
 tamen, postquam D'Auguesfanus supre-  
 mus Regni Cancellarius hucusque vinci  
 nescius, necnon Portailus primus Par-  
 lamenti Parisini Præses sese Constitu-  
 tioni Pontificiæ subjecerant, haud exi-  
 gua prosperi successus spes affulserat;  
 quocirca Rex die tertia Aprilis suam  
 declarationem Parlamento tradi, eam-  
 que ad acta referri præcepit: Præses  
 igitur, cum de communi omnium con-  
 sensu haad temere dubitaret, Regis  
 mandatum nonnisi aliquibus, privatim

Sæc. XVIII. eorum mentem exploraturus communi-  
A. C. 1730. nicabat. Attamen futuræ oppositionis  
augurium erat responsio, qua ex his  
quidam palam edicebat, Regis decla-  
rationem acceptari non posse, nisi quis  
Deo perjurus, & Regi infidelis esse ve-  
lit. His subjunxit alias, *decem abhinc*  
*annis supremum Parlamenti Praesidem unius*  
*nobiscum labii fuisse, nunc vero nobis adver-*  
*sari, ita nempe honores mutare mores,*  
Nihilominus biduo post, Regis declara-  
tione in omnibus Curiis prælecta, Se-  
natoribus injunctum est, ut eam sine  
omni tergiversatione Parlamenti tabu-  
lis infererent; omnium tamen suffra-  
giis conclusum, quosdam Deputatos  
esse nominandos, qui præfatam decla-  
rationem exactius discuterent: Prius-  
quam vero ad horum nominationem  
procedi posset, supremus Parlamenti  
Præses ex proprio arbitrio viginti octo  
ejusmodi Deputatos designabat. Tum  
vero gravis inde oriebatur contentio,  
obtendentibus Senatorum potissimis,  
unicuique Curiæ integrum esse, ut suos  
quæque Deputatos nominaret. Fer-  
vebat adhuc intempestiva hæc alterca-  
tio, cum die trigesima prima Martii  
nuntiaretur, Regem ipsum proxima  
die tertia Aprilis pro tribunali acturum.  
Hoc tamen nuntio Quesnellistæ adeo  
pon terrebantur, ut etiam altera mox  
die

die contra Constitutionem Parisino Parlamento duos libellos supplices offerrent, in quorum altero, quem Parisienses Advocati promulgaverant, formularii subscriptionem, & Constitutionis acceptationem propudioſo Idololatriæ nomine infamabant.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1730.

### §. LIV.

*Rex suam declarationem in aëta Parlementi referri postulans.*

Appropinquante die, qua Ludovicus XV. Franciæ Rex pro tribunali sedere constituit, ejus iussu Antonius Dreux supremus rituum Magister Parlamentum convocavit: Convenerant igitur in Lupara Regiæ stirpis Principes, Duces, Franciæ Pares, Mareſcalli, aliique quamplurimi, quos inter Borbonius Dux Regem unacum Aurelianensi Duce, & Caroloregio ac Claramontio Comitibus adventantem per honorifice exceptit: Præmissis mutuæ salutationis officiis Rex sacro solemini interfuit, quo peracto ad majorem Aulam progressus, præfentes ita alloquebatur: *Exhibeo meo Senatui declaracionem, quam vestris tabulis inseri postulo, et etera a meo Cancellario percipietis. His dictis subjunxit Cancellarius: Hæc Rex non ideo postulat, ut Regiæ suæ potestatis*

Sæc. XVIII. adiutum exercere, videatur, sed unice ideo,  
A. C. 1730 ut tandem graves altercationes tollantur  
Et damnis inde emersuris præcaveatur, atque obstinati, qui Constitutionem tanquam Ecclesiæ ac Regni legem acceptare, Et declarationibus Regiis hactenus editis obsequi renuunt, imo Et dissidia jamjam extincta refuscatre præsumunt, pro merito culpa coerceantur. Ad hæc Parlamenti nomine Præses respondit, declarationem in hoc excedere, quod Constitutionem pro universali Ecclesiæ lege, qualis tam non esset, acceptari exigeret. Ast Gilbertus supremus Parlamenti Advocatus Declarationem sine omni limitatione recipiendam esse conclusit, eamque ab illo, qui a Regiis commentariis erat, publice prælegi jussit. Exoriebatur inde gravis omnino tumultus, ac præ ceteris Lessevilla Præses senio venerandus in genua procumbens, Regem rogabat, ut suam declarationem revocaret, demum a Cancellario admonitus, quod opinandi series ipsum nondum tangeret, surgere tamen noluit, donec Regis nomine tacere jussus esset. Ex ceteris Senatoribus alii palam reclamabant, alii inquieto murmure suam oppositionem manifestabant, pauci solo capitis nutu declarationem actis inferendam esse innuebant: Præcipue vero Novetus, Mongeronus, Peti-

Petitus, Vilenierus, Gasconus, Dupreus, Sanmaurus, aliique tam concitata voce obstrepebant, ut Cancellarius iterata vice silentium indicere cogetur. Porro ad fedandum hunc tumultum Praeses Amelotus de Gournay nil consultius proponi posse censebat, quam Regem perdemisse esse rogandum, ut suam declarationem supprimere vellet: Hujus consilio annuebant supremæ Curiæ Patres, ex quibus præcipue Abbas Pucella, Bellepechius & Vrevinus assentiebant quidem, Cancellario vero mordacibus verbis animi sui inconstantiam exprobrabant. Horum tamen declamatione flocci habita, Parliamentum ex Regis mandato declarationem ad acta referre cogebatur, pro incuncta, quæ die tertia Aprilis contra eam agebantur, tanquam nulla & irrita fuere declarata, interminata poena alias in refractarios stabilita. Insuper Rex ad Parliamentum literas transmisit, vi quarum quatuor Praefides, & totidem seniores Consiliarii, Advocati, aliique plures Fontis Bellaquei ad diem primam Maij comparere jubebantur, quibus ad alloquium admisisis Rex hæc significabat: *Vos huc venire jussi, ut vobis indicarem, quam iniquo animo tulerim omnes vestros ausus, consilia & tumultus, a die, quo pro tribunalí sedebam, concitatos,*

Sæc. XVIII.  
A. C. 1730.

Sæc. XVIII. tatos, cetera ex meo Cancellario percipite.  
A.C. 1730. Hic vero suam eis pertinaciam acriter  
 reprobrans, cuncta hucusque gesta  
 annullari, exacte describi, ac demum  
 hanc scripturam ad acta referri jussit,  
 hisque verbis suum absolvit sermonem:  
*Hucusque Rex tanquam Pater vobis*  
*egit, cavete, ne se vestrum Regem esse mon-*  
*strarre cogatur.* Ad hæc Præses nomine  
 Parlamenti respondit, dolemus sum-  
 mopere, Regi nostram agendi rationem  
 molestam accidisse, ast Parliamentum,  
 quicquid egisset, non alio fecisse animo,  
 nisi ut suam Regi fidelitatem testata in  
 redderet, ac propterea sperare se, quod  
 præstitis suæ fidei obsequiis Regiam dein-  
 ceps gratiam esset promeritum. His  
 ita perattis Rex, ut mali radicem e-  
 velleret. Quesnelistis administrationem  
 Collegii ad S. Barbaram ademit; cum  
 enim illud jam dudum esset quasi Se-  
 minarium Jansenismi, hinc Rex om-  
 nes illius Superiores ac Professores ad  
 viginti omnino leucas extra Parisinam  
 urbem exulare jussit, eisque præclaros  
 subrogavit Magistros, qui proprio suo  
 exemplo obedientiam decretis Aposto-  
 licis debitam probe edocerent.

§. LV.

Sæc.XVIII.  
A.C. 1730.*Benedicti XIII. summi Pontificis  
obitus.*

Postquam Benedictus XIII. Pontifex Maximus habito Patrum Senatu die octava Februarii Alamanum Salvatium patria Florentinum Romana Purpura decoraverat, die decima sexta ejusdem Mensis violento opprimebatur catharo ac laboriosa tussi: Accesserat indies ad morbi vehementiam solito major virium debilitas, ac die decima nona præfati Mensis omnium Medicorum judicio de ejus vita conclamatum esse videbatur, adeo, ut Hannibalem Albanum, Barberinum & Corradinum Cardinales, qui tum aberant, Romanum revocare oporteret: Altera quidem die Pontifex meliuscule habere cæperat, vitæ tamen suæ finem instare sentiens, sepositis omnibus curis soli Deo vacabat, & conscientia sua a noxiis purgata, cum Rem Divinam per se peragere nequiret, die vigesima prima Februarii Missæ sacrificio flexis genibus adstitit, & Christi Corpus maximo pietatis sensu accepit: demum morbo ad momenta ingraevemente ad vesperam ejusdem diei plentissime animam Deo reddidit, anno ætatis octogesimo primo,

&amp;

Sæc. XVIII. & Pontificatus quinto, Mensibus octo,  
 A. C. 1730. & diebus viginti tribus. Corpus ejus  
 postridie ad Sacellum Sixtinum trans-  
 ferebatur, ubi triduo de more exposi-  
 tum erat, tanta populi, qui sanctum  
 Pontificem venerabatur, confluente  
 frequentia, ut appositæ excubiae vix  
 prohibere possent, ne indiscreta devo-  
 tione Cadaver aut in frusta scindere-  
 tur, aut decerpitis vestibus ad nudita-  
 tem reduceretur, postea tribus inclu-  
 sum capis e conspectu tumuli Inno-  
 centii VIII. prope portam Odei Canto-  
 rum collocatum est, tertio post anno,  
 ut Pontifex vivens exoptaverat, ad  
 Ecclesiam S. Mariæ supra Minervam  
 transportatum.

### §. LVI.

#### *Eiusdem summi Pontificis scripta typis edita.*

Cum hic idem longe dignissimus Pon-  
 tifex pietatem cum scientia felicis-  
 simo nexu conjunctam haberet, non  
 paucas lucubrationes Ecclesiæ ac Rei-  
 publicæ literariæ perutiles posteritati  
 reliquit, & quidem I. orationem in  
 funere Antonii Cardinalis Barberini  
 II. libellum sacrorum epigrammatum  
 III. Epistolam Apologeticam pro Re-  
 gulari habitu ab Episcopis Regularibus  
 defe-

deferendo contra Josephum Ciantem Sæc.XVIII.  
 Marforum Episcopum IV. Synodum A.C. 1730.  
 Diæcesanam Syponinam. Tomis II. 

---

 V. Synodum Provinciale Syponinam  
 Anni 1567. a Card. Gallio habitam  
 VI. Epistolam pacificam ad populum  
 & Clerum Beneventanum VII. Sermones  
 Marianos VIII. Synodicon Diæcesanum  
 Beneventanæ Ecclesiæ continens 38. Synodos ante Pontificatum  
 Romanum celebratas. IX. Lectiones  
 in Exodum Vol. II. X. Conclaves Qua-  
 dragesimales. XI. Synodicon Provin-  
 ciale Beneventanum notis illustratum.  
 XII. Synodum Provinciale Beneven-  
 tanam XIII. sexaginta sermones de  
 purgatione animarum corpore soluta-  
 rum XIV. Concilium Provinciale Ro-  
 manum.

## §. LVII.

*Benedicti XIII. P. gesta in Pon-  
tificatu.*

Benedictus erat Pontifex, in cuius laudibus adornandis Scriptores con-  
 sentiunt omnes, & nullus, ne ipsa qui-  
 dem invidia, quid in eo carperet, huc-  
 usque invenit. Pontificatum iniit,  
 gessit atque absolvit, laude tam incor-  
 rupta, ut cum sanctissimis, ac celebra-  
 rimis quibusque Prædecessorum in com-  
 para-

Sæc. XVIII. parationem venerit, plurimisque me-  
A. C. 1730 ritorum copia præcelluerit. Enituit  
 omnium plane virtutum præstantia,  
 præsertim humilitate, qua sui generis,  
 dignitatisque velut oblitus ad vilissima  
 quæque obsequia, si Deo grata, &  
 proximo utilia agnovit, sese demitte-  
 ret; unde accidit, ut mendicis fre-  
 quentissime pedes lavaret, eis ipsus  
 ad mensam inserviret, & ægrotis lectos  
 in Nosocomiis componebat, eorumque  
 tam spirituali quam corporali necessitatibus  
 providus, humiliisque Pater prospice-  
 ret. Erat etiam speciale in Benedicto,  
 dignumque memoratu humilitatis spe-  
 cimen, quod, dum in Basilica Vati-  
 cana Sacrum solemne peregit, nunquam  
 relicta Ara, thronum suum condescenderit,  
 ibidem Sacram Synaxim sumpturas:  
 Tanta in eo erat erga Numen Eucha-  
 risticum religio, ut consuetudini a do-  
 ctissimis juxta ac sanctissimis Prædeces-  
 soribus suis observatae potius derogan-  
 dum, quam in externa etiam animi  
 demissione deficiendum censeret: Enim-  
 vero perantiquus Romæ mos vigebat,  
 ut Pontifex, si solemni ritu in hac Ba-  
 silica Sacris operaretur, Sacrificium  
 peracturus ad Hostiæ oblationem e  
 throno suo descendat, & ad Aram us-  
 que ad Agnus Dei &c. consistat, tum  
 vero solium repetat, & sedendo preces

S. Com.

S. Communioni præmittat, & Sacram Hostiam, quæ cum ex Altari defer-  
tur, flexis genibus recipiat, in duas Sæc. XVIII.  
partes dividat, earumque unam ipsus A.C. 1730.  
absumat, & alteram Cardinali Diacono  
absumendam tradat; parique ritu au-  
rea fistula sacratissimum sanguinem hau-  
riat, & calicem Diacono, qui reliquas  
sacri Sanguinis gustas absorbet, ad  
Aram deferendum restituat. Hic ritus  
suo fors mysterio haud caret, nectamen  
a quorundam cavillatione immunis  
est, & quamdam ostentationis speciem  
redolere videtur, eo minus in Augu-  
stissimo hoc Sacramento adhibendus,  
in quo in conspectu Dei, qui pro om-  
nium salute in Sacrificium offertur,  
quilibet etiam summæ dignitatis homo  
merum nihilum eit: id saltem de se  
existimasse videtur Benedictus, qui  
salva hujus ritus integritate, Deum  
profundissima, qua posset, humilitate  
adorare voluit.

Par ei erat reverentia & liberalitas  
in Res sacras, Deique cultum; plures  
enim præfertim Ecclesias aut e funda-  
mentis erexit, aut magnifice exornavit,  
aut liberalissime dotavit; alia vero  
quamplurima sacræ hujus munificentiae  
specimina jam antea retulimus. Super-  
est, ut de ceteris hujus Papæ gestis  
memoremus ea, quæ immotum ejus  
*Hist. Eccles. Trm. LXXIII.* R stu-

Sæc. XVIII.  
A.C. 1730.

studium in restauranda Ecclesiæ disci-  
plina manifestant: nam præter salu-  
berrimas leges, quas in Synodo Ro-  
mana, suisque Constitutionibus fre-  
quentissimas fancivit, insuper habitis  
ad populum sermonibus ferme quoti-  
dianis, explicatisque doctrinæ rudi-  
mentis, & vel maxime proprio sancti-  
moniæ exemplo formam se gregis de-  
monstravit ex animo, Cleri præsertim  
Romani & Beneventani, in quo rite  
efformando totus erat. Vigebant præ-  
terea in Benedicto virtutes præsertim  
duæ Princepum propriæ, Justitia & cle-  
mencia: Communis erat omnium Pa-  
ter, qui nihil unquam vel privato af-  
fectui, vel opibus, aut gratiæ, totum  
vero meritis tribuit, ad æquam bilan-  
cem pauperum juxta ac divitum cau-  
fas exigere solitus: Illud autem singu-  
lare, quod a Nepotum amore adeo a-  
lienus esset, ut quavis horum quam-  
plurimos haberet, nulos habuisse cre-  
deretur. Erat equidem in omnes mu-  
nificus, & erga oppressos, miserosque  
humanus, Clericorum tamen & Sacer-  
dotum delicta severe infectabatur, ac  
facinorosos ablato immunitatis Eccle-  
siasticæ abusu justa coercedbat animad-  
versione, quam tamen clementia tam  
mirifice temperabat, ut publico om-  
nium iudicio personæ amicus, & so-  
lius

lius criminis hostis diceretur, eoque Sæc. XVIII.  
nomine timorem pariter & amorem A. C. 1730.  
populi in se converteret Nec ullo in  
loco Reipublicæ necessitatibus defuit,  
semperque intentum habuit animum,  
ut prudenti ditionis Ecclesiasticæ ad-  
ministrationi adlaboraret; eo fine an-  
nonæ pretium laxavit, & carnis vœcti-  
gal, quo antea populus gravabatur,  
suppressit, & pro annona Urbana, &  
Re agraria bene gerenda saluberri-  
mam edidit Constitutionem.

Porro tam singulari eminuit mo-  
destia cultus domesticæ, vitæque tem-  
perantia, ut carnes esculentas, dapes-  
que opimas quandoque oblatas constan-  
tissime recusaret, & crebris jejuniis  
macilentum, pallidumque corpus ma-  
cerans, frugali admodum mensa utere-  
tur; & si juscum obsoniis mixtum  
fumeret, id furtim & eo non adver-  
tentente, ab aliis apponi deberet, ut cor-  
pus viribus exhaustum parumper refi-  
ceretur: Tam alienus erat ab omni  
luxu, ut in victu vel famulatu intem-  
perantiam & profusionem, aut subdi-  
titiæ comæ usum etiam in Cardinalibus  
ferio reprehenderet: cetera erat natura  
placidissimus, pacificus, morum comi-  
tate insignis, & ad obsequia quibus-  
cunque præstanta promptissimus, adeo,  
ut non raro eidem in crimen vertere-

R 2 tur,

Sec. XVIII. tur, quod aliorum jura vel leviter vio-  
 A. C. 1730. lare veritus, Cæsaris aliorumque Prin-  
 cipum postulata votaque saepe non sine  
 propriæ auctoritatis dispendio adim-  
 plere certarit. Denique ad extremam  
 usque vitæ suæ horam nunquam a la-  
 boribus sibi temperavit, nihilque de  
 pristino christianarum virtutum exerci-  
 tio remisit, sed senex, gracilis, ægrotus,  
 viribusque attritus, nec a Medicis,  
 suisque Familiaribus persuaderi potuit,  
 ut saluti prospiceret suæ, aut a labore  
 tantisper quiesceret, saepe dicere soli-  
 tus, omnino oportere, ut artem, quam  
 quisque profitetur, usque ad obitum  
 impigre perficeret, decere etiam, ut  
 Sacerdos stans ad Altare mortem op-  
 peteret. Tantarum virtutum splen-  
 dum si levis quædam macula obfuscabat,  
 ea alia non erat, quam quæ na-  
 tivæ animi sui indulgentiæ adscribenda  
 est; cum enim nullius doli capax, &  
 de suis quicquam mali suspicari, assue-  
 tus non esset, nimis præclare de suis  
 clientibus sentiebat, proin erga eos  
 indulgentiorem, quam saepe oportuis-  
 set, sese exhibebat: Nec id in Bene-  
 dicto dissimulabat ejus Biographus,  
 Marius Guarnacci, qui de eo hæc scri-  
 psit: *Revera pius ille Pontifex inter Cæ-  
 nobii septa educatus, optimisque studiis im-  
 butus, ut erat ad Episcopales curas & ad  
 gerentia*

gerendum supremum Apostolatum aptissimum, Sæc. XVIII.  
 ita e contra ad Magistratus obeundos, ad A.C. 1730  
 Rempublicam capeſſendam minus videbatur  
 idoneus. Tanta præterea pollebat morum  
 innocentia, ut nec abditas negotiorum diffi-  
 cultates valeret internoscere, nec Ministri-  
 rum, præſertim vero ſuorum familiarium  
 aſlus præcavere. Et tamen constanti in-  
 genitæ iuſtiticæ ſtudio ad optima quæque  
 agenda erudiebatur. Pontificium aerarium  
 minime imminutum fuit: Novo ære alieno  
 Camera Apostolica non laboravit &c. Hæc  
 ille, Cardinalis vero Quirinus in ſuis  
 Commentariis Part. II. p. 277. gloriffimi  
 hujus Pontificis laudes hac epigraphe  
 complectitur: *Uſinum nominare, virtu-  
 tem ipſam laudare eſt, Uſinam pingere,  
 virtutem ipſam delineare eſt,*

### §. LVIII.

#### *Quidam Romani Præſules cuſtodiæ dati.*

Hoc Pontifice ad tumulum delato Sa-  
 crum Purpuratorum Collegium de-  
 more negotiorum administrationem in-  
 ſe ſusceperebat; ac præprimis Cardinalis  
 Corsinius functiones, quæ Fisci Romani  
 Curiæ Præſidi competunt obibat; ab-  
 fens enim tum erat Hannibal Cardina-  
 lis Albanius, quo tamen die vigesima  
 tertia Februarii Romam delato Cardi-  
 nales

Sæc. XVIII. nales Zondadarius, Altierius, & Ale-  
 A.C. 1730 xander Albanius pro instruendo Con-  
 clavi Inspectores supremi nominaban-  
 tur. Urbis vero Regimen Aribertio  
 Palmirano Archiepiscopo delatum est.  
 His ita dispositis prima Cardinalium  
 cura eo abibat, ut in eos inquirerent,  
 qui Pontificis indulgentia abusi, populi  
 oppressione aliisque inquis viis the-  
 sauros sibi coacervasse credebantur;  
 Horum principem extitisse censebant  
 Cardinalem Cosciam, qui aliunde sua  
 arrogantia, aliorum contemptu, & a-  
 varitia Cardinalium indignationem,  
 & populi odium in se concitaverat;  
 Nondum tamen Cardinales in hunc Vi-  
 rum tempestatem, quam parabant,  
 detonare audebant, fors reverentia  
 erga defunctum Pontificem absterriti,  
 qui edito decreto inhibuit, ne post Pon-  
 tificis obitum quisquam de pecuniis a-  
 pud Cosciam depositis rationem ab eo  
 exigere præsumeret: Igitur saltem in  
 illos, qui Cosciæ sectatores, & crimi-  
 num complices ac consciæ putabantur,  
 severitas interim exercenda erat. Hos  
 inter præprimis Abbas Romanius, qui  
 vectigal de piscibus conduxerat, & Va-  
 lerius Lacati Cosciæ Oeconomus in  
 arcem S. Angeli abducebantur, nume-  
 roso milite stipati, eoque populus in  
 rabiem actus utrumque neci dare, &  
 Co-

Cosciæ Palatum incendere minitare- Sæc. XVIII.  
 tur, imo jamjam ignem supponeret. A. C. 1730.  
 Altera die Negronius Pontificii ærarii  
 Præfектus, & Sardinius rei bellicæ Cu-  
 rator suis officiis exuebantur, ac die  
 vigesima quinta Februarii paulopost  
 plures alii Cosciæ Amici, quos fuga  
 non abstulerat, in carceres raptaban-  
 tur: Supererat ipse Cardinalis Coscia,  
 qui in ædibus Marchionis Abbatii de-  
 litescebat, cujus palatum populus sun-  
 ditus evertisset, ni ab occurrente mi-  
 lite fuisset cohibus. Ut ergo Coscia  
 suæ securitati consuleret, cataphracto-  
 rum Equitum turma cinctus, Roma ex-  
 cellit, ac primo ad Mari - Montem pro-  
 fugus tandem Cisternam venit, ibidem  
 a Caserta - Cajetano Duce perhono-  
 rifice exceptus. Eadem tamen adhuc  
 die Marchionis Palatum, omnesque  
 ejus anguli perquirebantur, ubi etiam  
 trecentæ fuerunt repertæ præraves  
 cistæ libris, scripturis, & potissimum  
 pretiosis, ac pecuniis onustæ.

### §. LIX.

*Sacra Cardinalium comitia pro eli-  
 gendo novo Pontifice.*

Interim die vigesima quarta Aprilis  
 novemdiales exequiæ pio ac veteri  
 ritu celebrari cæperant, sub quibus

Sæc. XVIII. P. Thomas Augustinus Ricchinius Ord.  
A.C. 1730. FF. Prædicatorum Theologus luculenta  
 oratione defuncto Pontifici parentavit. His absolutis Cardinales numero qua-  
 tuor supra quinquaginta bini supplicum  
 more procedentes die quinta Maij va-  
 ticana ingressi sunt comitia, altera vero  
 die ejusdem Mensis Franciscus Cardi-  
 nalis Barberinus Episcopus Portuensis  
 ad invocandum S. Spiritus præsidium  
 Sacrum solemne peregit, pro novo au-  
 tem eligendo Pontifice Jacobus Lan-  
 fredinius, egregius sane Præful nitidam  
 habuit orationem: qua finita Co-  
 mes de Colaldo Legatus Imperialis Con-  
 congregatos Patres Cæsaris nomine his  
 verbis alloquebatur.

„Quamquam Augustissimus Impe-  
 „rator, Patres Eminentissimi, literis  
 „suis Vos ad publicam Christiani Ordi-  
 „nis salutem, ac pacem congregatos,  
 „ad Sacrosanctæ universalis Ecclesiæ  
 „Dei viduitati in inchoato opere pro-  
 „spiciendum satis excitasse videatur,  
 „& vos illis virtutibus, a quibus vene-  
 „rabile agnomen vestrum originem  
 „traxit, cæterisque omnibus ita præ-  
 „fulgeatis, ut ad hoc tanti ponderis,  
 „tantique momenti negotium sapienter  
 „continuandum non minus, quam san-  
 „ctissime perficiendum magis, magis-  
 „que impellere superfluum sit. Nihilo-  
 „minus

„minus tamen Clementissimus Domi- Sæc. XVIII.  
 „nus meus mei muneric esse voluit ea A. C. 1730.  
 „vobis ore tenus confirmare, quæ ex  
 „suis literis percepistis. Ea scilicet,  
 „quæ & Sacrosanctæ Romanæ Ec-  
 „clesiæ Filium primogenitum, ejus-  
 „demque perpetuum Advocatum, po-  
 „tentissimum Protectorem, atque acer-  
 „rimum Defensorem non minus decent,  
 „quam quæ ipsius nunquam fatis lauda-  
 „tam pietatem & inexplicabile Ortho-  
 „doxæ Religionis studium publico mo-  
 „numento testantur. Exposunt hæc  
 „a vobis, Patres Eminentissimi, ut pro  
 „tali Præside ac Præsidio Ecclesiæ Dei  
 „consulatis, quo Petri Sedes ab Altis-  
 „simo omnium Christifidelium amo-  
 „rem, benevolentiam, venerationem,  
 „obedientiam, pacem, decus, incre-  
 „mentum, felicitatemque obtinere me-  
 „reatur. Ut qui præerit reliquis, sit  
 „reliquis etiam non dignitate & au-  
 „ctoritate modo, quam prudentia &  
 „sanctitate præstantior. Tanta inter  
 „vos dignitas est, ut nemo inter vos  
 „sit, quem tantæ Dignitatis columen  
 „decere non possit. Sed omnium di-  
 „gnissimum eligere velle, Vestri mu-  
 „neris est, facere Spiritus sancti. Preci-  
 „bus igitur sincerissimis, atque animo  
 „candidissimo ab eo, a quo omne datum  
 „optimum, & omne donum perfectum,

Sæc. XVII. „ talis Pontifex humillime , atque e-  
 A. C. 1730 „ nixissime implorandus est , qui sit lu-  
 „ cerna ardens coram hominibus & om-  
 „ nibus omnia sit , orbem Catholicum  
 „ in pace & prosperitate conservandi ar-  
 „ dentissimo studio non minus flagret ,  
 „ quam forti pectore adlaboret . De-  
 „ nique se communem Patrem Chri-  
 „ stiana charitate præferat . Quæ  
 „ cum ita se habuerint ( uti dubitandi  
 „ locus non est ) Sacerdotium erit Præ-  
 „ fidium imperij , & ( quod vobis Au-  
 „ gustissimi Imperatoris Clementissimi  
 „ Domini mei nomine publice testor ,  
 „ ac spondeo ) præsidium Sacerdotii  
 „ erit imperium . „

interim Cœscia ad congregatos Car-  
 dinales literas dedit , in quibus suam  
 agendi rationem vindicare nitebatur ,  
 & per Cardinalem Ottobonum sibi nu-  
 per ablata , ac præprimis scripturas  
 Regnum Franciæ spectantes restitui pe-  
 tebat . Verum Cardinales per Abba-  
 tem Testa Cisternam ablegatum eidem  
 responderunt , ut ad comitia Romam  
 veniret , necessaria ibidem suppedita-  
 tum iri , & de ceteris rebus Cardinales  
 cum eo collatuos esse . Attamen Co-  
 scia sibi minima etiam restitui postula-  
 bat , minitatus , se Cœsaris patrocinio  
 suffultum adversus novi Pontificis ele-  
 ctionem palam reclamaturum , si eum  
 pet

per violentam hanc detentionem a li- Sæc. XVIII.  
A. C. 1730.  
bero comitiorum accessu præpedituri  
essent. His minis Cardinales a suo  
proposito absterrei haud poterant, eo  
potissimum nomine, quod Cardinalis  
Cienfuegos palam declararet, falso  
asserri, quod Cæsar Cosciam protecturus  
esset. Cum ergo ejus Amici sat aperte  
cognoscerent, Cosciæ cauſam indies  
pejorem reddi, toti in eo erant, ut ei  
persuaderent, quatenus sua sponte ad  
S. Comitia veniret. Cedit ipse eorum  
precibus. ac die vigesima septima  
Martii vespere unacum Caserta Prin-  
cipe Romam viginti Cataphratis probe  
armatis stipatus ingreditur, ac demum  
die quarta Aprilis ex Transportino  
Carmelitarum Monasterio ad Vatica-  
nam Ecclesiam properat, populo ad  
ravim usque exclamante: *in Tiberim,*  
*in Tiberim projiciatur.* Ad conclave ad-  
missus, a Cardinalium potissimis fri-  
gide admodum excipiebatur, argentea  
tamen suppellex eidem fuit restituta,  
mox autem Bendelmontius Beneven-  
tum ablegatus est, ut Cosciæ bona  
prætoria manu detineri curaret, ibi-  
demque in eos, qui regnante defuncto  
Pontifice de mala Reipublicæ admini-  
stratione convicti essent, legum severi-  
tate animadverteret.

His

Sæc. XVIII. His ita dispositis Cardinales primæ  
 A. C. 173<sup>c</sup>scrutationi dabant initium; & tum  
 quidem tot suffragia in solum Cardi-  
 nalem Imperialem concurrerunt, ut ad  
 consequendam supremi Apostolatus  
 dignitatem nonnisi unicum desiderare-  
 tur, non computatis Cardinalibus Lu-  
 sitanis, quos S. Comitiis adfuturos vix  
 ulla supererat spes, eoquod Rex diss-  
 diis inter se & Papam nondum com-  
 positis Romam venire, ipsis inhibui-  
 set: Nil ergo certius esse videbatur,  
 quam quod ad plenam Cardinalis Im-  
 perialis electionem saltem unus ex præ-  
 sentibus Purpuratis in proxima scruta-  
 tione accessurus esset: Attamen præter  
 omnium exspectationem Cardinales  
 Sardiniae Regi faventes contra hunc  
 Cardinalem, eoquod hujus Aulæ po-  
 stulatis acrius olim obstitisset, sese pa-  
 lam declarabant, quibus etiam accel-  
 sere Germanicæ Nationis Cardinales.  
 Insuper etiam Bentivolius Cardinalis  
 unacum Marchione Monteleone Hi-  
 spano Oratore exhibitis literis declara-  
 bat, Imperiale pro Papa ab Hispano  
 Rege nunquam fore habendum. Hac  
 declaratione Imperialis se a Pontifica-  
 tus spe dejectum minime dolebat, ipsus  
 que ceteros Cardinales animabat, ut  
 se relicto in digniorem sua conferre  
 suffragia adlaborarent. Verum tam  
 præ-

præclara erant hujus Purpurai merita, Sæc. XVIII.  
tamque luculenta ejus pro summo Pon- A.C. 1730.  
tificatu habilitas, ut virtus ejus electio-  
nem vel ab ipsis invitatis Cardinalibus jure  
deposcere videretur; unde contigit, ut  
ad finem Mensis Aprilis habita rursus  
votorum scrutatione solus ipse potissi-  
morum suffragia ferret: Rursus tamen  
obsticte Bentivolius, adhuc memor ve-  
teris injuriæ, qua se ab hoc Cardinale,  
dum adhuc Ferrariæ Legatus erat,  
affectum credebat ob Fratrem suum  
jussu Imperialis custodiæ datum. Ea-  
propter quidquid ejus rebus ac fortunis  
infestum esse posset, in medium pro-  
ferebat, magnoque verborum apparatu  
exaggerabat, quod Imperialis Bichium  
Lusitanum Pontificis Nuntium a Pur-  
pura excludi, totis viribus adlabora-  
set, ac propterea a Lusitano juxta ac  
Hispano Regibus rejici promeritus fuisset,  
aliunde vero sese Cæsareis parti-  
bus nimis addictum demonstrasset. Præ-  
terea plura alia, nescio quæ, Bentivolius  
in Imperialis odium accumula-  
bat, quæ tamen adeo aperte frivola  
erant, ut etiam Cardinales natione  
Galli nil intentatum relinquerent, ut  
Bentivolum ad æquiora revocarent  
consilia: Frustra tamen id conantibus,  
ab eo temporis articulo cuncta in his  
comitiis erant incerta, confusa, &  
tur-

Sæc. XVIII. turbida; Cardinales enim, ut patria  
A. C. 1730. & genio, ita & voluntate ac studiis  
erant inter se discordes; atque in tres  
factiones divisi, quarum una vocabatur  
*Clementina*, altera vero *Benedictina*, seu  
eorum, qui vel a Clemente XI. vel a  
Benedicto XII. erant Purpura honestati,  
ac denique tertia *Sabaudorum*, qui Sar-  
diniæ Regis partibus adhærebant. Sed  
nec his inter se convenientibus Cardi-  
nalium nonnulli oculos conjiciebant in  
Bernardum Mariam Conti Innocentii  
XIII. Fratrem Germanum ex Ordine  
S. Benedicti; quo tamen in ipsis co-  
mitiis morte repentina sublato Cardi-  
nales alii in Daviam, alii in Zondada-  
rium & Ruffum Cardinales sua confe-  
rebant suffragia; pro neutro tamen res  
ad exitum perduci poterat; animus e-  
nim in Gallos & Hispanos minus pro-  
pensus in Zondadario, immodicus erga  
Cosciam favor in Ruffo, & Nepotum  
turma in Davia carpebatur, cetera  
cunctis fatentibus, quod omnes hi tres  
Cardinales Tiara dignissimi essent: Non  
deerant quoque, qui totum animum  
denuo revocarent in electionem Zon-  
dadarii Cardinalis, qui etiam absdubio  
prævaluisset, nisi Bentivolius adstipu-  
lante Cardinale Polignaco bene cæpta  
rursus evertisset: Ferventibus hisce dif-  
fidiis iterum de eligendo Cardinale  
Im-

imperiali serio agebatur; conspirabant in eum non modo Romani populi, sed totius pene S. Collegii vota, ac propter ea Cardinales ferme omnes ad Cæfarem & Franciæ Regem literas dede-runt supplices, ut Hispaniæ Regem ad revocandam ipsius exclusionem inducere vellent. Interea integrum præterfluxerat trimestre, quin vel Cardinales in unum consentirent, aut vel Principes hujus vel illius electione rebus suis satis prospectum censerent. Rebus ita in ancipiti hærentibus non nulli Salviatum novissimum proponebant Cardinalem, cui etiam vaticinium quoddam in pervetusto Bibliothecæ Vaticanæ Codice repertum suffragari videbatur: Erat autem hujus tenoris: *Postquam in Vaticano federit Bicolo: atus ursum in nomine habens & rosam in summate, deferens, atque producens, tum eligetur alienigena penitus in utroque, nondum Purpura decoratus, sed tamen dignus imperio ad vitandas fissuras imminentes in nostra Hierusalem, quæ tunc adificabitur ut Civitas.* His vaticinii verbis Salviatum designari existimabant nonnulli, eoquod hic uno ante Benedicti XIII. mortem die Cardinallium Collegio adscriptus quidem fuisset, nondum tamen rubrum Biretum Purpuramque obtinuisse: Verum hæc interpre-

Sæc. XVIII.

A. C. 1730.

Sæc. XVIII. terpretio nimis ridicula videbatur illis,  
 A.C. 1730. qui maximi momenti res ex incertis  
dubiisque vaticiniis decernere, haud  
 æquum fore censebant: Consultius  
 ergo videbatur, ut Dei auxilium in tam  
 gravi tamque operoso negotio ferven-  
 tissimis precibus imploraretur: Indi-  
 cuntur ergo crebræ supplicationes, je-  
 junia, eleemosynæ, aliæque piæ exer-  
 citationes, ut afflante Spiritu sancto  
 tandem, omnium corda & sensus in  
 probum, dignumque Ecclesiæ univer-  
 salis Præfulem conspirarent, illo præ-  
 fertim tempore summopere necessa-  
 rium, quo universa pene Europa mu-  
 tuis dissidiis, & bellorum procellis in  
 excidium ruere videbatur: Ferventius  
 ad conciliandos Cardinalium animos  
 operam suam impendebant Purpurati,  
 quos *Zelantes* vocant; hi igitur Cardi-  
 nales Sardiniae Regi addictos sibi ag-  
 gregare intenti, rem eo deducunt, ut  
 accedentibus Purpuratis a Benedicto  
 XIII. creatis, Portia Cardinalis vix  
 non pro Papa haberetur; opposuit se  
 tamen Cardinalis Cienfuegos, qui pa-  
 lam declarabat, Cæsarem omnibus  
 Etruscis aditum ad Pontificatum, quan-  
 tum in ipso esset, ob præfentes rerum  
 vicissitudines præcludere. Converte-  
 bantur ergo eligentium suffragia nunc  
 in Falconerium, jam in Corradinum,  
 jam

jam in alios, omnes quidem tanto o-  
neri pares, & meritis æquales, quos A. C. 1730.  
inter tamen suffragiorum numero præ-  
valebat Corradinus, cui facta scruta-  
tione nonnisi quinque, & habito ac-  
cessu vota duntaxat tria deerant: At  
rursus, quis credat? Bentivolius,  
an Hispani Regis iussu, vel privato ex  
odio incertum, palam minitabatur, si  
Corradinus eligeretur, se unacum tota  
Natione Hispana Roma excessurum,  
& Ecclesiam S. Jacobi occludendam,  
& denique Datariam auferendam esse.  
Hæc fulmina ex pelvi fuisse jactata probe  
agnoscebant saniores Purpurati; Cor-  
radinus enim Cardinalis erat Prin-  
cipum nulli suspectus, quia erga  
omnes obsequiosus, ac insuper pietate,  
doctrina, prudentia, rerum gerenda-  
rum dexteritate, misericordia erga pau-  
peres, humilitate, aliisque virtutibus  
adeo commendatus, ut absolutissimi  
juxta ac Sanctissimi Pontificis partes  
expleturus, ab omnibus probe sentien-  
tibus crederetur. Attamen non raro  
in terris virtus inter laudem & admi-  
rationem senescit, & præmium nescit,  
certe inter communes omnium applau-  
sus & vota negligebatur Corradini me-  
moria, studiis in Picum de Mirandula  
conversis: Hic vero habita confilii no-  
titia mox Cardinales Hannibalem &  
*Hist. Eccles. Tom. LXXIII.* S Ale-

Sæc. XVIII.

Sæc. XVIII. A.C. 1730. Alexandrum Albanios accessit, ac in genua pro voluntus coram Christi Crucifixi imagine testabatur, se hanc dignitatem nunquam acceptaturum, eoque quod ea indignissimus esset. Annuere ejus precibus ambo Cardinales, qui moræ impatientes Barberinum, & Colonnam proponere tentabant; uterque erat meritis clarus, ac insuper futuræ eorum electioni quoddam præludere videbatur prognosticon; cum enim Barberinus ab Alexandro VIII. rubrum galeronum accepisset, Biretum e Pontificis capite in ejus caput casu ceciderat: belle etiam in Cardinalem Colonnam cadere credebatur illud Malachiæ Armachani vaticinantis symbolum: *Columna excelsa*: verum ejusmodi divinationum nulla omnino habebatur ratio.

### §. LX.

*Laurentius Cardinalis Corsinius in Papam electus.*

Jam quintum omnino Mensem hoc Conclave tenuit, quin humana industria, suffragantium dexteritas, privati favores ac molimina proximæ electionis spem facerent. Eapropter Cardinalium non pauci longioris moræ & enatarum inde incommodatum fastidio expugnati palam declarabant,

se

se comitiis excessuros, nisi intra octi- Sæc.XVIII.  
 duum electio perficeretur. Tum vero A. C. 1730.  
 luculenter patuit, non hominum con-  
 siliis, sed solo Divini Spiritus nutu at-  
 que potestate illis, quos elegerit Do-  
 minus, supremi Apostolatus munia de-  
 mandari; quo minorem enim Lauren-  
 tius Cardinalis Corsinius de se ipso cu-  
 ram habebat, ejusque memoriam pe-  
 nitus abjecisse videbantur cuncti Car-  
 dinales, eoquod ipse patria Etruscus,  
 proin a Cæfare cum ceteris ejusdem  
 Nationis Cardinalibus a Pontificatus  
 spe palam exclusus esset, ita tamen  
 disponente Deo accidit, ut Cardinale  
 Cienfuegos Cæsareo Oratore Impera-  
 toris beneplacitum attestante, ipse præ-  
 ter omnium spem & expectationem die  
 undecima Julii unanimi omnium (ne  
 uno quidem desiderato) in supremum  
 Ecclesiæ Antistitem eligeretur: Agebat  
 tum annum ætatis septuagesimum octa-  
 vum, & Cardinalatus vigesimum quartum,  
 assumpferat in venerationem Cle-  
 mentis P. XI. a quo Purpura cohonesta-  
 tus erat, nomen Clementis XII. Ado-  
 ratione, ut moris est, peracta Cardi-  
 nales faustissimam ipsius electionem ea-  
 dem adhuc die populo annuntiare de-  
 creverant, ipse vero id ad alteram diem  
 S. Joanni Gualberto sacram differri ro-  
 gabat, eoquod hic idem Sanctus ex

Sæc. XVIII.  
A.C. 1730. eadem Corsiniorum familia Sanctis fæcunda ortus fuisset. Annuntiata demum Corsini electione populus Romanus in tam effusas, festivasque acclamations, & manifestas singularis lætitiae significaciones erumpebat, ut nullius Pontificis electio jam ab integro saeculo & amplius majori populi applausu excepta videretur, imo ipsimet Cardinales attonitis similes alter alterum intuerentur, & tacite quivis se ipsum incusaret, quod meritissimi hujus Cardinalis memoriam intra tantum, tamque molestum temporis spatium non habuerint, cum tamen haud ignorarent, jam in S. Comitiis post Clementis XI. obitum habitis Cardinalium non paucos, eosque ceteris illustriores sua in eum contulisse suffragia.

## §. LXI.

*Gesta Clementis XII. ante Pon-*  
*tificatum.*

Dignissimus hic Pontifex antea Laurentius dictus ortum traxerat ex perversta ac nobilissima Corsiniorum familia. Patrem habuit Marchionem Bartholomæum Corsini, Matrem vero Elisabetham Strozzi Ducis Bagnoli Filiam, quæ Laurentium Filium septimestrem in lucem ediderat. Hic libe-

liberaliter educatus, a teneris singula-  
rem animi propensionem ad pietatem Sæc. XVIII.  
& statum Clericalem exhibebat, unde A.C. 1730.  
emenso Romæ humaniorum literarum  
curriculo Pisam contendit, ibidem ut-  
riusque Jurisprudentiæ studiis operam  
navaturus. Reportata Doctoratus lau-  
rea Romam reversus, sub cura Patrui  
sui Cardinalis Nerei Corsinii literariis  
exercitationibus ingenium suum mire  
excoluit, quo demum æque ac ejus  
Patre morte sublatis Laurentius se to-  
tum Ecclesiæ obsequiis dicare statuit,  
ac præprimis ab Innocentio XI. Præ-  
sulum Ordini adscriptus, Cancellariæ  
Regentem egit, postea ab Alexandro  
VIII. Cameræ Apostolicæ Clericus  
dictus, officio Aëdilis præficiebatur,  
quo in munere, ne juvenis rerum in-  
expertus justitiæ leges transgredere-  
tur, Pomponium de Vecchis celeber-  
rimum Jurisconsultum sibi in Adjuto-  
rem atque Advocatum accivit, alios-  
que Viros eruditione non minus, quam  
probitate inclytos in familiare confor-  
tium adhibuit, ut ex frequenti eorum  
colloquio ipsus tam in pietatis, quam  
justitiæ studio magis magisque profi-  
ceret. Hac Laurentii integritate tan-  
topere delectabatur Pontifex, ut de eo  
nonnisi magna & prospera sibi pollici-  
tus, eundem Viennam Nuntium Nico-

Sæc. XVIII. mediensis Archiepiscopi titulo honora-  
A. C. 1730. tum ad Imperatorem allegaret, a quo  
tamen pro Pontificis Legato habitus  
non est, eoquod (uti tamen Principes  
novissime postulabant) Pontifex præ-  
viis literis Cæsarem de Legati adventu  
certiorem haud reddidisset, nec ejus  
beneplacitum explorasset: Cum autem  
Pontifex hac in re Cæsar's voto cedere  
nollet, inde accidit, ut Corsinius hujus  
dissidii victima existeret, ac Romam  
reverti cogeretur. Mortuo paulo post  
Alexandro VIII. ejus Successor Inno-  
centius XII. jacturam compensavit, &  
Corsinium ad præclarum supremi the-  
faurarii munus adjecta arcis S. Angeli  
Præfectura admovit: Hoc officio curis  
laboribusque pleno per plures annos  
summa industria defunctus est, adeo  
proprii commodi oblitus, ut etiam dum  
quidam Triremium Conductor Æra-  
rium Pontificium magna pecunia frau-  
daverat, ipse ex suo ære debitam sum-  
mam rara magnanimitate persolveret.  
Rebus ita bene gestis die decima septi-  
ma Maij Anno 1706. a Clemente XI.  
Purpuratorum Collegio accensitus, cum  
Corradinio Auditore Pontificio colli-  
debat, eoquod hic quemdam The-  
faurarii jurisdictioni obnoxium inscio  
Corsinio carceri mancipasset; quocirca  
Cardinalis de læsa jurisdictione apud  
Papam

Papam questus, cum debitam fatis- Sæc. XVIII.  
factionem non obtineret, sponte The- A.C. 1730.  
faurarii munus abdicavit, & raro ad-  
modum in Pontificis conspectum venit,  
nisi quoties Cardinalatus officium, &  
dignitatis auctoritas id postulabat. Do-  
lebat intime Pontifex Virum integri-  
tate clarum, orisque Majestate gravem  
tanta offenditionis acerbitate affligi; quo-  
circa biennio vix evoluto illum ultro  
Ferrariæ Legatum nominabat: Verum  
Corsinius humili quidem gratoque a-  
nimo Pontificis beneficium agnovit,  
oblata tamen legatione abstinuit, &  
ut sui victor injuriarum immeinorem  
sele ostenderet, pristinam cum Cardi-  
nale Corradinio concordiam sincero  
animo innovavit. Deinceps pluribus  
in Urbe officiis distentus, vix non in  
omnibus Patrum Congregationibus suf-  
fragium tulit. Plurimum etiam Regula-  
rium Ordinum, atque Academiarum  
Protectorem egit, ut pluribus bene-  
faciendi occasionem nanciseretur: Vi-  
ros eruditione præstantes singulari fa-  
vore complectebatur, literatorum erat  
Mæcenas & pauperum Pater, quibus Pa-  
latium ejus semper erat apertum, &  
confuetum miserorum refugium; ea  
enim, qua eminuit comitate, & æqui-  
tatis studio, cunctos calamitatibus ob-  
rutos, vel aliorum odio vel malevo-

Sæc. XVIII. lentia pressos ultra fidem potenter tu-  
 A. C. 1730. tatus est, quamvis inde non raro quo-  
 rumdam inimicitias sibi accersivisset.  
 Ceterum ipse splendide, ut tantum  
 Principem decebat, vixit; Principes  
 ferme omnes, & Romanæ Curiæ Præ-  
 fules præcipue ceteris magis eruditis  
 quotidie sub vesperum ad illum conve-  
 niebant, quibuscum plura & quidem  
 ardua conficiebat negotia, ac in fine  
 eis forbilla pro more cumulatissime lar-  
 giebatur; locuples enim Paterna hæ-  
 reditate, magnisque opibus præditus  
 adeo non de redditibus Ecclesiasticis  
 sibi quicquam attribuebat, ut etiam in  
 Signaturæ Præfectum electus annue-  
 duo scutorum millia, quæ ex hoc of-  
 ficio provenire solebant, ultro Pontifici  
 offerret; nulla enim captus lucri avidi-  
 tate, & fine Ecclesiastici instituti læ-  
 sione erat magnificus, simulque sine  
 ostentatione vere pius. Hoc illi fuit  
 privatæ vitæ genus Principe eruditio  
 commensuratum.

### §. LXII. *Pontificatus exordia.*

**C**orfinius ad Universæ Ecclesiæ im-  
 perium assumpitus die decima sexta  
 Julii B. V. Mariæ de Monte Carmelo  
 Sacra in Templo Vaticano consueta  
 pompa

pompa inaugurari voluit. Inde ad suum cubile delatus, a Principum Legatis, aliisque Viris Nobilibus grātulationis officio honorabatur, quos inter præcipue Comes de Colaldo Cæfareus Ora- tor Papam latina oratione sui Princi- pis nomine salutabat.

Sæc.XVIII.  
A. C. 1730.

Peractis hisce officiosis solemnitati- bus Pontifex primam eo curam inten- dit, ut optimos, atque integerrimos Administros in perturbato illo Regimi- nis prioris statu adlegeret; varios ei- dem proponebant Purpurati, quibus ipse tamen respondit, Cardinalium esse eligere Pontificem, Pontificis vero e- ligere Ministros: Proprio igitur impulsu Antonium Cardinalem Barberinum summæ Rei præfecit, eumque a se- cretis Status esse voluit, Datariæ au- tem Præfecturam contulit Antonio Fran- cisco de Valentibus Theodosiæ Archi- episcopo & Rotæ Romanæ Auditori: Assessorem nominavit Marcellum Pas- ferium, Virum longa sibi familiaritate ac famulatu cognitum, & per omnia probatum. Ab Epistolis arcannis esse jussit Josephum Livizzanum, & Præ- fectum Familiæ Troyanum de Aqua- viva, Cubiculo autem Pontificio Sini- baldum ab Auria Archiepiscopum Pa- tracensem præfecit. Denique cetera munia & Pontificiæ Domus Ministeria

Sæc. XVIII. Viris probatæ virtutis integritatisque prudenti selectu commisit. Ex Cardinalibus autem Corradinio Magni Pœnitentiarii onus & Cardinali Spinulæ Præfectura Signaturæ obtigit: Inferiora demum Pontificiæ liberalitatis beneficia reservasse videbatur suis Neptibus; Bartholomæum enim Corinthium Equitum levis armaturæ Centurionem dixit, & Nerium, juvenem pietate, prudentia, & rerum gerendarum dexteritate inclytum, a secretis libelorum supplicum creavit. His ita dispolitis Universale Jubilæum, precesque publicas indixit, & pro felici Regimine iupplicationem instituit, quam ipsemet ab Ecclesia S. Mariæ Angelorum usque ad Basilicam Liberianam singulari pietatis sensu comitatus est. Rei etiam domesticæ curam haud esse negligendam censuit, quapropter Pontificii ærarii statum explorans, cum nonnisi mille quingenta scuta esse reposita cerneret, *bene*, ajebat, *Cardinalis eram dives, pauper jam sim Pontifex.* Eo igitur suas convertit curas, ut pro occurrentibus Ecclesiæ necessitatibus æarium Pontificium penitus exhaustum ita repararet, ut tamen nullum inde populo damnum accresceret; subditorum enim commodo providus Pater follicite prospexerat, ac præprimis tributa

buta, quæ a Pontificiis Ministris, inscio <sup>Sæc. XVIII.</sup>  
 Pontifice, ultra modum fuere imposita <sup>A.C. 1730.</sup>  
 levavit, & per incognitos Viros a cun-  
 &is Pistoribus panem clam sibi afferri,  
 illiusque pondus augeri, atque olei  
 pretium imminui jussit, vetuit quoque,  
 ne deinceps vectigal ex sappone exige-  
 retur. Hac liberalitate populi amorem,  
 & cæli Benedictionem sibi mirifice con-  
 ciliabat, ab omnibus palam inter fau-  
 fissima auguria nominatus: *Clemens*  
*Papa, providus Pater patriæ & pauperum.*  
 Plures etiam instituit Praesulum & Car-  
 dinalium Congregationes, ut publico-  
 rum vectigalium locationes, aliasque  
 exactiones aut concessiones sub Præde-  
 cessore suo, eoque inscio, & sine de-  
 bitis solemnitatibus factas rigide expen-  
 derent, easque quantum opus foret,  
 irritas nullasque declararent. Tandem  
 vero die decima nona Novembbris pro  
 more Pontificatus sui possessionem adi-  
 turus, e Vaticano ad Lateranense Pa-  
 latium solemnni pompa procesit, ubi  
 in pauperes turmatim confluentes in-  
 gentem pecuniarum vim distribui jussit,

### §. LXII.

*Eiusdem Pontificis epistola ad Archi-  
 episcopum Salisburgensem in caussa  
 exemptionis Passavensis.*

Vix

Sæc. XVIII.

A. C. 1730.

Vix felicem faustumque Nuntium de electione Clementis XII. Leopoldus de Firmian Princeps atque Archiepiscopus Salisburgensis perceperat, cum illico de æquitate tanti Pontificis persuasus, datis ad eum literis suam causam impensius commendaret, vehementer questus, quod sub Benedicto XIII. suæ Ecclesiæ decus ac honor, necnon Metropolitici juris prærogativa per Passavienis Episcopatus exemptionem graviter fuisset læsa: Igitur Pontifex acceptis hisce literis denuo hanc caussam per Cardinales ac Theologos rite examinari jussit, tandem vero percepta eorum sententia ad præfatum Archiepiscopum die duodecima Augusti hoc dedit responsum,

*Venerabilis Frater, salutem & Apostolicam Benedictionem.*

„ Tuæ in hanc sanctam Sedem reverentiaz, atque in nos humanitatis simul & observantiaz luculentum specimen exhibuerunt gratulationis officia, quibus Fraternitas tua suscep- tam ex Apostolatu nobis imposito lætitiam præclaris sensibus testata est. Pietatem certe istam tuamque dignitate parem animi virtutem in sacerdotalis studii significationibus mira- „ cum

„cum jucunditate complexi sumus, Sæc.XVIII,  
 „futurum sperantes, ut in hac Aposto- A.C. 1730.  
 „lici Ministerii procuratione Fraternitati  
 „tuæ rebus ipsis declarare possemus,  
 „quanto te in honore habeamus, &  
 „quam præclaram geramus de tuis  
 „meritis opinionem. „

„Ingratum vero & permoleustum  
 „nobis accidit, quod propensæ huic  
 „studiosæque voluntati ea postulatio  
 „per epistolam tuam oblata sit, in qua  
 „benignitati nostræ ad explenda vota  
 „Fraternitatis tuæ interclusus est aditus:  
 „Cum enim obortam de Passavensi Ec-  
 „clesia a metropolitico Salisburgensis  
 „jure subtracta controversiam Præde-  
 „cessor noster felic. Recordat. Benedi-  
 „ctus P. XII. per Apostolicas literas  
 „diremerit, finemque litibus imposue-  
 „rit, nihil nobis reliquum est, quo  
 „precibus Fraternitatis tuæ satisfacere  
 „aut obsecundare possimus. „

„Magnum tamen desiderio nostro  
 „solatium spes adsperrgit, fore, ut per  
 „occasiones, quas cupide præstolamur,  
 „überius Fraternitati tuæ studii vicem,  
 „ac testimonia charitatis exhibeamus.  
 „Pignus interea obstrictæ voluntatis  
 „Apostolicam benedictionem Fraterni-  
 „tati tuæ peramanter impertimur. „  
 Rumore autem sparso de innovanda  
 hac lite Nuntius Viennensis datis literis

Ban-

Sæc. XVIII. Banchierio Cardinali significabat, sibi  
A.C. 1730. Imperatoris nomine a Comite Sinzen-  
dorffio insinuatum, Cæfari molestissi-  
mum fore, si finita jam caufsa, & inita  
transactiōne decretum Pontificis revo-  
caretur, præcipue cum hæc exemptio  
Salisburgensi Archiepiscopo eo minus  
effet præjudiciosa, quo certius ipse  
jam longissimo abhinc tempore nullam  
in Passaviensi Ecclesia jurisdictionem  
exercuisset. Paulopost Carolus Impe-  
rator Roma certam habuit notitiam,  
quod idem Archiepiscopus Sede va-  
cante in Curia Romana petierit, ut  
contra Pontificis defuncti decretum  
suam cauffam agere, & contra latam  
sententiam reclamare posset: imo etiam  
in sui favorem obtinuisse, ut Passa-  
viensis Episcopus hac in cauffa Romam  
venire juberetur: Eapropter Imperator  
mox per Franciscum Antonium Mayer  
inferioris Anifii Directorem Comiti de  
Sinzendorff supremo Cancellario in-  
junxit, ut Imperatorio nomine Cardi-  
nali Cienfaegos Cæfareo Oratori præ-  
ciperet, quatenus hic in proximis co-  
mitiis, ne Salisburgensi Archiepiscopo  
petita hanc cauffam urgendi licentia  
daretur, obſisteret, & protestationem  
Sede vacante interpositam, necnon ci-  
tationis decretum tanquam nullum de-  
clarari, præfatumque Archiepiscopum  
a li-

a limine cujuscunque judicij excludi postularet. Id quoque tum Romæ effectui datum est; die enim quinta Augusti præfatus Cardinalis prescriperat, Papam fuisse pollicatum, quod hac in re nihil immutari vellet, ipsum etiam Banchierium significasse, quod ei Pontifex injunxit, Archiepiscopo Salisburgensi ita rescribendum esse, ut decisioni facte acquiescendum, nec ultra hoc in negotio quicquam immutatum iri sciret.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1730.

### §. LXIV.

#### *Calvinistarum libri flammis traditi.*

Sub idem tempus Occidaniæ Præfectus & Urbis Gubernator unacum aliquot centum militibus Nemausum ingressi, hujus Urbis compita, portas & plateas obsederunt, ac die sexta Junii Magistratum & Civium Primores ad Curiam convocarunt, ut Regis iussa perciperent. Præfata die Præfectus una congregatis denuntiabat, ad conservandam tranquillitatem publicam & præcavenda seditionum molimina Regem oppido necessarium duxisse, ut omnium incolarum aedes diligenter & attente perlustrarentur: Sancitum igitur esse, ut Urbis portas clauderent, cunctosque monerent, ne dato

Sæc. XVIII. dato signo vel e fenestris prospicerent,  
A. C. 1730. vel ædibus suis progrederentur. Jussis  
 obtemperat Magistratus, & secunda  
 noctis hora Officiales cum militibus in  
 singulas ædes involant, ablatisque quæ  
 repererant, armis præcipue in Calvi-  
 nianæ sectæ libros sedulo inquirunt,  
 quorum ingentem copiam, præcipue  
 Bibliorum, & Symbolicorum, ut vo-  
 cant, librorum deprehenderunt. Nal-  
 libi autem uberior marcidarum ejus-  
 modi mercium suppellex inveniebatur,  
 quam in ædibus Advocati Bleau, &  
 alterius Caussidici nomine Ronzier;  
 prioris enim Bibliotheca ferme integra  
 ejusmodi codicibus scatebat, ex alte-  
 rius vero scriniis septuaginta quinque  
 volumina extrahebantur. Omnibus  
 hisce libris ad Urbis Prætorium depor-  
 tatis lignorum strues accendebatur, in  
 quam carnifex sensim omnes hos Co-  
 dices projecit comburendos, ex quibus  
 cum plura folia vento in aera raperen-  
 tur, milites per jocum exclamabant:  
*En! quam belle Calvinii spiritus avolat.*

## §. LXV.

*Epistola Antissiodorensis Episcopi ad  
 comitia Cleri Gallicani.*

**H**abebantur interim Parisiis consueta  
 Cleri Gallicani comitia, in quibus  
 præ-

præprimis decernebatur, *gratuiti*, ut <sup>Sæc. XVIII.</sup>  
 vocant *doni* nomine, Regi quater cen- <sup>A.C. 1730.</sup>  
 ties mille libras esse offerendas: His  
 ita conventis per Abbatem de Valras  
 Secretarium prælegebatur epistola,  
 quam contra Officium S. Gregorii VII.  
 Papæ Antissiodorensis Episcopus ad  
 Clerum Gallicanum in comitiis con-  
 gregatum & præcipue ad Parisensem  
 Archiepiscopum comitioram Præsidem  
 die 18. Augusti prescriperat: Cujus  
 summa erat hæc: Petiit supprimi præ-  
 fatum officium, ne Franciæ Clerus  
 Romanæ Curiæ prætensionibus favere,  
 & obsequiis Regi ac Regno debitibus de-  
 esse, aut novo hoc molimine turbas po-  
 tius augere, quam sedare videatur:  
 Petiit insuper, ut innovato privilegio  
 libros ad suæ Diæcessis usum selectos  
 typis edere permittatur. ac denique  
 ut in causa contra Jesuitas jam per  
 quadriennium agitata, quod æquitati  
 consonum est, decernatur, & sanæ  
 doctrinæ moralis hostes, ac temerarii  
 eorum ausus reprimantur. Finita epi-  
 stolæ hujus lectione Congregati Præ-  
 fules unanimi suffragio declarabant,  
 se immerito ab Antissiodorensi Episcopo  
 ad tuenda sacrata Regis jura excitari,  
 periude ac si unquam de neglecto hoc  
 Zelo in eos suspicio cadere potuisset,  
 temerarium quoque esse, ad universum

Sæc. XVIII. Cleri Gallicani confessum exhortatio-  
A. C. 1730 nes fieri ab unico quodam Præfule,  
& quidem tali, qui Ecclesiæ auctori-  
tati palam resistere, ejusque decisiones  
rejicere præsumeret, & eoipso Ludo-  
vici Regis, qui tanquam Sedis Apo-  
stolicæ Protector ad exequendas Ec-  
clesiæ leges totam suam auctoritatem  
impedit, mandatis aperte refragare-  
tur: haud ignotum esse, cur hic Epi-  
scopus ad comitia hanc dedisset epi-  
stolam; ipsum nempe adversus Constitu-  
tionem *Unigenitus* impune insurgendi  
occasionem quæsiisse; congregatos vero  
Præfules jam dudum detestatos fuisse  
ipsius audaciam, qua universalis Ec-  
clesiæ judicium, cui omnis Episcopus  
æque ac fidelium quilibet corde & ore  
adhærere teneretur, ipse debellasset:  
Præterea insolam esse hujus Episcopi  
opinionem, qua inter Constitutionem  
*Unigenitus* & sententiam de Pontificis  
jure in Regum temporalia necessarium  
esse nexus contenderet: His ita per-  
pensis Congregati Præfules Parisiensem  
Archiepiscopum rogabant, ut justam  
eorum indignationem huic Episcopo  
datis ad eum literis significaret, simul  
que illum serio adhortaretur, ut Ec-  
clesiæ decisionibus debitam exhiberet  
submissionem, & ad sinceram unionem  
non sine Confratrum suorum jubilo re-  
diret.

diret. Verum tantum abfuit, ut hic Sæc.XVIII.  
 Præful ad hæc monita resipisceret, ut A.C. 1730.  
 potius tertio post anno die tertia Maij  
 acerbis literis ad Parisiensem Archi-  
 episcopum datis, Clero Gallicano ex-  
 probraret, quod ipsum ad submissionem  
 erga Constitutionem *Unigenitus* hort-  
 tus fit, cum tamen melius ipsum con-  
 vincere debuisset, quod ipse sese sua  
 agendi ratione a fraterna unione sepa-  
 rarit, & Constitutioni majorem, ac  
 hucusque præstisset, obedientiam ex-  
 hibere teneatur, de cetero autem se  
 charitatem, patientiam, & affectum  
 suis Confratribus debitum nunquam  
 segregaturum a fidei veritatis defensio-  
 ne, nec unquam antiquæ doctrinæ de  
 gratia, & charitate Dei, traditionis,  
 Ecclesiæ Gallicanæ libertatum, & fa-  
 tratorum jurium Majestatis Regiæ pro-  
 pugnationi defuturum, hasque ob cauf-  
 fas se haud posse Bullam recipere &c.  
 Haud absimilia documenta Metensis,  
 Virodunensis, Castriensis, & Trecensis  
 Episcopi contra Gregorii VII. officium  
 edidere.

### §. LXVI.

*Cleri Gallicani judicium de Montpes-  
 sulani Episcopi epistola ad  
 Regem.*

T 2

Jam

Sæc. XVII. A. C. 1730. Jam supra mentionem ingessimus de epistola, quam Montpeſſulanus Præſul contra Officium S. Gregorii Papæ ad Regem dederat: Hanc Rex nequidem referare dignatus, suadente Fleuryo Cardinale, Archiepiscopo Parisiensi tradidit, ut illam in Cleri Comitiis examinari curaret. Hic igitur ad Regis iuſſa die octava Auguſti in octoginta quinta ſeſſione präfatas Epifcopi literas Congregatorum Præſulum judicio commiſſit, in hæc verba perorans: Nota eſt omnibus Epiftola ſub nomine Montpeſſulanī Præſulis Regi inſcripta: Hanc präfato Epifcopo attribuere, prohibet reverentia eidem debita; maxima tamen ſolertia, qua fuit diuulgata, necnon principia, quibus ſcatet, depoſcere videntur, ut congregati Pa-tres illam perlegant, ejusque exa-men Eccleſiaſticæ jurisdictionis Comiſſariis demandent, hique deſuper ſuum judicium in comitiis exponant. Æquifimo Archiepifcopi poſtulato annue-bant omnes: Seliguntur ergo präcipue Burdegalenſis Archiepifcopus, Ne-mauſensis Præſul, Pater Senaultius & Targnius Doctor, ex quibus Burde-galenſis die nona Septembris in centefima undecima ſeſſione hæc expoſuit: Ex Patrum mandato Montpeſſulanī epiftola, die 31. Decembris ad Regem da-  
„ tam

„tam unacum Commissariis examini  
 „subjeci: Hæc caufsa cunctis Episcopis Sæc. XVIII.  
 „adeo cordi esse deberet, ut doctrina,  
 „Religione, & inviolabili erga sacra- A.C. 1730.  
 „tam Regiæ Majestatis Personam, Re-  
 „gnique jura, studio animati compel-  
 „lantur, in hac rerum vicissitudine a-  
 „pud Regem scriptotenus conqueri de  
 „gravi injuria, quam Montpessulanus  
 „Præful in sua epistola Episcopis intu-  
 „lisset, dum eos de neglecto obsequio  
 „erga suam Majestatem eo fine insimu-  
 „lare studuit, ut suam rebellionem  
 „contra Constitutionem *Unigenitus* co-  
 „loraret, & si possibile esset, ejus ac-  
 „ceptationem ab omnibus Episcopis fa-  
 „ctam redderet exosam. ..

„Supervacaneum esse arbitror, ut  
 „rebelles, & schismaticas ne dicam hæ-  
 „reticas expressiones sparsim in hac e-  
 „pistola contentas, & a Commissariis  
 „in ejusdem discussione annotatas fu-  
 „sius exponam; quid enim Hi de hac  
 „epistola sentiant, exactissime, ac  
 „prosperus solide explanatum habetur in  
 „idea epistolæ a Commissariis desuper  
 „conceptæ, quæ si Congregatis Patri-  
 „bus bene visum fuerit, Regi porriga-  
 „tur: & si ita lubet: hæc prælegatur. ..

Postmodum recitatis hisce literis  
 congregati Præfules decrevere, altera  
 die in Parisiensis Archiepiscopi ædibus

Sæc. XVIII. conventum esse habendum, ut hac su.  
A. C. 1730. per re maturum instituatur examen;  
convenientibus igitur cunctis illi, qui  
Montpessulano favebant, contra epi-  
stolæ ideam, nescio quæ opponebant,  
quimmo Sanitiensis Episcopus, ne  
agnitæ veritati acquiescere compellere-  
tur, nunquam ad Sessiones reversurus  
ad suam Diœcesin profectus est. die vero  
quinta Septembris quidam Sacerdos  
nomine Episcopi Montpessulani Valrasio  
Abbatii ac Secretario literas configna-  
vit, vi quarum hic Episcopus cunctis  
intercessit, quæ contra ejus epistolam  
ad Regem, ceteraque ejus scripta in  
comitiis decernerentur: Interim Con-  
gregati Præfules, ut omnem cavillandi  
ansam Adversariis præriperent, ex li-  
teris Regi porrigendis nonnulla durius  
expressa delevere, alia temperarunt,  
& quædam correxerunt.

### §. LXVII.

*Summa epistolæ a Clero Gallicano  
contra Montpessulani literas  
Regi oblatæ.*

Hanc epistolam ita elimatam non mo-  
do Præfules in comitiis congre-  
gati, sed etiam inferioris Ordinis Ora-  
tores ac Deputati suo chirographo die  
undecima Septembris firmarunt, ac de-  
mum

mum unanimi consensu decrevere, ut <sup>Sæc. XVIII.</sup>  
 Burdegalensis Archiepiscopus, Gilber- <sup>A. C. 1730.</sup>  
 tus de Montmorin Aturiensis, Anto-  
 nius Franciscus Monteley Augustodu-  
 nensis & Bologniensis Episcopi necnon  
 quatuor Abbates has literas Regiæ suæ  
 Majestati offerrent. His ergo ad Re-  
 gis alloquium admissis Archiepiscopus  
 præsente Aurelianensi Duce, Fleuryo  
 Cardinale, Regii sigilli Custode, &  
 Maurepaſio Comite adversus Montpeſ-  
 ſulanum, & contra Parlamentum gra-  
 vibus verbis ac rationibus perpolitam  
 habuit orationem, qua absoluta Regi  
 nomine Cleri Gallicani epitolam tra-  
 didit, cuius, utpote nimis prolixæ  
 non nisi summam exhibeo: Præprimis  
 igitur querebantur Præfules, quod  
 Montpeſulanus Antistes pernicioſo suo  
 scripto, cuius se Auctorem esse, fateri  
 non erubuit, indignum in modum suos  
 Confratres lacerſiverit, simulque  
 Ecclesiam, nec infallibilem, nec viſi-  
 bilem nec Catholicam esse, statuere vi-  
 deatur, proin hoc ſystemate fides ever-  
 tator, hæretici triumphent, & incre-  
 dulitas per ejusmodi diſſenſiones pro-  
 moveatur. „Qua ratione, inquietabant  
 „ipſi, tot malorum progressus ſiſti poterit?  
 „quo potenti auxilio firmari poterit  
 „Religio tam acerbe impugnata? fors  
 „Concilio? ita eſt, & quidem non alio,

Sæc. XVIII. „ quam Narbonenfis Provinciæ Synodo:  
 A. C. 1730. „ nostras igitur preces jungimus cum  
 „ fervidis hujus Provinciæ votis, & a  
 „ Regia sua Majestate hanc exoramus  
 „ gratiam, quam ab ejus pietate eo  
 „ certius nobis pollicemur, quo evi-  
 „ dentius illam Regni tranquillitas, &  
 „ præprimis Ecclesiæ utilitas deposcere  
 „ videtur: haec tenus quidem contra il-  
 „ los, qui Constitutionem *Unigenitus* im-  
 „ pugnant, nonnisi moderatione usi su-  
 „ mus, quæ tamen nunc inutilis &  
 „ nociva evasit . . . Ut patet ex  
 „ temeraria, & feditiosa Montpessulanii  
 „ epistola contra S. Gregorii VII. offi-  
 „ cium: Ibidem enim hic Antistes ad-  
 „ optat principia, quæ omnia fidei fun-  
 „ damenta convellere possent: vano in-  
 „ super timore populorum animos tur-  
 „ bare molitur, ac frivolis suis decla-  
 „ mationibus, necnon calumniosis cri-  
 „ minationibus sua vitia contegere, &  
 „ sub falso sinceri ac improbi Zeli ob-  
 „ tentu errores, quos disseminat &  
 „ scandalum, quo Ecclesiam afflit, &  
 „ honestare nititur: Adinvenit duplex  
 „ auctoritatis genus scilicet *Persuasio-*  
 „ *nis* & *Jurisdictionis*, hæc autem di-  
 „ stinctio est nova, incognita & scan-  
 „ dalofa . . . quilibet etiam in ejus  
 „ epistola atram bilem, & vehemen-  
 „ tiam deprehendit, qua quicquid  
 „ san-

„sanctum sacrumque est, proterve ag- Sæc. XVIII.  
 „greditur. . . . Quæ alia porro ar- A. C. 1730.  
 „ma Adversarii contra Bullam adhi-  
 „bent, quam effrænem licentiam, ma-  
 „lam fidem, pessimas artes, malignas  
 „& captiosas reflexiones, laqueos ad  
 „decipidam populi simplicitatem pa-  
 „ratos, calumnias, invectivas, sedi-  
 „tiones contra Ecclesiam, errores in  
 „fide, monstrosa systemata, fanaticos  
 „motus; in opem quoque vocant, tur-  
 „bidi genii homines, refractarios, No-  
 „vatores, Sectarios, pacis hostes, qui  
 „nil intentatum relinquunt, ut homi-  
 „nes aliunde sat propensos in schisma  
 „involvant. Utique hæc secta in unico  
 „terræ angulo recondita omnino igno-  
 „raretur, nisi suis tumultibus, & sedi-  
 „tiosis clamoribus contra maxime Ve-  
 „nerandas potestates effusis se se mani-  
 „festaret, ac proderet. . . . Enimvero  
 „Constitutio *Unigenitus* est Bulla dog-  
 „matica ad universam Ecclesiam di-  
 „recta, a toto Episcopali Ordine ac-  
 „ceptata, ac ipse Ecclesiarum extera-  
 „rum consensus cum Gallicana pro hac  
 „Bulla efficit consensum generalem,  
 „toti etiam Orbi notum est, quod om-  
 „nes Episcopi contra Novatores hac in-  
 „re conspirarint. Hæc Bulla denique  
 „est tam firma decisio, ut ejus auto-  
 „ritas, quam totus Pastorum suo

Sæc. XVIII. „Capiti unitorum cætus recipit, impu-  
 A. C. 1730. „gnari nequeat, quin Religionis fun-  
 „damenta evertantur, Ecclesiæ Uni-  
 „versitas & Visibilitas destruatur, & fi-  
 „delibus certa fidei Regula auferatur.  
 „Talis plane foret Cætus Refrattarius,  
 „Sectarius, schismaticus, fanaticus &c.  
 „anathema igitur sit ei, qui in ore Pa-  
 „storum non quærerit Dei legem, Chri-  
 „stus cum his omni die & in omni loco  
 „prædicat & doçet: Principalium Pa-  
 „storum Pontifici unitorum multitudo  
 „est Regula. ad quam, prout Christus  
 „promisit, fides fidelium certa erit us-  
 „que ad consummationem sæculo-  
 „rum &c.,

Huic epistolæ subscripti legebantur  
 quinque Archiepiscopi, scilicet Caro-  
 lus Parisiensis, Ludovicus Rothoma-  
 gensis, Fridericus Hieronymus Bituri-  
 censis, Joannes Baptista Aquensis, &  
 Franciscus Honoratus Burdegalensis.  
 Episcopi autem erant sequentes: Joa-  
 nes Ludovicus Leonensis, Henricus  
 Massiliensis, Joannes Armandus Ruthe-  
 nensis, Carolus Guilielmus Lombaria-  
 nus, Dominicus Laurentius Glande-  
 vensis, Gilbertus Alariensis, Antonius  
 Franciscus Augustodunensis, Joannes  
 Maria Bolognensis, & Joannes Gra-  
 tianopolitanus, præter novemdecim  
 Abbates.

## §. LXVIII.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1730.*Nemausensis Episcopi oratio ad Regem.*

Confecto hoc negotio Præfules generalibus suis comitiis finem impo-  
 suere, ac propterea Nemausensis Episcopus die decima septima Septembris  
 nomine totius Cleri pro more Ludovicum XV. Regem luculenta honorabat  
 oratione, hujus tenoris. „Ut ad solium Majestatis vestræ pro inchoan-  
 dis nostris comitiis cum omni fiducia  
 accederemus, impulit Nos Regia illa,  
 „qua Præfulum homagia benignissime  
 „excepit, clementia, non minus ac va-  
 lidum illud patrocinium, quo nostrum  
 „Ministerium nostraque bona fovit, &  
 „Sessiones nostras potenti suo auxilio  
 firmavit. Accessit quoque præter sa-  
 pientiam & virtutem, qua Regia sua  
 „Majestas animos nostros perstrinxit,  
 singularis etiam sollicitudo, qua  
 „Regia sua Majestas fidelis sui populi  
 quietem, felicitatemque procurare  
 semper intenta est: sicut ergo hæc  
 „omnia Nobis primo animum addidere,  
 ita & nobis fiduciam instillant, ut  
 nunc exspirantibus hisce comitiis ad  
 Regium Majestatis vestræ thronum  
 aucto animi affectu & speciali grati-  
 „tudi-

Sæc. XVIII. „ tudinis sensu provolvamur. „ Postea  
 A. C. 1730. Orator Regis Religionem & pietatem  
 promeritis laudibus efferens, Clero  
 Gallicano gratulatur, eo quod Ecclesia  
 prospera quæque sibi polliceri valeat,  
 cum illam Rex pietatis suæ exemplis  
 honorasset, & constanti, semperque  
 vigili suo patrocinio sustentasset: quini-  
 mo quamvis id Ecclesia ab eo non pe-  
 tiisset, ipse ultro tamen malis, quibus  
 Eadem affligebatur, prudentissimam le-  
 gem opposuisset, per cujus fidem ob-  
 servantiam pristinæ culpæ ad æquitatis  
 leges ita castigarentur, ut futuræ præ-  
 vertantur. His expositis Episcopus  
 Regem sic alloquebatur: „ Noli con-  
 „ cedere, ut impensum nobis patroci-  
 „ nium reddatur inutile, nec ut fidu-  
 „ cia potestatis nostræ, quam nobis  
 „ Christus ad ædificationem, non ad  
 „ destructionem dedit, Ministerii no-  
 „ stri fructum evertat; non enim De-  
 „ cretum hoc Apostolicum, sed aperta  
 „ rebellio contra illud Ecclesiæ judi-  
 „ cium, quod sua Majestas auctoritate  
 „ Regis roboravit, sed tumultuum inde  
 „ in Regno exortorum violentia, sed  
 „ (ut Regiæ suæ Majeſtatis verbis  
 „ utar) pertinacia, qua huic Constitutioni  
 „ debita ſubmiſſio denegatur: Hæc inquam,  
 „ turbidos homines impulit, ut Epi-  
 „ scopos, qui ſeſe refractariis opponunt,  
 „ velut

„velut præcipitis ingenii Viros, ac in- Sæc. XVIII.  
 „quietos homines accusent, cum ta- A.C. 1730.  
 „men hi longe plures, majoresque  
 „culpas in iis dissimulent, quam juxta  
 „Canonicarum legum rigorem puni-  
 „verint. Non equidem de nobis præ-  
 „sumimus, perinde acsi ab omni nævo  
 „immunes essemus, credere autem,  
 „aut affirmare, quod omnes uncti a  
 „Domino perversa cogitent, & ex sola  
 „passione, & arbitrio cunctas suas a-  
 „ctiones & intentiones dimetiantur,  
 „quid hoc esset aliud, quam de Reli-  
 „gione, quam edocent, male sentire,  
 „de fide perperam judicare, & credere,  
 „quod Divinus Magister fidei suæ de-  
 „positum nonnisi Prævaricatoribus  
 „commiserit: Ex unanimi ergo Epi-  
 „scoporum consensu de eorum æqui-  
 „tate ac integritate luculentum habe-  
 „tur testimonium: nos quoque ex Pro-  
 „vincialibus Conciliis speratum nobis  
 „pollicemur fructum, dummodo ea in  
 „omnibus Regni Provinciis & præci-  
 „pue in Narbonensi rite celebrari, Re-  
 „gia sua Majestas permiserit.,,

Postea Orator Conciliorum utili-  
 tatem deprædicans, subjunxit, per  
 „ea conservatur fides, & uniformis  
 „fidei professio, restauratur Disciplinæ  
 „vigor, mores emendantur, Hierar-  
 „chicus Ordo firmatur, corruptelæ  
 „eli-

Sæc. XVIII. „ eliminantur, & Episcopi separatim  
 A.C. 1730. „ de suis officiis probe instructi, habi-  
 „ les redduntur, ut congregati circa  
 „ gravissimas caussas unanime suffra-  
 „ gium ferre valeant. In ejusmodi  
 „ Conciliis consentiente Rege convo-  
 „ catis, eoque protegente juxta Regni  
 „ leges celebratis, certo tranquillitas  
 „ tot votis exoptata revocari poterit,  
 „ quam tamen nunquam sperare licebit,  
 „ nisi hæc in submissione erga fidei decre-  
 „ ta, & in obedientia erga illos, qui do-  
 „ ctrinæ sunt Judices, sit probe firmata.

Tandem Orator sermonem suum  
 absolvit his verbis Regem allocutus.  
 „ Accedimus ad solium tuum, suppli-  
 „ ces, ut nobis libertatem Ministerii  
 „ nostri salvam conservare digneris:  
 „ Illius quidem exercitum usurpatio &  
 „ violentia impedire, nunquam tamen  
 „ eripere potest, hanc libertatem tueri,  
 „ & sanguinis nostri pretio redimere,  
 „ unice cordi nobis est, cetera omnia,  
 „ quantumcunque nobis chara, si a  
 „ nostro charactere separari valeant, di-  
 „ mitttere parati sumus: nihil ambitio-  
 „ se, ac obstinate petimus, nisi quod  
 „ justum & æquum est, tantamque  
 „ profitemur reverentiam erga Majesta-  
 „ tem vestram, ut in omnibus, quæ in  
 „ viribus nostris sunt, eidem deferre  
 „ anhelemus: & si forte sacrata Regni  
 „ tui

„tui jura, quæ tamen potissima no- Sæc. XVIII.  
 „strarum libertatum pars sunt, quas- A.C. 1730.  
 „que nos Episcopi majori ceteris Zelo,  
 „vigilantia, ac studio conservare ac  
 „defendere nitimus, et si, inquam hæc  
 „jura in laicos Magistratus vestra au-  
 „ctoritate transferrentur, honori ta-  
 „men nobis ducemus, si & in hoc o-  
 „bedire, & ad beneplacitum tuum nos  
 „submittere poterimus. Hæc si etiam  
 „Majestatis vestræ voluntati litare, ne-  
 „celle fuerit, pro nihilo reputabimus;  
 „horum enim jactura nec Religioni,  
 „nec characteri nostro nocet; quicquid  
 „enim non nisi humanum est, homini-  
 „bus cedi potest, fidei autem deposi-  
 „tum, & Jurisdic<sup>t</sup>io Episcopalis inde  
 „resultans est thesaurus noster, gloria  
 „nostra, & pignus nostrum; hæc no-  
 „bis eripi, nunquam patiemur; ea e-  
 „nim in acceptis referimus soli Deo,  
 „Ecclesiæ, populis, & Majestati ve-  
 „stræ, cuius Regnum in fide Catholica  
 „fundatur, & in ea firmiter radicetur  
 „semper. Nunc vero Nobis, non qui-  
 „dem titulus, quo fidei Judices nomi-  
 „namur, denegatur, illius tamen usus  
 „præpeditur; privati enim homines  
 „contra doctrinam Christi Domini Ma-  
 „gistri sui sese erigunt, inferiores Ec-  
 „clesiæ Ministri auctoritatem Prima-  
 „riorum Pastorum vilipendunt, evo-  
 „munt

Sæc. XVIII. „ munt acerbas declamationes, & im-  
 A. C. 1730. „ pias subsanationes, quibus constan-  
 tiam eorum, qui Evangelium præ-  
 dicare non erubescunt, labefactare  
 nituntur, & Ecclesiæ Judicium, quod  
 sine extremo fidei nostræ detrimento  
 eludi nequit, pessimum dare fatagunt;  
 eo fine ipsi Metropolis nostræ Parochi  
 seditionis suis scriptis epistolam Pa-  
 storalem sui Archiepiscopi palam im-  
 pugnarunt. Novi hi sectarii, ut pro-  
 meritas Ecclesiæ censuras eludant,  
 asserunt, damnata nonagesima prima  
 Quesnelli propositione Regni princi-  
 pia everti, excommunicationes ten-  
 dere ad eximendos subditos a fidel-  
 itate Regi debita: *Eo fine in suis scri-  
 ptis publicarunt propositiones erroneas &  
 pernitiosas de censuris Ecclesiæ. Hæc  
 arma spiritualia a Jesu Christo Ecclesiæ  
 relicta ad procurandam observantiam Ju-  
 rum legum atque ad punitionem peccatorum  
 rebellium, in his scriptis exposita fuerunt  
 contemptui populorum. Confusa fuerunt  
 omnia jura; quilibet fidelium relinquitur  
 pro judice solo proprio de valore aut inji-  
 citia excommunicationis, inspiratur ipsi  
 contemptus autoritatis superioris, indif-  
 rentia ad se erigendum & illusio mentium,  
 qua hunc rebellionis spiritum tanquam beat-  
 itudinem & sanctitatem considerant &c.*  
 „ Excusa, Rex potentissime, quæstuum  
 „ nostræ

„nostrorum vehementiam per doloris Sæc. XVIII.  
 „acerbitatem: ad Te solum nostras A.C. 1730.  
 „querelas deferimus, qui in Te solo  
 „asylum invenire speramus, & quidem  
 „longe efficacius securiusque, quam  
 „in severitate; etsi illam ipsimet salvis  
 „legibus in refractarios exercere po-  
 „tuissemus; spectata ergo moderatione  
 „nostra, supplicamus, nobis ita pro-  
 „spici, ne ex indulgentia nostra dam-  
 „num reportemus, nec nobis ministerii  
 „nostrai libertas tollatur, qua nun-  
 „quam nisi ad tuendas Evangelii ve-  
 „ritates, & debitam illi obedientiam,  
 „ac submissionem populis nostris instil-  
 „landam usuri sumas &c., Ceteram  
 illa benevolentia, qua Rex tam Cleri  
 Gallicani literas, quam hujus Epi-  
 scopi orationes exceptit, Montpessulanum  
 Episcopum adeo non ad saniora  
 reduxit, ut etiam has ipsas literas a  
 Clero ad Regem datas die trigesimalia  
 Novembris acriter impugnaret, edita  
 Pastorali Instructione ad suæ Diæcesis  
 Clerum & populum directa.

### §. LXIX.

#### *Parlamenti oppositio contra Cleri Gallicani scripta.*

Insuper ipsum Parisiense Parlamentum  
 Nemausensis Episcopi sermonem,  
 Hist. Eccles. Tom. LXXIII. U &

**Sæc. XVIII.** & Cleri Gallicani literas discutiebat,  
 A. C. 1730. non sine maximo contradicentium stre-  
 pitu; alii enim tam Supplementum  
 Breviarii cum Ordinarii permissu Lug-  
 duni impressum, quam Cleri literas &  
**Episcopi** orationem suppressam esse  
 censebant, alii vero, atque inter eos  
 Rollandus Præses nonnisi hoc Supple-  
 mentum coram Procuratore Regio &  
 Advocatis esse denuntiandum opin-  
 bantur, prævaluuit etiam Rollandi sen-  
 tentia, cui quinquaginta duo contra  
 quadraginta octo suffragia adstipulaban-  
 tur; circa Episcopi tamen & Cleri lite-  
 ras pronuntiatum est, Regi supplican-  
 dum esse, ut ea, quæ in utroque scripto  
 contra Regis auctoritatem, ejusque  
 obsequium expressa deprehenderentur,  
 deleantur, nec Episcopi oratio in ta-  
 bulas Cleri Gallicani inseratur, nisi ad-  
 datur revocatio eorum, quæ in ea con-  
 tra suprema Regis jura continentur.

### §. LXX.

#### *Regis Responsa ad Parlamenti supplicationem.*

**A**d hæc Rex per supremum Consilii  
 „ Præsidem die decima septima Ja-  
 „ nuarii Anno 1731. hæc reposuit,  
 „ Sciatis velim, Parlamenta non alio  
 „ fine esse erecta, nisi ut nomine meo  
 „ ju-

„justitiam subditis meis debitam ad-  
 „ministrent, auctoritatem ego vobis a  
 „me datam, quam etiam fartam fer-  
 „vari volo, exerceatis dūntaxat juxta  
 „tenorem mearum legum, sicut ergo  
 „illas leges, quas ad vestra Tribuna-  
 „lia dirigere, mihi bene visum est,  
 „populi per vos notas habent, ita e-  
 „tiam per vos & ad vestrum exem-  
 „plum populi mei debitam veneratio-  
 „nem & submissionem addiscant. Vo-  
 „bis etiam incumbit, ut ipsimet prius  
 „exakte leges meas observetis, & post-  
 „ea illas ab aliis observari faciatis;  
 „Vos decet, in caussis privatis, &  
 „vel maxime in iis negotiis, in quibus  
 „de publico ordine agitur, a partium  
 „studio alienos esse, & attendere ad  
 „limites, quibus ipsomet Deus utram-  
 „que potestatem circumscriptis, & di-  
 „versa, quamvis non sibi contraria,  
 „jura statuit, proin ad viam appella-  
 „tionis tanquam *ab abusu* intra debi-  
 „tum suum objectum recurrentes, illa  
 „nunquam utamini, nisi pro conser-  
 „vanda tuendaque salutari concordia  
 „inter Sacerdotium & Imperium. „

„Has regulas adeo tutas si amplecti  
 „non neglexissetis, de evocationibus  
 „ad Romanam Curiam adeo non que-  
 „rendi ansam haberetis, ut vestrae So-  
 „cietati magis honorificum foret, eas

Sæc. XVIII. „ prævenire, simulque supersedere pos-  
 A. C. 1730. „ sem necessitati, qua non sine fastidio  
 „ quandoque vos ad semitam, a qua  
 „ tamen deviare nunquam deberetis,  
 „ revocare compellor & necessariis  
 „ quandoque exemplis demonstrare co-  
 „ gor, Regis auctoritatem illa Parla-  
 „ mentorum longe superiorem esse..,

„ Id ergo, quod a me petitis, in  
 „ vestro est arbitrio; ipsus quidem, ne  
 „ ejusmodi evocationes sine necessitate  
 „ multiplicentur, intentus sum, & a  
 „ generalibus regulis nonnisi invitus re-  
 „ cedo, nec mihi quicquam acceptius  
 „ facere poteritis, quam si omne id,  
 „ quod justam exceptionem patitur,  
 „ vestra sollicitudine evitetis, quinimo,  
 „ si forte antea minus caute quædam  
 „ evocationes fuerunt permisæ, ratum  
 „ habeo, si hac super re Primarius Præ-  
 „ ses ad Nos referat, ut in meo Senatu  
 „ examinatis rei motivis, quid magis  
 „ æquitati consonum sit, decernere  
 „ valeam. „

„ Quantum vero ad aliud petitionis  
 „ vestræ argumentum, laudo quidem  
 „ vestræ submissionis ac venerationis  
 „ contestationem, declaro tamen, quod  
 „ omnes vestræ deliberationes, quas  
 „ contra meum interdictum vobis per  
 „ me intimatum interposuistis, & ad  
 „ acta vestra retulistis, eo ipso sint nullæ,  
 „ scia-

„sciatis ergo, me a concepto proposito, Sæc. XVIII.  
 „utpote æquissimo recessurum nun- A.C. 1730.  
 „quam, Vobis igitur severissime inhi-  
 „beo, ne contra mandatum meum,  
 „quod occasione legis illius, quæ ad  
 „Ecclesiæ & Regni tranquillitatem  
 „prudentissimis & moderatissimis me-  
 „diis firmandam aptissima est, pro-  
 „mulgari jussoram, nequidem rationes  
 „vestras opponatis, minus vero desu-  
 „per deliberare præsumatis: Insuper  
 „primario meo Præfidi injungo, ut de  
 „his, quæ hac in occasione gesta fuere,  
 „exacte nobis relationem scriptotenus  
 „communicet. Denique circa ea, quæ  
 „contra Cleri literas, & Episcopi ser-  
 „monem proposuistis, scitote, Regis  
 „esse decernere, quid circa ejusmodi  
 „scripta ad meam Personam immediate  
 „directa judicandum sit, non ergo Par-  
 „lamentum potuit, aut debuit ullo  
 „modo hac super re deliberationem  
 „instituere..,

Hoc Regis responso Senatores velut  
 fulmine tacti, nil aliud die decima nona  
 Januarii reposuere, quam Parlamen-  
 tum omnino esse paratum, ut Regiis  
 subditis justitiam exactissime ulterius  
 administret, jura Principis, & Regni  
 leges ad procurandam Ecclesiæ, sta-  
 tusque tranquillitatem idoneas tuea-  
 tur, suumque Zelum ac studium pro-

Sæc. XVIII Regis obsequio luculentis testimoniiis  
A.C. 1730. omni data occasione demonstret, &  
 quoniam Rex iterato inhibuisset, Parlamentum desuper haud deliberaturum:  
 quænam vero ad Regii status utilitatem & debiti obsequii rationem magis  
 conducere viderentur, fusi expositurum, quotiescumque Rex gratiore  
 permiserit. Nihilominus Parlamentum  
 Parisiense paulopost Embrodunensis  
 Archiepiscopi instructionem Pastora-  
 lem, qua Montpessulanis scripta legi ac  
 retineri vetitum erat, decima post die  
 edito decreto suppressit.

## §. LXXI.

*Motus a Lutheranis ob Comitem Auf-  
 sessum a Patruo abductum  
 concitati.*

Haud minus levis in Imperio agita-  
 batur controversia, cui somitem  
 subject Religionum diversitas. Res-  
 ita accidit. Anno priori Carolus Chri-  
 sto horus Baro de Aufsess præmatura-  
 nimis morte vivis ereptus est, relicto  
 nonnisi unico Filio, Christophoro Fri-  
 derico, novem duntaxat annos nato:  
 Hujus tutellam Parens, qui pluribus  
 abhinc annis a Lutheri secta ad Ecclesiæ  
 Catholicæ gremium redierat, Fratri  
 suo Christophoro Ernesto Electoris Mo-  
 guntini

guntini Cubiculario, atque legionis Sæc.XVIII.  
 Equestris Ductori Religione Catholico A.C. 1730.  
 demandabat; ea lege, ut is illum Bam-  
 bergæ in fide Catholica institui curaret,  
 Christophorus ergo, comperta Fra-  
 tris sui morte primas eo curas inten-  
 dit, ut Nepotem suum juxta Patris  
 sui voluntatem in Religione Catholica  
 educare posset; certo enim fibi per-  
 suasum habebat, Joannam Theophilam  
 ejus Matrem Lutheranæ Religioni ad-  
 dictam nil inausum intentatumque re-  
 licturam, ut ejus Filius in sesta, quam  
 materno cum lacte hauserat, adolesce-  
 ret: hinc Patruus pro veri Tutoris mu-  
 nere Nepotem suum salutis periculo  
 subducere, eumque ad ejusmodi locum  
 transferre statuit, ubi in Catholicæ e-  
 tiam fidei præceptis imbui, ac demum  
 ipius inter veram & falsam Religionem  
 discernere posset: Nil aptius ad hoc  
 videbatur, quam domicilium Caroli  
 Teoderici de Aufseß, qui Bambergæ  
 & Heripoli Cathedralis Ecclesiæ Ca-  
 nonicus erat. Hæc dum interim inter  
 ambos agitarentur consilia, Joanna  
 Mater, fors quid rei subeffet suspicata,  
 filium suum clam Baruthum abducere  
 decernit, atque unacum duabus No-  
 bilibus fæminis Baronessa de Muffel,  
 & illa de Branden iter die prima Maij  
 aggreditur. Accidit autem, ut eadem

Sæc. XVIII.  
A. C. 1730

die Christianus Ernestus, cum suo Prætore, uno Venatore, duobus famulis, & quodam suæ legionis Equite Sigrisbergam veniret: Inexpectatus ibidem erat occursum Joannæ Theophilæ, quæ curru vecta Filium suum abducere festinabat. Præmissa utrinque officiosa salutatione Christianus puerum sibi, utpote Agnatorum proximo tradi rogat, instat, atque invitæ Matri exponit, sibi a defuncto ejus Patre illius tutelam fuisse commissam, notum aliunde esse, ejus Filium paternis bonis parce admodum esse provisum, liberalius vero a Patruo fore educandum, atque ad certam pinquioris fortunæ spem promotum iri, hanc esse Caroli VI. Imperatoris mentem, eoque fine ab eo Equestris Franconiae Ordinis Nobiles tanquam Commissarios hac in causa fuisse nominatos &c. Cum autem ad has pluresque alias rationes surda esset Mater, Patruus ad Nepotem suum conversus, illum, ut secum veniret, sollicitat, qui etiam haud invitus e curru profilit, equum lætus concendit, & cum Patruo suo Bambergam venit. Nec tamen propterea Mater recuperandi Filii sui spem animumque abjecerat; astu igitur rem aggreditur, ac die decima tertia Decembris Bambergam contendit, jaçtato obtentu, quod

quod Filium suum pro materno affectu  
visum venisset: re ipsa tamen illum e Sæc.XVIII  
A.C. 1730  
Patrui manibus ereptum, domum re-  
ducendi opportunitatem quærebat.  
Comperto ejus adventu Carolus de  
Aufseß Canonicus Cathedralis ædes  
suas, mensam, famulos, currus & e-  
quos pro nobilium more ad ejus ob-  
sequium omni humanitatis officio eidem  
offert; illa vero recusatis omnibus u-  
nica petit, ut cum Filio suo libere col-  
loqui posset; id quoque lubenti animo  
indulget Canonicus, ac puerum ad  
Cauponam, ubi Mater hospitabatur,  
conduci jubet, debita Matri suæ ob-  
sequia præstiturum: Tum vero Mater  
omnes maternæ eloquentiæ fontes ex-  
haurit, & Filium suum ad redditum in-  
ducit: preces, blanditias, promissa,  
& lacrimas adhibet, imo nec minis  
parcit; sed incassum omnia: vim ad-  
hibere prohibebat famulorum, qui  
puerum comitabantur, præsentia: nil  
ergo aliud supererat, quam ut re in-  
fecta domum reverteretur, & deplo-  
ratæ suæ caussæ auxilium in potentio-  
rum patrocinio quæreret: Proximo  
igitur Mense Januario non tam proprio  
impulso, quam aliorum suggestione in-  
citata querulas ad Cæsareo - Aulicum  
Consilium literas dat, falsoque expo-  
nit, filium suum novennem invitum,

Sæc. XVIII. plorantem, totisque viribus renitentem  
A. C. 1730. violenter Matri fuisse ereptum, sex Vi-  
ris valide armatis in opem adhibitis:  
manifeste quoque religiosam æque ac  
profanam pacem fuisse violatam, non  
sine luculento plagii raptusque criminis:  
Iusuper Matrem inter indignas pejera-  
tiones, dicteria & verbera e curru  
vi fuisse extractam & per plateas hoc  
illucque raptatam: Nec hisce injuriis  
satiatum fuisse Christianum, sed illum  
quoque afflictæ Matri, dum die 13. De-  
cembris Filiolum suum visura Bam-  
bergam contendisset, aditum occlusisse,  
ejusque jussu illam a Venatore, duobus  
Canonici Famulis & quodam milite a  
filii sui cubiculo fuisse repulsam, quin  
ægre admodum duobus aut tribus verbis  
puerum alloquendi copiam obtinuisse;  
hunc enim mox ab ejus latere avulsum,  
ac rhedæ impositum ad Canonici ædes  
fuisse raptatum: De violenta hac in-  
juria, tyrannide & latrocinio vehemen-  
ter quidem fuisse questam, sed quatuor  
Auffesii famulos (non tam proprio ausu,  
quam Heri sui mandato) præter plura  
convitia, non jam per ambages alapa-  
rum minas jactasse, certo in minis  
haud hæsuros, nisi adstantium metu,  
ipsiusque pueruli ploratu fuissent co-  
hibiti. Talia, pluraque alia non modo  
Mater in suo libello supplici exponebat,  
sed

sed & alii pagellis in vulgus sparsis con- Sæc. XVIII.  
tra Auffelios religione Catholicos paſ- A. C. 1730.  
sim disseminabant.

## §. LXXII.

*Vera facti species a Christiano Auf-  
feso ad Imperatorem  
transmissa.*

Erant equidem Viduae Matris expo-  
- sita veritati minus consona ; in al-  
legatorum tamen fidem a Cæfareo - Au-  
lico Consilio pænale, ut vocant, man-  
datum die 28. Januarii emanavit, vi  
cujs Auffessius, filium vi raptum  
Matri reddere, læſæ parti satisfacere,  
eamque haud amplius offendere, &  
debitam cautionem præstare jubebatur.  
Accepto hoc decreto Christianus de  
Auffess die septima Décembbris hoc  
mandatum utpote expositis falsis, &  
veris nequiter suppressis obtentum tan-  
quam irritum declarari, & Viduam a  
limine judicii repelli, ab Imperatore  
effictim petiit, hæc exponens: ex Cæ-  
fareo decreto de die 28. Jan. §. 2. & 3.  
neconon ex mandato ad Equitum Or-  
dines die 13. Maij dato constare, Ne-  
potis sui educationem & tutelam au-  
ctoritate Cæsarea Equeſtri Ordini esse  
commissam, inhibitumque, ne hic pu-  
pillus extra Equeſtris Ordinis juris-  
dictio-

**Sæc. XVIII.** dictionem extraheretur, Carolum quo-  
**A. C. 1730.** que Christophorum hujus pueruli Pa-  
 trem jam pluribus abhinc annis una-  
 cum Fratre suo ejurata Lutheri secta  
 ad Fidem Catholicam reversum, sæ-  
 pius in vita, ac etiamnum paulo ante  
 obitum suum palam declarasse, se om-  
 nino velle ac præcipere, ut Filius suus  
 Bambergæ educaretur, in fide Catho-  
 lica probe instituendus, id constare  
 publica ac jurata plurium testium fide  
 dignissimorum attestatione & ipsius  
 etiam Ausfessiani Prætoris Religione  
 Lutherani testimonio, proin se nec fractæ  
 pacis nec raptus reum esse. Insuper  
 jam Mense præterito Carolum Theodo-  
 ricum Baronem de Ausfess Canon-  
 icum Cathedralem ab Equestris Ordinis  
 Præposito Domino de Eggloßstein pe-  
 tiisse, ut Nepotem suum propriis sum-  
 ptibus educare, ipsiusque curam ha-  
 bere permitteretur, quo tamen dene-  
 gato Christianum a Matre puerum,  
 quem ipsa in exteram ditionem trans-  
 portare meditabatur, sibi consignari,  
 rogasse, illam quidem obstitisse, sed  
 immerito & quidem contra expressam  
 Patris intentionem, & receptam con-  
 suetudinem, vi cuius filii ex matri-  
 monio mixto progeniti in Patris Reli-  
 gione educari solerent, nullique Nobili  
 Matronæ concessum, filios & filias suas  
ad

ad arbitrium in sua, quam profiteretur, Sæc. XVIII.  
secta instituere; has ob caussas hunc A.C. 1730.  
puerum a suo Patruo Bambergam de-  
ductum, & Auffesii Canonici Cathed-  
ralis curæ fuisse commissum, necnon  
in Collegium Cathedrale jamjam co-  
optatum sua forte contentissimum vi-  
vere, de cetero unanimi testium cal-  
culo comprobari, nec violentiam nec  
dolum malum nec injurias verbis aut  
factis vel Matri vel Filio fuisse irroga-  
tas, nec in Auffesiana familia rarum  
esse exemplum, quosdam a paternis  
laribus abductos, partim Bambergæ  
partim Herbipoli ad Cathedrales Ec-  
clesias fuisse promotos, hos inter no-  
vissimos esse, Carolum Sigismundum  
Bamberensem Decanum non ita pri-  
dem vita functum, Jodocum Bernar-  
dum Ecclesiæ Cathedralis Custodem  
supremum, aliosque Canonicos vita  
adhuc superstites. Denique *juridicæ*  
*requisita ad constituendum pacifragum vel*  
*raptum tam in intentione quam in execu-*  
*tione facti deesse*, & adversæ partis testi-  
monia esse omnino nulla; testimonium  
quoque foeminæ, nomine Muffel, ut-  
pote solius, a testibus contrarium asse-  
tentibus infirmari, ancillam ob sexus  
fragilitatem exiguae esse auctoritatis,  
veteros vero testes juratos in articulis  
principalioribus sibi contradicere, proin  
parum

**Sæc. XVIII.** parum vel nihil probare, eosque vio.  
**A. C. 1730.** lentiam, injurias &c. aliasque circum-  
 stantias factum aggravantes ignorare,  
 ex adverso autem testes pro rei veri-  
 tate esse numero decem, omnes fide  
 dignissimos, uno ore attestantes, se de  
 prætenfis excessibus tam personalibus  
 quam realibus omnino ignaros esse, eo-  
 rumque quosdam ex adverso attestari,  
 quod Vidua Mater Christianum hor-  
 rendis convitiis & probris lacefsum  
 muliebri rabie invasisset, nisi ipfus illam  
 tempestive repulisset &c. nullius deni-  
 que fidei esse assertum Brandensteinii  
 attestantis, pueruli Patrem disposuisse,  
 ut ejus Filius in secta Lutherana insti-  
 tueretur; vix enim credibile esse, Pa-  
 trem Religione Catholicum velle, ut  
 ejus Filius in religione, quam ipfem  
 ejurasset, educaretur, aliunde vero  
 quamplurimi, atque inter eos defuncti  
 Parochum, ceterosque, qui in Sacra-  
 mentorum administratione eidem ad-  
 stitissent, necnon ipsum defuncti Præ-  
 torem etsi Lutheranum particulari atte-  
 plato & jurata sui depositione omnino con-  
 trarium affirmare &c. His ratio-  
 nibus expositis Christianus de Aufseß  
 Cæfarem humillime rogabat, quatenus  
 per sinistra asserta extortum mandatum  
 annullare, & Viduam a judicij limine  
 repellere velit.

## §. LXXIII.

Sæc XVIII,  
A.C. 1730.*Lutheranorum querelæ contra Theo-  
doricum Carolum de Erthal.*

Anno hujus saeculi vigesimo sexto die vigesima sexta Augusti obierat Carolus Fridericus de Erthal, qui Heribolensi & Onoldino Ducibus a consiliis, Königshofensis propugnaculi Gubernator, & Franconici Equestris Ordinis Consiliarius erat. Hic quatuor filios, quorum junior octo, alter decem, tertius duodecim, & quartus quatuordecim ætatis annos numerabant, superstites reliquerat in secta Lutherana educatos. Hos defuncti Frater Carolus Theodoricus de Erthal Heribolensis Canonicus, Bellici Senatus Praeses, & Provinciæ Praetor die decima quinta Septembris ejusdem anni Heribolin abduxit; eoquod horum Parens saepius ab eo petiisset, ut filios suos in Religione Catholica institui curaret. Inde vero novi tumultus eo graviores, quo magis adhuc recens erat vulnus ex Aufflesiana caufsa inflatum, & vix tenui cicatrice obductum. Præprimis ergo Maria Dorothea de Schaumburg, cuius Filia defuncti Caroli uxor erat, querulas preces de ereptis sibi Nepotibus ad Carolum VI. Imperatorem defert,

Sæc. XVIII. defert, ac tantum obtinet, ut pro de-  
A. C. 1730. cidenda tutela, & horum quatuor fi-  
liorum educatione ad diem octavam  
Martii, & vigesimam octavam Septem-  
bris Anno 1728. Bambergensis Episco-  
pus & Saxo-Gottanus Princeps tan-  
quam Cæsarei nominarentur Deputati:  
ab horum sententia Carolus Canonicus  
per suum Advocatum solemnem appella-  
tionem interposuit, & suæ causæ  
merita fusius adduxit, simulque decla-  
ravit, Carolum adeo non hosce Ne-  
potes suos ad fidem Catholicam ullo  
pacto induxisse, ut eos insuper Luthe-  
rani Moderatoris, nomine Schwenckii,  
institutioni reliquerit, inscio autem Patruo  
hosce juvenes Catholicorum scholam  
accessisse & ultiro declarasse, quod fidei  
Catholicæ nomen dare, firmiter de-  
crevissent, de cetero autem fidem esse do-  
num Dei, & annos discretionis nec in  
Religiosa, nec Westphalica pace præ-  
scribi. Hac de re Imperator per suos  
Deputatos die octava Octobris & nona  
Novembbris certior factus, die prima  
Septembbris Anno 1729. ad eundem Ca-  
rolum perscripsit, interposita appella-  
tione nonnisi moras quæri, & Depu-  
tatorum consilia tergiversationibus e-  
ludi, intra terminum igitur a Deputatis  
præfixum cunctas rationes, quas Ca-  
rolus pro se hac in caussa ulterius  
alle-

allegandas censeret, exponendas nullumque obicem proposito consilio de quatuor hisce filiis interim in loco Luteranæ Religionis addicto educandis opponendum esse. Insuperhabito hoc Cæsariss mandato, & Deputatis in diversa abeuntibus res indecisa permansit.

Sæc. XVIII.  
A.C. 1730.

Resumpto autem hoc negotio constitit, hos quatuor Filios die decima quinta Decembris Anno 1726. Religionem Catholicam libere, publice & solemniter professos, ac insuper de mutatae Religionis motivis interrogatos, sat luculenter prodidisse, se ea judicij maturitate pollere, ut verum a falso discernere possent; notum denique esse, quod & postea eorum Moderator ejus ratis Lutheri præceptis ad Catholicorum Sacra pariter transierit. Nihilominus Dorothea die vigesima octava Julii Anno 1730. datis Ratisbonam *ad Corpus*, ut vocant, *Evangelicorum litteris* exposuit, Deputatos utpote Religione Catholicos feriam de Religionis mutatae motivis inquisitionem neglexisse, & duntaxat filiorum responsis memoriae mandatis fuisse contentos, eappter se enixe petere, ut Principes Augustanæ Confessioni addicti sua auctoritate, quam in Aufseßiana caussa die 18. Julii interposuissent, etiamnum *Hist. Eccles. Tom. LXXIII.* X præ-

Sæc. XVIII. præpedire vellent, ne ejus Nepotes  
A.C. 1730. a fide Parentum abstraherentur, sed e  
 contra ad locum, ubi Lutheranæ sectæ  
 exercitium viget, transferrentur. Hu-  
 jus Matronæ petito annuere Legati  
 Ratisbonenses & die sexta Septem-  
 bris datis ad Cæsarem literis vehe-  
 menter adversus Erthalenses & Auf-  
 sessianos Agnatos declamarunt, eoquod  
 impuberes Filios sub cognationis præ-  
 textu suis Parentibus vi ereptos directe  
 vel indirecte ad amplectendam Reli-  
 gionem Catholicam compulissent, ac  
 etiamnum nec Cæsareis mandatis ab-  
 sterri, sub variis obtentibus ac effu-  
 giis tantam moram traherent, eo fine,  
 ut interim abrepti filii ad annos discre-  
 tionis perveniant, proin eorum resti-  
 tuto in pristinum statum impossibilis  
 reddatur. Fatebantur quidem Legati,  
 Erthalenses Filios responsa, quæ ad  
 interrogata dedissent, non quidem ex  
 memoria protulisse, non nisi tamen  
 casu ac fortuito quælita an tetigissent,  
 jactatam tamen Patrui ignorantiam de  
 .abductis Nepotibus haud esse probabi-  
 lem, Patris vero voluntatem de filiis  
 in Religione Catholica educandis per  
 contraria enervari testimonia, nullius-  
 que roboris esse, quod tam Aufsessia-  
 nus Filius, quam Erthalenses jam per  
 tantum temporis spatium in Religione

Ca-

Catholica perseverassent, ut adeptis Sæc. XVIII.  
 jamjam discretionis necessariæ annis A. C. 1730.  
 petita Religionis libertas a Lutheranis  
 hac in re opponi haud ultra valeret,  
 proin falso exponi, quod exspirantibus  
 Cæsareis decretis Neo - Conversi a ne-  
 mine compelli possent, ut ad Religio-  
 nem Lutheranam redirent; non enim  
 agi, an in hac vel illa religione edu-  
 candi essent, sed præprimis expostulari  
 de fædifrago procedendi modo, quo  
 impuberes a Catholicis Agnatis sine  
 ulla cauſſæ cognitione, sed propria  
 duntaxat auctoritate erepti fuissent, &  
 eorum mutatio Religionis a privata  
 executione, raptu & spolio non sine ma-  
 nifestissima infractione pacis publicæ  
 tam Religiosæ quam profanæ initium  
 sumpſiſſet, ejusmodi autem violentiam  
 nullo aut temporis lapsu aut posſeſ-  
 ſione, utpote vel maxime vitiosa &  
 nonniſi per delictum obtenta fanari  
 posſe. His expositis Legati a Cæſare  
 petebant, ut Aufſeſſius & Erthalius  
 utpote tanti criminis rei promeritis  
 pleſterentur poenit, & abducti Filii  
 ad locum, ubi præter Lutheranam  
 nulla alia exerceretur Religio, reduce-  
 rentur, debita institutione tamdiu im-  
 buendi, donec controversia de com-  
 petente tutela & educatione decidatur.  
 Imperator jamjam die 21. Junii Anno

Sæc. XVIII. 1729. Cæfareis Deputatis demandabat,  
 A.C. 1730. ut prudens consilium suggererent, quo  
 per Cæsareum edictum hæc quæstio de-  
 cidi posset, in quanam religione pro-  
 les impuberes sint educandæ, si Pa-  
 rentes sint diversæ Religionis, &  
 forte Pater in Religione quam professus  
 est decebat, Mater vero vita su-  
 perstes sit Acatholica, & aliunde per  
 pacta nuptialia decisum non fuerit, in  
 qua Religione hæ proles relictæ post  
 alterutrius Parentis obitum sint edu-  
 candæ? Paris ferme conditionis erat  
 querela, quam Lutherani contra Neo-  
 burgenses Catholicos hoc anno move-  
 bant. Prætextus erat iste: Georgius  
 Christophorus Centgrafius Religione  
 Lutheranus, professione Sartor, & pa-  
 tria Nordstadiensis in Hasso - Darmsta-  
 diensi ditione: Hic aliquot abhinc an-  
 nis venditis omnibus, quæ habebat  
 bonis unacum Conjuge & tribus suis  
 liberis in Hungariam emigrabat, firmo  
 ibidem persistendi animo: qua emigra-  
 tione patriam suam reliquit, ipsoque  
 facto & animo Imperii subditus esse de-  
 fit, mortua autem ejus Conjuge ex  
 Hungaria rursus in Germaniam cum  
 suis prolibus Anno 1725. reversus,  
 Unterstellii, Neoburgensis Ducatus op-  
 pido substituit, a Petro Ostermeyro quo-  
 dam rustico exceptus, in cuius etiam  
 ovili

ovili cum suis pernoctavit: altera au- Sæc. XVIII.  
tem die clam relictis suis liberis au- A. C. 1730.  
fugit, & non nisi evoluto bimestri re-  
versus, post unius mensis moram de-  
nuo clanculum atque insalutato ho-  
spite dilapsus est, suaque proles ad-  
huc impuberes exuto omni paterno,  
humano & naturali affectu, ferme nu-  
dos. Matre omnique ope destitutos,  
summa miseria, fame, & maximo  
hyemis rigore pressos dereliquit,  
proin filiis suis tam inhumane expositis,  
ulterioris illorum curæ, & patriæ  
potestatis indignum, inhabilemque fæse  
reddidit: postquam vero hi ultra no-  
vem Menses inter innumeræ calamita-  
tes ostiatim panem quærere coacti fue-  
rant, Neoburgum ingredi tentabant,  
ubi cum ceteris mendicis ex christiana  
charitate eleemosynam colligere per-  
mittebantur: tandem vero infastam  
eorum sortem miserti quidam Eccle-  
siastici, eorum necessitatibus tam cor-  
poris quam animæ pro viribus prospic-  
cere certabant, ac demum eos Catho-  
licæ fidei præceptis egregie imbutos  
ad publicam solemnemque Religionis  
professionem admittebant. Hæc sine  
Magistratus scientia ac jussu ex privato  
pietatis stimulo hucusque gesta fuere:  
Re autem comperta Provinciæ Ordines  
demandarunt, ut his orphanis ex cen-

Sæc. XVIII. fibus, qui ex materna hæreditate mille  
A. C. 1730. florenorum profluxerant, victus & ve-  
stitus suppeditaretur. Evolutis decem  
omnino mensibus Anno 1707. in huma-  
nus comparet Parens, & sibi tam fi-  
lios, quam præsatam pecuniam tradi  
postulat; præsente autem eo, Filii,  
an Patrem sequi, vel Neoburgi per-  
sistere vellent, interrogati, haud cun-  
ctaenter responderunt, se ad Patrem re-  
verti nolle, sed fidem Catholicam pro-  
fessos esse, hinc clam, insciis Provinciæ  
Ordinibus & Magistratu, ad quamdam  
Bavariæ Abbatiam translati sunt: Hoc  
comperito Pater a Darmstatensi Prin-  
cipe hoc anno die decima quarta Ja-  
nuarii literas ad Electorem Palatinum  
& Neoburgensem Curiam obtinuit,  
supplicans, ut ejus Filii, non attento  
eorum consensu vel dissensu, unacum  
præfatis mille florenis sibi traderentur:  
His petitis deferri jussit Elector; edoctus  
vero, quod inscio se, ejusque Curia  
filii ad exteram Regionem fuerint de-  
portati, præcepit, ut tradita ei pecunia,  
Parens ad exterum hunc Principem  
remitteretur. Hoc responso haud con-  
tentus Parens neglecto Electoris pa-  
trocinio opem Corporis, ut vocant,  
Evangelicorum imploravit, in cuius  
etiam favorem Regis Borussiæ Legatus  
Palatino Legato scriptum quoddam  
por-

porrexit, quod ipse tamen, cum hic Sæc. XVIII.  
 querelas communicandi modus inter A. C. 1730.  
Catholicos & Protestantes Legatos in-  
usitatus esset, acceptare renuit, iucas-  
sum querentibus Borussiæ & Hollandiæ  
Oratoribus, quibus denique responsum  
est, proles inscio imo & invito Electore  
alienæ jurisdictioni esse consignatas,  
de pecuniis via juris processum iri, in-  
terim vero filiis Curatorem ad litem ex  
Officio datum esse, proin hac in re us-  
que ad litis decisionem haud amplius  
fieri posse, minus vero æquum videri,  
ut Patri utpote vagabundo, suarum-  
que prolium oblio & patria potestate  
exuto pecuniaæ ex Maternis bonis pro-  
venientes traderentur, de cetero Ele-  
ctorem haud recusare, ut ad querelas,  
si quæ contra ipsum jure deferrentur,  
coram competente Judice responderet,  
indecens autem esse, ut Imperii status  
Constatum suum præcipue in cauſa  
ejus subditos concernente, ad rationem  
reddendam compellere, & quasi juris-  
ditionem in eum exercere præsume-  
rent, optandum potius fore, ut turbidi  
ejusmodi homines in suis plerumque  
malitiosis, falsisque querelis statim re-  
pellerentur, nec illis permitteretur,  
ut hi tam facile & nondum cognitis  
cauſæ meritis Protestantium Princi-  
pium opem implorare possent, nec

Sæc. XVIII. etiam Imperii Principes pro ejusmodi  
A. C. 1730. hominibus tam facile intercedere vel-  
lent.

## §. LXXIV.

*Joannis Francisci Barbadici Cardi-  
nalis mors.*

Hoc item anno Sacrum Collegium octo Purpuratorum mortem luxerat, quos inter primus erat Joannes Franciscus Barbadicus patria Venetus. Primam lucem aspicerat anno Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo octavo die vigesima nona Aprilis: Parentes habuit Ducali nobilitate claros Marcum Antonium & Claram de Due-  
do. Ab his Joannes parem egregiis natalibus fortitus est educationem, in pietate enutritus, omnibus status sui disciplinis apprime excultus. Majorum exemplo animatus, propriisque generosi animi stimulis accensus, præclaras ingenii dotes in patriæ suæ obsequium, ac Reipublicæ utilitatem impendere constituit, cumque inserviendi ardor cum ætate adolesceret, ad arduum *Magni Sapientis*, ut vocant, munus, exactisque paucis annis ad Ora-  
toris Galici dignitatem bis admovebatur: In medio autem fortunæ cursu profanas curas fastidire cœpit, ac sanctioris vitæ desiderio Clericalem humilemque

lemque vitam amplexus est: Verum Sæc.XVIII.  
 honores, quo studiosius eos fugiebat, A. C. 1730.  
 eo prelius fugientem insequebantur,  
 ac primo quidem Ducalis Ecclesiæ ad  
 S. Marcum Primicerius, demum ab In-  
 nocentio XII. Veronensis Episcopus  
 post Leonis mortem renuntiabatur, in  
 quo Pastorali munere sedulus gregem  
 fibi commissum Evangelico pavit elo-  
 quio, Clericis exemplo præfuit, ægroti-  
 tis atque morituris salutari solatio pro-  
 fuit, ac heroico vitæ contemptu con-  
 tagione infectis ipsus in Nosocomiis  
 Sacra menta salutis administravit: Tot  
 meritorum fama excitatus Clemens XI.  
 Barbadicum Urbini Pro - Legatum aë  
 Rotæ Romanæ Auditorem nominavit.  
 His præclare functus Barbadicus fibi  
 Cardinalis Augustini Fabronii amici-  
 tiam atque exhortationem conciliabat,  
 ejusque hortatu impulsus, dimissa Ve-  
 ronensi Ecclesia ad Brixianam transiit,  
 ubi tradendis fidei Christianæ rudi-  
 mentis, & prædicando Dei Verbo tanta  
 vigilantia ac indefessis laboribus incu-  
 buit, ut dum fractis pene viribus ipse  
 ceteris omnibus satisfecisset, fibi vero  
 soli nunquam satisfaceret, adeo ut affi-  
 due & strenue operi instantem sæpius  
 dies deficeret. His meritis clarus a  
 Venetorum Republica ad Cardinalatus  
 honorem tanquam ad laborum & vigi-

Sæc. XVIII. liarum mercedem summis precibus ex-  
 A. C. 1730. petebatur; oblitus tamen Venetorum  
 votis Pontifex, qui nullum patria Ve-  
 netum Purpura decorari voluit, nisi  
 prius Respublica Ottobono Cardinali  
 erepta bona reddidisset, quibus anno  
 hujus saeculi vigesimo restitutis Barba-  
 dicus die trigelima Septembbris Purpu-  
 ratorum Collegio aggregatus est, quam  
 tamen dignitatem ipse nonnisi obedien-  
 tiæ imperio compulsus acceptabat.  
 Postea pluribus adscriptus Patrum cæ-  
 tibus, totum se Ecclesiæ obsequio dica-  
 vit, utque eximia ejus virtus largius  
 ceteris exemplo esset, ab Innocentio  
 XIII. ad vastissimum Patavii Episcopa-  
 tum translatus est, non alio ipsius e-  
 molumento, nisi quod ibidem amplio-  
 rem meritorum messem congregare  
 posset; augendi enim Divini cultus, ac  
 restaurandæ disciplinæ studio excitatus,  
 seminaria ampliavit, Clericos legibus,  
 moribusque sanctissimis imbuit, Eccle-  
 sias sibi commissas sedulo lustravit, &  
 superatis montibus, locisque imperviis  
 rudiorem plebem Christianis præceptis  
 instruxit. Insuper Virginum præcipue  
 Asceteria ædificavit, dotavitque, ac  
 largas eleemosynas in pauperes distri-  
 buit. Id quoque in eo summopere com-  
 mendandum erat, quod ad animarum  
 curam Sacrosque Ordines nonnisi pietate  
 &

& scientia præstantes se legerit. Verbo, <sup>Sæc. XVIII.</sup>  
 omnes egregii Pastoris partes ad a- <sup>A. C. 1730.</sup>  
 mussim explevit. Erat in Viros lite-  
 ratos oppido munificus, quos ad do-  
 cetas lucubrationes opibus, propria in-  
 dustria, auctoritate, aliisque subsidiis  
 egregie adjuvit. Eo fine Brixiae Aca-  
 demiam Ecclesiasticam fundavit, in qua  
 statis diebus Viri eruditи convenere ut  
 derebus Theologicis & Historiæ Ecclesi-  
 asticæ controversiis inter se conferrent:  
 inde ortum traxit erudita lucubratio,  
 cui titulus: *Antiquitas & Fidei Catho-  
 licæ puritas in Brixieni Academia Epi-  
 scopalis Collegii recitata:* Ejusdem quo-  
 que Præfulis sedulitati debemus no-  
 vam editionem sermonum S. Gaudentii  
 Brixiensis Episcopi; quamvis enim hi  
 in variis Bibliothecæ Patrum editioni-  
 bus fuerint reperti, in iis tamen om-  
 nibus (uti commune fatum est magnarum  
 ejusmodi collectionum) hi passim  
 mendis non vulgaribus scatebant, quo  
 animadverso Barbadicus medicam ma-  
 num allaturus, Paulo Galeardo Bri-  
 xiensi Canonico, ut hanc editionem  
 adornaret, negotium dedit. ac varian-  
 tibus Codicum Manuscriptorum lectio-  
 nibus necnon pecuniis ad typorum ex-  
 pensis liberaliter suppeditatis elegan-  
 tissimum hoc opus feliciter ad lucem  
 publicam promovit. Jam antea scripta

S. Ze-

Sæc. XVIII. S. Zenonis Veronensis Episcopi soler-  
 A. C. 1730. tissime conquisita collegit, eaque suis  
 sumptibus publici juris fecit. Historiam quoque Veronensis Ecclesiæ eru-  
 ditis Viris demandatam edidit, ac de-  
 dum elogia Antecessorum suorum at-  
 que ab iis præclare gesta in unum vo-  
 lumen coegit, eaque ut semper in om-  
 nium animis & oculis versarentur, pari-  
 nitore & magnificentia exsculpta in vul-  
 gus emisit: Prodiit etiam biennio post  
 ipsius obitum Patavinis literis excusus  
 liber, sub titulo: *Virorum ex Barbadica*  
*gente illustrium numismata*; ea enim Bar-  
 badicus summa diligentia collegerat.  
 Nec minor erat ejus munificentia in  
 exornandis Templis; præprimis enim  
 Ecclesiam SS. Petri & Marcellini, cu-  
 jus titulum gerebat, ferme e ruinis  
 extulit, & Brixiae illam SS. Annæ &  
 Julittæ magnis sumptibus restauravit.  
 Porro inter rara Barbadicæ pietatis  
 monumenta recenseri merentur ædes  
 amplissimæ, quas difficillimis etiam  
 temporibus, atque exhausto pene ejus  
 ærario quam celeberrime extrui cura-  
 vit, ut ibidem eo præeunte Brixiani  
 Nobiles sacris commentationibus re-  
 rumque Divinarum contemplationibus  
 stato tempore quotannis vacarent, His  
 omnibus præclare gestis Barbadicus  
 vitæ suæ meritis clarissimæ finem glo-  
 riosissi-

riosissimum imposuit, Patavii die 27. Sæc. XVIII.  
 Januarii, sepultus in sua Cathedrali A. C. 1730.  
 prope tumulum sui Patrui Gregorii  
 Cardinalis Barbadici, quem inter Bea-  
 tos referri, plurimum adlaborabat, quin  
 id assequi posset; primum enim Anno  
 1760. Venerabilis hic Dei Famulus  
 a Clemente XIII. Beatorum Albo in-  
 scriptus fuit.

### §. LXXV.

#### *Marci Antonii Ansiedei Cardinalis obitus.*

Sequentis Mensis Februarii die deci-  
 ma quarta eandem æternitatis viam  
 ingressus est Marcus Antonius Ansied-  
 deus, qui ex Patria stirpe Perufii or-  
 tus, ingenii aciem, qua primævo na-  
 turæ beneficio præditus erat, paren-  
 tum cura, Magistrorum præstantia &  
 potissimum propria industria mirifice  
 excoluit. Decimum quartum ætatis  
 annum agebat, cum Romam missus in  
 Collegio Clementino diversorum idio-  
 matum cognitionem, Philosophiæ præ-  
 cepta, & Theologiæ arcana sub eru-  
 ditissimis Institutoribus ex Congrega-  
 tione Patrum de Somascha non tam  
 percepisse, quam exhausisse videbatur.  
 Jurisprudentiæ tam egregiam navabat  
 operam, ut laurea decoratus e Patria

Ro-

Sæc. XVIII. Romam revertetur, ibidemque il-  
A. C. 1730. lustrium Jurisconsultorum, aliorumque  
præstantium Virorum confortio assidue  
usus, in Advocatum omnibus numeris  
absolutum ex crescere. Annus volve-  
batur supra millesimum septingentesi-  
mus secundus, quo Ansiedus a Cle-  
mente XI. inter Præfules adscribi me-  
ruit, ac paulopost utriusque, ut vocant,  
signaturæ, Referendarius, & piorum  
aliquot locorum Patronus, necnon Con-  
gregationis, quæ de bono Regimine  
nomen habet, Præful nominatus est.  
Quarto autem post anno signaturæ Ju-  
stitiæ, ac Cameræ Auditor, necnon  
Canonicus Basilicæ D. Petri renuntia-  
tus, ob assiduos, quos in obeundis ar-  
duis Ecclesiæ officiis ex antlabat, labo-  
res magnam quidem in Romana Curia  
existimationem sibi conciliavit, lethali  
tamen infirmitate correptus ad ultimum  
vitæ discrimin ad ductus credebatur.  
Recuperata demum valetudine in exi-  
mio Assessoris S. Inquisitionis munere  
socius dabatur ægrotanti Dominico de  
Zaulis Theodosieni Archiepiscopo, quo  
vivis erepto Ansiedus hunc Magistra-  
tum solus accepit, pluresque per an-  
nos non sine maxima laude exercuit,  
titulo demum Archiepiscopi Damia-  
tensis honoratus, a Benedicto XIII.  
Perusinam Insulam Anno 1724. obti-  
nuit

nuit, & sequenti anno nomine Capi-  
tuli Vaticani Synodo Lateranensi præ-  
fuit. Suffragium tulerat in sex omnino  
Congregationibus, præcipue in ea,  
quæ pro examinandis duodecim Noaillii  
articulis habebatur, quos tamen ipse  
nec omnino rejicit, nec ex integro ap-  
probavit. Tandem anno salutis nostræ  
millesimo septingentesimo vigesimo sexto  
Purpura honestatus, Romam venit, mox  
tamen ad Perusinum gregem suum bo-  
nus Pastor reversus, pertinaci morbo  
obrutus anno ætatis suæ quinquagesi-  
mo nono deceffit. Corpus ejus solemni  
pompa elatum in Ecclesia sua titulari  
ad S. Augustinum quiescit. Præful e-  
rat perenni memoria dignissimus, quem  
scientiarum præstantia, rerum geren-  
darum dexteritas, æQUITATIS studium  
pluresque aliæ eminentissimæ animi  
dotes plurimum commendabant. Car-  
pitur tamen a nonnullis ob præcipites  
iræ motus nimiamque severitatem,  
quam tamen administrandæ iustitiæ,  
criminumque ulciscendorum ardor ex-  
cusare videtur.

## §. LXXVI.

*Fratri Augustini de Pipia Cardinalis  
decessus.*

Tertius

Sæc. XVIII. A. C. 1730. Tertius, qui inter Purpuratos hunc annum vitæ suæ exitialem habuit, erat Augustinus Pipia natione Sardus. Hic anno Domini millesimo sexcentesimo sexagesimo Parentibus honestis, morumque integritate claris Oristeni primam lucem aspexit. Mox a primis unguiculis in eo enituit indoles, paternæ pietatis hæreditaria, & studio rerum sacrarum dedita; hinc jactis litterarum fundamentis, ut ex ephebis excessit, Ordinis Prædicatorum Oristeni amplexus est Institutum. Ingenium cum natus esset alacre & vivax, Philosophicis, Theologicisque Facultatibus tam impenso, tamque felici, studio incubuit, ut mox tradendæ utriusque disciplinæ ejus Confratribus præficeretur. Tantos inde retulit Auditorum applausus, ut idcirco a Superioribus Romam vocatus maximis in rebus adhiberetur, & cunctos eosque honorificos Ordinis sui gradus & munia pertransiret. Primo Romæ in Collegio Minervitano per plures annos Regentis officio functus, a doctissimo Cardinale Cassanate in Theologum seligeratur: postea a Clemente XI. æquissimo meritorum Æstimatore Secretarius S. Indicis Congregationis, & SS Rituum Consultor edictus est. Demum in totius Ordinis Comitiis die 31. Maij anno

anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo primo Sæc. XVIII. omnium ferme suffragiis Magister Generalis renuntiabatur. Tertio post anno Ursinus Cardinalis ex eodem FF. Prædicatorum Ordine invitus ac reluctans in Papam eligebatur. Tum vero plane obstupuit summa Pipiæ humilitas, cum summum Orbis Caput ad ipsius vocem ac præceptum profundissima subjectione fese inclinare, & supremi Apostolatus jugum nonnisi ex Magistri sui obedientia cervici suæ imponere cerneret. Haud absumili humilitate Pipia oblatam Purpuram recusabat, quam pariter nonnisi obedientiæ imperio adactus acceptavit, adeo, ut Pipiam jure cum Claudio Poeta appellare valeamus Virum, . . . cui se *Purpura supplex obtulit, & solus meruit regnare rogatus.*

Ut vero tam Pipiæ electi merita, quam eligentis Papæ humilitas magis eluceat, haud abs re erit adducere hujus allocutionem ad Cardinales, ubi illum ad Cardinalatum promovit: *Æquum censemus, inquit, Venerabiles Fratres, ut Ordini Fratrum Prædicatorum de Apostolica Sede, & Catholica Fide luculentissime merita, quem nos expresse, Domino miserante, professi sumus, gratum etiani animum congruo aliquo Pon-Hist. Eccles. Tom. LXXIII. Y. tificiæ*

Sæc. XVIII. tificiæ largitatis argumento exhibeamus.  
 A. C. 1730. Cum enim ipsi tantum sacræ Religioni, ut  
 alias ingenue vobis testati sumus, acceptam  
 referamus Cardinalatus dignitatem, quia  
 nullis nostris, sed præclaræ Matris ornati  
 meritis & vestibus decorati fuimus, restitu-  
 tionis quodammodo jure obstricti, præ-  
 dictæ Religionis Magistrum Generalem ea-  
 dem dignitate donare cogitamus: vestro  
 quoque decori prospicere hoc pacto existi-  
 mantes, ut scilicet, qui præclarum hunc, ac  
 sublimem obtinebit locum, eum vestro gra-  
 dui, meritorum splendore, scientiarum  
 præsertim Theologicarum condimento, ac  
 religiosarum virtutum odore conciliet hono-  
 rem, quem defectuum nostrorum multitudine  
 a planta pedis usque ad verticem capitis  
 operti tribuere non potuimus; imo, utinam  
 verum non loqueremur, nimium obscuravi-  
 mus. Ad majorem &c.

Ita nempe in Benedicto Papa, &  
 Pipia Cardinale ejusdem S. Familiae  
 alumnis tunc & virtutis præstantia,  
 & animi demissio æmulatione generosa  
 inter se commissæ certabant, dubium  
 que relinquebant, utra prævaleret, illa  
 merendo, hæc meritorum præmia re-  
 cufando. Paulopost Pipia ab eodem  
 Pontifice vacanti Auximano Episco-  
 patui admotus, mirum dictu, quam  
 immoto studio, optimis exemplis,  
 doctrina, & eruditione, prudentia &

Paste-

Pastorali vigilancia Diæcesin suam ad <sup>Sæc. XVIII.</sup>  
 pristinum splendorem reduxerit. <sup>A.C. 1730.</sup> Æqui-  
 tatis amantissimus sceleratos acriter  
 insectatus est, probos vero mirifice co-  
 luit, ac ipse met non tam Episcopi  
 quam Parochi munus obeundo, ad  
 gregem suum utilissimos habuit sermo-  
 nes, omnesque vigilantissimi Pastoris  
 partes exacte adimplevit. Vitæ suæ  
 rationem sibimet descripsit in certum  
 ordinem, ad quem horas diurnas divi-  
 debat. Ad primam Auroram recitato  
 penso Canonico quotidie rem Divinam  
 peregit, & animo in rerum cælestium  
 contemplatione aliquamdiu defixo ma-  
 jora negotia expedire cœpit, cunctisque  
 ad se accedentibus alloquii copiam præ-  
 buit. Reliquam diei partem in Pasto-  
 rali labore, atque enodandis Theolo-  
 gicis quæstionibus conscribendisque do-  
 ctissimis tractatibus insumpsit, quos ta-  
 men præ nimia humilitate evulgari pro-  
 hibuit. Anno hujus sæculi vigesimo  
 sexto a Sardiniae Rege Protector Regni  
 nominatus, præter Canonicatum tria  
 scutorum millia, annuæ pensionis no-  
 mine accepit, & dissidia Papam inter  
 & Regem jam dudum ferventia pot-  
 issimam partem feliciter extinxit. Pri-  
 vatæ tamen vitæ percupidus, Episco-  
 patum suum ultro dimisit, ac Romam  
 reversus, suam vivendi normam ad

**Sæc. XVIII.** Ordinis sui institutum ac leges accur-  
**A. C. 1730.** tissime composuit, quin tamen Ecclesiæ  
 negotiis deesset; erat enim Benedicti  
 XIII. manus dextera, ejusque consi-  
 liorum moderator fidelissimus, adeo,  
 ut nihil pene ardui nisi per ipsum Pon-  
 tifex aut deliberaret, aut ageret. Tan-  
 dem vero Augustinus meritis ac ætate  
 gravis die vigesima Februarii ferme  
 septuagenarius obiit paucis post Bene-  
 dicti XIII. mortem horis; decuit enim, ut  
 qui in vita individuus laborum comes  
 erat, etiam in morte æterni præmii so-  
 cius esset, uterque præclarum Dominica-  
 næ Familiæ lumen. Corpus illius, uti  
 testamento caverat, in communi Fra-  
 trum suorum sepulcro tumulatum est,  
 ejus vero bona in Oristeneum, Minor-  
 cense, & Minervitanum Ordinis sui  
 Cænobium distribui voluit.

### §. LXXVII.

*Benedictus Pamphilus Cardinalis  
 mortuus.*

**H**ic ex antiquissima Pamphiliorum  
 Profapia Romæ Anno 1653. die  
 vigesima quinta Aprilis natus erat.  
 Pater Benedicti Camillus Dux S. Mar-  
 tini, Mater Olympia Aldobrandina Ros-  
 fani Princeps mulier universo Orbi no-  
 tissima. A teneris Benedictus Sacro  
 Or-

Ordini destinatus, a suis Genitoribus Sæc.XVIII.  
A.C. 1730.  
singulari cura ad omnia pietatis exer-  
citia in utilitatem Ecclesiæ induceba-  
tur. Adolescens humaniores literas,  
ac præsertim omnes Musas tanto pro-  
fectu ac facilitate coluit, ut non modo  
sæpe quamplurimos versus ex tempore  
funderet, sed etiam carmina, Epigram-  
mata, orationes &c. eleganti stylo con-  
cinnatas typis ederet: unde Acade-  
miæ, quæ *Humoristarum* nomen for-  
tiebatur, Praeses esse meruit. Sacra-  
tioribus dein disciplinis imbutus, Cle-  
ricali militiæ nomen dedit, atque in-  
ter Præfules Romanæ Curiæ coopta-  
tus, sensim ad amplissimos honores e-  
vehi cœpit, viam sternente tam affi-  
nitate cum præcipuis Italïæ Principi-  
bus, tum Innocentii X. Pro - Patrui  
sui potentia, ac ditissimo paternæ sub-  
stantiæ censu, præcipue vero proprio  
integritatis, prudentiæ, atque erudi-  
tionis merito. Primo igitur Ordo Me-  
litensis illustrissimo suo Corpori hanc  
gemma adlegit, demandato Romanæ  
Provinciæ Prioratu. Nec iners erat  
Pamphilius inclyti hujus Ordinis mem-  
brum; quotiescumque enim hæc Insula  
Saracenorum invasioni erat exposita,  
ipse consilio, ope, ac pecuniis illam  
egregie adjuvit, atque ad omnis gene-  
ris subsidia prompte submittenda Ro-

Sæc. XVIII manam Sedem, ceterosque Italiæ Prin-  
C. C. 1730. cipes strenue animavit: Annū egerat  
Painphilius ætatis vigesimum octavum, cum eum illustriorem Purpura redderet  
Romana, quam ex Innocentii XI. ma-  
nibus acceperat: Obeunte hoc Pon-  
tifice Romam delatus, Sacris interfuit  
comitiis, in quibus Alexander VIII. ad  
supremi Pontificatus apices evectus,  
Pamphilium Bononiensi Legatione ho-  
norabat, quo in munere hic præclara  
æQUITATIS, ac prudentiæ specimina e-  
didit, ac splendido apparatu, cultu  
magnifico, ac munificentia plane re-  
gali apud omnis Ordinis homines gra-  
tissimus effulsit. Postea ab Innocen-  
tio XII. Præfectus Signaturæ gratiæ, &  
Archipresbyter dictus est Basilicæ S. Ma-  
riæ Majoris, quem tamen titulum post-  
modum commutavit in alterum S. Joan-  
nis in Laterano, cuius Ecclesiæ portam  
Sanctam anno sæculari millesimo sep-  
tingentesimo solemni ritu aperuit, &  
Templum magnis sumptibus reparari  
curavit: Pari munificentia ad fabricam  
atque incrementum Collegii Clemens-  
tini, cuius Protectorem agebat, bis  
mille scuta suppeditavit: erat quoque  
Cisterciensium Protector ac Fautor valde  
munificus: Ast plane videbatur di-  
vitiis abundare, & dignitates ita ge-  
rere, ut ex eis ampliores bene de om-  
nibus

nibus merendi occasiones nanciscere- Sæc. XVIII.  
 tur. Ipsius eruditionem, raramque in A.C. 1730.  
 rebus gerendis dexteritatem sibi quo-  
 que sat perspectam habebat Clemens  
 XI. qui ejus opera & consilio in omni-  
 bus, iisque maxime arduis rebus feli-  
 citer utebatur; quocirca in cunctis fer-  
 me Congregationibus extra ordinem  
 habitis ejus consilium expetebat; præ-  
 cipue, cum de construendo novo Me-  
 ridiano, necnon de emendando Gre-  
 goriano, ut vocant, Calendario agere-  
 tur, quod Pamphilus, utpote Mathe-  
 seos & Architectonicæ artis peritissi-  
 mus, ubivis gentium recipi, plurimum  
 adlaborabat: ejus quoque studio &  
 opera celeberrimus aquæductus ex Cen-  
 tumcellis in Romanam Urbem maximo  
 civium commodo inferebatur: Insuper  
 Portum Antium, de quo construendo  
 jam plures ante annos incassum ageba-  
 tur, intra biennii angustias plene re-  
 purgatum, novisque molibus firmatum,  
 ad commodam æque ac securam na-  
 vium stationem reduxit, rem optime  
 gestam eidem invidente Malaþina  
 Equite Romano, cuius tamen libellus,  
 quem contra Pamphilium sparserat,  
 proscriptus, ac jubente Papa, Romæ  
 carnificis manu in ignem conjectus est.  
 Mortuo Cardinale Norisio Pamphilus,  
 qui ipfus domestica, sed locupletissima

Sæc. XVIII. instructus erat Bibliotheca. curam Va-  
A.C. 1730. ticanæ in se susceperebat; persuasum  
quippe sibi habebat Pontifex, quod literatissimus Vir doctissima volumina,  
& rariores ingeniorum partus ibidem  
repositos propiori sollicitudine com-  
plexurus, & conservaturus esset. Nec  
sua eum fecerit opinio; Pamphilus  
enim ex affiduo literatorum eo con-  
fluentium commercio non modo ipius  
plurimum profecerat, sed per commu-  
nicatam librorum notitiam haud pa-  
rum proficiendi copiam aliis eruditis  
præbuit. Anno 1712. contigit, ut ar-  
cuata camera repente collapsa in Se-  
minario Romano pene oppressus fuisset,  
nisi uno prius momento ab ignoto  
quodam Sacerdote de periculo fuisset  
admonitus. Attamen, qui ab immin-  
ente ædificii ruina incolumis, vigili  
cæli oculo pro eo excubante servatus  
erat, inopinæ mortis infidias effugere  
haud poterat; quippe cum die quinta  
Martii Sacra ingressus esset comitia,  
in quibus Clemens XII. Pontifex elige-  
batur; die 20. Martii in lecto suo morte  
oppressus reperiebatur, expleto septua-  
gesimo septimo ætatis, & Cardinalatus  
anno quadragesimo nono. Confecrat  
equidem testamenti tabulas, sed suo  
nondum firmatas chirographo; quo-  
circa ejus substantiam, quæ præter  
gem-

gemmas, aliaque pretiosa ad decies centena aureorum millia ascenderat, <sup>Sæc.XVIII.</sup> A. C. 1730. ejus Agnati inter se divisere. Sepultus est in ejus Ecclesia gentilitia S. Agnetis in platea Agonali.

### §. LXXVIII.

#### *Bernardi Mariae de Comitibus Cardinalis extrema.*

Pari fato vivis in hisce comitiis sublatus est Bernardus Maria Conti sen de Comitibus, Frater Germanus Innocentii XIII. Pontificis. Hic Romæ Anno 1664. die 29. Martii in lucem editus fuerat, Patre Carolo Duce Poli, Matre Isabella Ducissa de Muti. Horum cura Bernardus eximia in Deum pietate, ac morum innocentia educatus, a Parentibus impetravit, ut exacto decimo sexto ætatis anno Institutum S Benedicti Congregationis Cassinensis in Romano S. Pauli Monasterio profliteretur. Jam eo tempore Majores suos, quorum quatuordecim tiara Pontificia, & undecim Romana Purpura, ac præcipue virtutibus inclytos numerabat, sibi imitandos proponebat, tam felici æmulationis successu, ut in ipsum solum singula Majorum decora simul confluxisse viderentur. Præprimis vero altum fodit humilitatis fundamentum;

Sæc. XVIII. infirma enim Ordinis sui munia obire  
A. C. 1730. haud detrectabat, quibus, ut ad Su-  
periorum suorum iussa plene satisface-  
ret, plures peragrabat Galliæ Cisal-  
pinæ urbes, & plura Benedictinorum  
Cænobia: in Civitate etiam Parmensi,  
in cuius agro nonnulla gentilitiæ suæ  
Domus prædia habebat, longiorem  
traxit moram, ut eo liberius precatio-  
nibus, necnon literariis meditationibus  
vacaret, sicque accinctus ad graviora  
se redderet idoneum. Inde anno Christi  
millesimo septingentesimo Romam re-  
vocatus, in Monasterio S. Calisti inter  
profundæ humilitatis nebulas tot in-  
claruit meritis, ut paulopost Prior in  
Civitate Assisiensi eligeretur: Romam  
dein iterum advocatus, Monasterii ad  
S. Paulum Romæ Prior dicitur, quo  
munere non sine maxima laude per-  
functus, Abbas datur Monasterio Fa-  
briensi in Sabinia. Haud ultra ta-  
men inter parietes domesticos deli-  
tescens Bernardi virtus effugere pot-  
erat aciem Clementis XI. qui solers  
meritorum æstimator Virum Terraci-  
nensi Ecclesiæ Episcopum præfecit.  
Rara ibi pietatis Zelique Apostolici spe-  
cimina edidit, ipsus e sacro suggestu  
ad populum dixit, Diæcesin lustravit,  
pauperes aluit, & Ecclesias sacra fu-  
pellectili dotavit. Ast ob aeris incle-  
men-

mentiam adversamque valetudinem  
 per plures annos perpetiam Episcopatum dimisit, seque in Domum Ducis Sæc. XVIII.  
A.C. 1730.  
 Poli Fratris sui fese recepit, ubi tempus omne divinis contemplationibus exegit, ac procul ab hominum strepita vitam egit monasticam. Anno 1721. Dei consilio factum, ut Bernardi Frater Michael Angelus de Comitibus in Petri Cathedram eveheretur Innocentius XIII. dictus, qui Bernardum, invitum licet, ad Lusitani Regis preces Purpura decoravit. Communis lætitiae signa erant festivi ignes per urbem accensi, solemnis campanarum sonitus & tormentorum explosio in arce S. Angeli. Sacer quoque Benedictinorum Ordo Venetiis, Neapoli, Genuæ aliisque Italiæ Urbibus publica gaudii testimonia exhibebat, eoquod ex novo hoc sydere præclarissimum lumen Casinatenſi cælo accessisset: inde etiam Sacri sui Ordinis Protector nominatus est Bernardus, quem Pontifex, Cardinales, & Romani Proceres donis, ac redditibus ad sustinendum Cardinalatus decorem sibi devincire certabant: Eligebatur insuper in supremum D. Petri Eleemosynarium & Pœnitentiarium Majorem. Attamen tot honores dignitatesque in hunc Virum accumulari eo duntaxat fine videbantur, ut ex eis  
 fibi

Sæc. XVIII. sibi labores accrescerent; quotquot e.  
A. C. 1730. nim in Urbe erant sacræ Congregatio-  
nes, illis omnibus erat aggregatus Ber-  
nardus, ut in cunctis studium operam-  
que suam in Apostolicæ Sedis obse-  
quium impenderet. Nec tamen hisce  
oneribus fractus, nec Pontificia Fratris  
benevolentia elatus, ab humilitatis  
femita deflexit, nec a pristina modestia  
sibi ingenita nil adeo recessit, ut potius  
Religiosæ solitudinis amantissimus cum  
Fratribus Cænobii S. Bernardi sui Ti-  
tularis frequentissime versaretur, vi-  
tamque soli Deo dicatam ageret. Sa-  
cram tamen hanc quietem nonnihil  
interturbavit obitus Innocentii XIII.  
Fratris sui, cui morituro extrema sa-  
lutis obsequia ipsus impendit, deli-  
quium ob fraterni affectus teneritudi-  
nem passus, dum in solemni feretro  
expositi dexteram osculo veneraturus  
accesserat. Luctum ex hujus obitu  
conceptum nonnihil temperabat singu-  
laris existimatio & favor, quo pariter  
Benedictus XIII. Successor Bernardum  
dignabatur. Id vero in eo singulare  
est, quod gratiam & auctoritatem,  
qua apud neo-electum Pontificem va-  
lebat, nunquam in privatam sui utili-  
tatem, sed in aliorum commodum ver-  
teret: hoc quoque elucet ex eo; cum  
enim Abbas Cassinensis decessisset, &  
oppido-

oppidorum ei subjectorum incolæ ad-  
versus illum apud S. Sedem graves  
detulissent querelas, Benedictus XIII.  
hanc Abbatiam in Episcopatum trans-  
mutandi consilium ceperat, Bernardus  
vero, quamvis hanc Insulam sibi nullo  
ferme negotio vindicare potuisset, sum-  
mis tamen precibus instabat, ut Pon-  
tis mutato consilio novum Abbatem  
eligendi copiam Monachis faceret.  
Mortuo hoc Papa Bernardus decima  
Aprilis die S. Comitia ingressus, a  
nonnullis Cardinalibus in Successorem  
expetebatur: Ast ubi die vigesimo ter-  
tio ejusdem Mensis Scrutinium acce-  
deret, repente apoplexia correptus  
obiit, nonnisi sexaginta sex annos na-  
tus. Persolutis in Sacello Paulino  
exequiis Corpus ejus translatum est  
ad Ecclesiam Abbatialem S. Mariæ de  
Mentorella Diœcesis Tyburtinæ, quæ  
de Jure patronatus illustrissimæ hujus  
Familiae est.

### §. LXXIX.

#### *Innici Caraccioli Cardinalis fata.*

Editus est Innicus Caracciolus Nea-  
poli die 9. Julii Anno 1642. in op-  
pido Martinæ, quod vetustissimæ hujus  
Familiae feudum est. Pater fuit Fran-  
ciscus Martinæ Dux, Mater vero Beas-  
trix

Sæc. XVIII. trix Caracciola hæres Marchionum de  
 A. C. 1730. Ariola. Innicus a teneris in patria  
 sese in bonarum artium disciplinis strenue  
 exercuit, ingenio sagaci præditus,  
 nec minus morum integritate. Inde  
 in Hispaniam delatus, inter Aulicos  
 profanis negotiis distentam duxit æta-  
 tem. Exacta autem adolescentia, vitæ  
 severioris ardorem concepit, ac de ca-  
 pessendo statu Ecclesiastico tandem se-  
 rio cogitavit. Eapropter Romam pro-  
 fectus, ab Innocentio XI. inter Ro-  
 manæ Curiæ Præfules cooptatus est.  
 Quæsitor dein fidei in Insula Melitensi  
 electus, hunc Magistratum non sine  
 magna laude tamdiu geffit, donec ab  
 Alexandro VIII. Romam revocatus  
 Congregationi de disciplina Regularium  
 a secretis esse juberetur, quo in munere  
 eximiæ virtutis, prudentiæ, ac integri-  
 tatis merito eluxit, adeo, ut Innocen-  
 tius XI. illum ad Insulas natum existi-  
 maret, ipse vero ultro oblatum insignem  
 Archiepiscopatum Capuanum accep-  
 tare, constantissime recusabat, se ad  
 ferendum tantum onus imparem esse  
 ratus: Ast hæc ipsa ejus humilitas In-  
 nocentium XII. permovit, ut eum vi-  
 canti Aversanæ Ecclesiæ Episcopum  
 præficeret: Iteratis ergo vocantis Dei  
 vocibus pertinacius obfistere veritus,  
 humeros oneri subjecit. Ut primum

ad Ecclesiæ gubernaculum adsedit, <sup>Sæc. XVIII.</sup>  
 hoc animum defixit, ut verbo & exem- <sup>A. C. 1730.</sup>  
 plo dissolutos Cleri mores corrigeret;  
 eo fine saluberrima condidit decreta,  
 Diæcesin quotannis ipsus lustravit, &  
 Synodum Diæcesanam coegit, tandem-  
 que Clerum ad pristinam Ecclesiæ di-  
 sciplinam reduxit. Quæ cum adeo  
 prospere successissent, populum ad vir-  
 tum, quibus ipse præfulsit, imita-  
 tionem suaviter compulit, rudes fidei  
 præceptis imbuit, sceleratos mira lon-  
 ganimitate & tempestiva severitate e-  
 mendavit, probos æterni præmii spe,  
 & pœnæ metu in crebris sermonibus  
 firmavit, cunctisque ipsus pietate ac  
 integritate sanctioris vitæ facem præ-  
 tulit. Idem inter primas curas habuit  
 liberalitatem in pauperes, ad quorum  
 sublevamen non raro cibos mensæ suæ  
 appositos in illos distribui jussit, reddi-  
 tus quoque, quæs tam ex sua Ecclesia,  
 quam ex patrimonio aut beneficiis hau-  
 riebat, omnes quotannis usque ad ul-  
 timum assem in Pauperes erogavit,  
 subtractis duntaxat, quæ ad frugalem  
 sui sustentationem, & ad ædificia Sa-  
 era, quæ exstruxit, necessaria erant:  
 Cathedralem quippe Ecclesiam magnis  
 sumptibus restauravit, Seminarium e  
 fundamentis erexit, optimisque Præ-  
 septoribus instruxit. Quo profusior  
 autem

Sæc. XVIII. autem esset in pauperes, eo durior sibi,  
A. C. 1730. magisque parcus erat, in victu frugali,  
in potu sobrius, in corporis cultu  
mediocris, ab omni fastu alienus, ac  
vel maxime sibi austerus: Persæpe humiliabat,  
ut plurimum nonnisi in culcitra straminea: Cetera virtutum specimina,  
quæ vigilantissimus hic Pastor per triginta tres Episcopalis sui Regiminis annos edidit, Romæ Anno 1738.  
in unum volumen collegit Michael Saglioccus Aversanæ Ecclesiæ Canonicus  
in sua *epitome virtutum Cardinalis Innici Caraccioli*. Annaus volvebatur hujus  
fæculi decimus, cum Clemens XI. Innicum ad Helvetios Nuntium Apostolicum decerneret, iniquissimo prorsus tempore; tum enim bellum ardebat Catholicos inter & Zwinglianos, his in opem accurrentibus Toggiensium, qui aduersus San-Gallensem Abbatem, cuius subditi erant, seditionem concitabant, quæsito obtenu, quod hic illis Calvinianæ Religionis libertatem imminuisset. Toto turbarum tempore Innicus potissimum intentus erat, ut pristina reduceretur concordia, aut saltem, ne Catholicum maximo veræ fidei detimento cum hostibus pacifcentur: Eo fine totam rei seriem Romanam rescripsit ad Pontificem, qui non modo publicas indixerat preces, sed etiam

etiam ex paterno peculio decem au- Sæc. XVIII.  
reorum millia in Catholicos eroganda A. C. 1730.  
ad Nuntium transmisit, quibus ad-  
juxere Cardinales, aliique Proceres  
Romani pro continuando bello sacro  
plusquam bis centies mille aureos. His  
suppetiis auctus Cardinalis, Catholicos  
strenuis adhortationibus animavit, nec  
etiam post adversos rerum successus  
dereliquit. Confecta tandem pace a  
Clemente XI. revocatus in laboris præ-  
mium Romana Purpura decoratus est,  
mox tamen obtento galero rubro ad  
Aversanam Ecclesiam suam fidelis Pa-  
stor reversus, in gravem incidit mor-  
bum, quo demum feliciter defunctus,  
bina vice Romanis interfuit comitiis,  
electis ibi Innocentio XIII. & Bene-  
dicto XIII. His quoque vita ereptis  
denuo Innicus Romæ suffragio suo pro-  
movit electionem Clementis XII. quo  
ad Pontificatum assumpto strangu-  
riæ doloribus graviter vexatus, cum  
iter ad suam Ecclesiam pararet, die  
sexta Septembris iter æternitatis ag-  
gredi cogitur, annos natus octoginta  
octo, mensem unum, & dies viginti  
septem. Corpus ejus primo ad Ec-  
clesiam S. Agathæ, postea ad illam  
S. Mariæ de Victoria PP. Carmelitarum  
Discalceatorum, ac tandem ab ejus  
Pro - Nepote Martino Innico Carrac-  
*Hist. Eccles. Tom. LXXIII.* Z ciolo

Sæc. XVIII. ciolo Aversam traductum in ejus Ecclesia Sponsa quiescit, erecto magnifico prorsus tumulo; quamvis Cardinalis testamento cavisset, ne lapideum erigeretur monumentum aut alia exsculperetur epigraphe praeter hanc: *Offa Innici Caraccioli Cardinalis.*

## §. LXXX.

*Caroli Collicolæ Cardinalis obitus.*

**C**arolus duxit genus e Patritia stirpe Collicolarum, qui in Umbria toga sagoque clarissimi, Religione pii, literis conspicui, ac vetustate celebres per plura saecula floruere. Carolus noster Patrem habuit Joannem Baptistam, & Matrem Annam Valentiam de Bartollettis. Natus est anno Christi millesimo sexcentesimo octogesimo secundo Spoleti, quod ditionis Ecclesiasticæ oppidum est. Ibidem in Christianæ doctrinæ præceptis, ac literarum rudimentis eruditus, anno ætatis decimo tertio Romam venit, ut in Collegio Romano sacratioribus disciplinis expoliret animum. Curriculum Peripaticum emensus erat, cum jurisprudentiæ animum intenderet, & quidem tam egregio profectu, ut Doctorum honores emereretur. Anno hujus saeculi septimo Præfulum Romanæ Curiæ institu-

stitutum amplexatus, Protonotariis Apostolicis accenseri meruit, quo in munere opportunam na<sup>c</sup>tus erat occasionem non uno specimine demonstrandi, quam vasta esset ejus eruditio, quam impensum æquitatis studium. His dotibus clarus, in S.Congregatione de Propaganda Pro - Secretarii munere fungi jubebatur, aucto demum merito Clericus de Camera, ac Romanæ Urbis Ædilis a Clemente XI. renuntiatus est. Paulopost primo Pro - Thesauri Generalem ac Præfectum rei maritimæ Benedictus XIII. constituit, sub quo etiam Pontifice Carolus Pontem sancti Angeli ruinæ proximum firmissime instauravit, & lacum Cinæio Monti adjacentem, effoso canali ad Maris viscera usque conduxit, non sine magnæ Urbis utilitate, & majori Piscatorum emolumento; tanta enim piscium marinorum copia affluxerat, ut Piscatoribus ingens inde lucrum, civibus annona leviori pretio, & ærario Apostolico quotannis redditus quinque aureorum millium accederent: Portum quoque Centumcellensem ex alluvione sordibus plenum expurgavit, indeque nautis facilem ingressum aperuit, & fidissimam navibus stationem dedit. Pro tot laboribus in commodum publicum exantlatis Benedictus XIII. qua-

Sæc. XVIII.  
A.C. 1730.

tuor aureorum millia, quæ lacus pri-  
stino aquarum commercio restitutus  
produxerat, præclaro huic Restaura-  
tori ad dies vitæ assignavit, ac demum  
**Sacro Purpuratorum Senatui** adscripsit,  
eumque pluribus Patrum Cætibus an-  
numeravit. Insuper præter Abbatiam  
**S. Stephani** eidem, cum ob paupertati-  
tem Cardinalatus decorem ferendo im-  
par esset, singulis mensibus ex ærario  
Pontificio centum aureos contulit. In-  
credibile dictu, quam fideli ac indust-  
riosa commissi officii administratione  
**Carolus ampla Pontificis beneficia** deme-  
reri studuerit; nam laboris patientissimus  
commercium amplificare, ædificia,  
quæ moliebatur, præfens dirigere, pu-  
blicas ædes pro architectonica sua pe-  
ritia ad culmen feliciter perducere stren-  
ue adlaboravit. Hinc frequentes  
morborum molestiæ, & præcipue he-  
betata oculorum acies; cum enim in  
Ælii Pontis restauratione continuo præ-  
fens adesset, ex ardentí solis inter  
aquas Tyberis reflexione, & radiorum  
æstu adeo imminatus erat oculorum vi-  
gor, ut aliquamdiu videndi facultate  
destitueretur, & propterea non nisi e-  
ruditorum alloquo, & familiari eorum  
confortio dolorem suum temperare co-  
geretur. Spoletum profectus, ut pa-  
trio aere exhaustas vires reficeret, ex  
oculo-

oculorum infirmitate tantisper conva- Sæc. XVIII.  
A.C. 1730  
luit, unde Romam reversus, quamvis thesaurarii munus dimisisset, sedulo tamen cum Corradinio & Lercario Cardinalibus necnon cum Negronio suo Successore de opportunis exhaustum ærarium restaurandi mediis consilia contulit. Congregationibus quoque, quibus erat adscriptus, interesse non destitit. Tandem vero absolutis Sacris comitiis in periculum incidit morbum, ex quo etiam die decima nona Octobris decessit anno ætatis quadragesimo octavo nondum expleto. Sepultus est in Ecclesia S. Mariæ Montis Sacri in Sacello ejus Domus Gentilitio.

### §. LXXXI.

*Augustinus Cusanus Cardinalis hoc anno vivis ereptus.*

Augustino genus erat clarum & cum primis Nobile, ex Marchione Octavio & Margarita Billia, optimis Parentibus. Primam lucem Mediolani aspexit die vigesima Octobris anno Salutis nostræ millefimo sexcentesimo quinquagesimo quinto. Præcipua pietatis officia, ac literarum rudimenta hausit in patria, inde anno ætatis duodecimo Romam delatus in Seminario Romano altioribus scientiis operam de-

Z 3 dit,

Sæc. XVIII. dit, ac præprimis in Oratoria arte ad-  
A. C. 1730. mirandos fecit progressus, non minus  
in perorando gravis, quam in persuadendo efficax. Plena pubertate in pa-  
triam reversus, jurisprudentiæ impen-  
sius incubuit, qua egregie instructus  
Romam rediit, ibidemque celebriori-  
bus Caussidicis usus, gravem, ac vehe-  
mentem in forensibus caussis Oratorem  
egit. Hunc tamen ad altiora natum  
existimabat Innocentius XI. hinc ab  
eodem Curiæ Romanæ Præfulibus ac-  
censetur, & paulopost sanitatis, ut vo-  
cant Provisor deligitur pro avertenda  
pestilentia, quæ tam in Neapolis Re-  
gno graffabatur. Hoc defunctus mu-  
nere sub Alexandro VIII. boni Regimi-  
nis Congregationi adscribitur, & pri-  
mo Cameræ Apostoliæ Præses, postea  
illius Clericus, ac demum adjecto  
Archiepiscopi Amaseni titulo Legatus  
Apostolicus ad Venetos decernitur.  
Inde Romam redux coram Pontifice &  
Cardinalibus anno hujus saeculi quarto  
die tertia Decembris luculentam habuit  
orationem, in qua non in Principibus,  
& filiis hominum, cum eorum virtus  
fragilis, favor incertus, status muta-  
bilis esset, spem esse reponendam, gravi  
verborum ac sententiarum pondere  
ostendit. Ergo tam insignis facundia  
Vir bieanio post in Gallias Legatus pro  
pace

pace inter Europæ Principes concilianda  
 mittitur, quod negotium sat prospere  
 gessit, donec Clemens XI. Carolum III.  
 ceu Hispaniæ Regem agnosceret: tum  
 vero Franciæ Rex indignationem inde  
 conceptam sat aperte Nuntio demon-  
 strabat, cui tamen Cusanus reposuit,  
**Clementem** secutum fuisse exemplum  
 Regis, qui & ipsus Principem de Wal-  
 lis pro Angliæ Rege habuisset, prius-  
 quam Hic Regni sui possessionem ade-  
 ptus esset. Hæc prima erat finistri  
 affectus scintilla, quæ demum in aper-  
 tas flamas erupit, postquam Cusa-  
 nus Pontificis nomine vehementer co-  
 ram Galliarum Rege querebatur, eo-  
 quod Bullionum Cardinalem non sine  
 maximo S.Collégii, cuius Decanus e-  
 rat, dedecore ceu rebellem ac Patriæ  
 proditorem declarasset. Funesta igitur  
 hac rerum vicissitudine permotus Pon-  
 tifex, Cusanum Regi infestum Romam  
 revocavit, eumque Ticinensi Ecclesiæ  
 Episcopum præfecit, & sequenti anno  
 Cardinalium Collégio aggregavit. Nec  
 tamen otiosus Romæ substituit Cusanus,  
 sed Congregationibus, quibus aggre-  
 gatus erat, sedulo interfuit, ac demum  
 Bononiensem Legationem obire com-  
 pulsus est. Triennio sui Regiminis ex-  
 acto ad suum Episcopatum rediit, in-  
 fausta tamen sorte; cum enim Tici-

Sæc. XVIII. num prope attigisset, prædones ex in-  
A.C. 1730. fidiis improviso erumpunt, uno velut  
impetu sclopis exonerant, accurrunt,  
absdubio illum interfecturi, nisi ejus  
famuli strictis gladiis sicarios paucis  
utrinque cæsis aut vulneratis, in fugam  
strenue egissent. Ita vigil cæli oculus  
incolumem esse voluit, quem Deus in  
suæ Ecclesiæ commodum diutius sibi  
reservaverat. Ab eo enim tempore,  
quo suam repetit Ecclesiam, omnia  
in hoc Præfule erant magna, ejus  
prudentia, pietas, Religio, vigilantia,  
liberalitas in pauperes, & omnium  
maximus Divini cultus ac honoris Ze-  
lus fere Apostolicus, quo nihil non  
suscepit pro Dei gloria, nihil expavit.  
Interfuit bis Romæ sacris comitiis, in  
quibus meritorum suffragio absdubio  
tiaram reportasset, nisi ab ea illum ex-  
clusisset vetus Gallorum indignatio.  
Ipse vero jam senio gravis nil arden-  
tius in votis habuit, quam ut reliquos  
vitæ dies soli Deo, & salutis suæ studio  
sacraret, quocirca dimisso Episcopatu  
Mediolanum secessit, ubi etiam apop-  
lexia tactus, anno ætatis septuageimo  
quinto die vigesima septima Decembris  
pie in Domino obdormivit, sepultus,  
uti ipsemet testamento caverat, in Ec-  
clesia Monialium S. Praxedis. Exstant  
hæc ingenii sui monumenta. I. Vota  
plura

plura circa sanctificationes sanctorum. Sæc. XVIII.  
 II. Relationes ab ipso factæ Secretariæ A. C. 1730.  
 status. III. Ordines & Constitutiones  
 pro bono Regimine. IV. Epistolæ in-  
 structivæ ad Secretariam Status & ad  
 Nuntios apud Reges.

## §. LXXXII.

*Quinque Praefules a Clemente XII.  
 Purpura honorati.*

Horum Cardinalium jacturam Cle-  
 mens XII. P. aliorum recens re-  
 nuntiatorum selectu aliquatenus com-  
 pensabat: die enim decima quarta Au-  
 gusti nominabat Nerium Corsinum ex  
 Fratre Nepotem Cardinalem Diaconum  
 tit. S. Adriani. Præter hunc die se-  
 cunda Octobris alios quatuor enuntia-  
 bat, quos inter primus erat Alexander  
 Aldobrandinus patria Florentinus Rho-  
 diensis Archiepiscopus Presbyter Car-  
 dinalis tit. SS. Quatuor Coronatorum.  
 II. Hieronymus Grimaldus Genuensis  
 Archiepiscopus Edeffenus, Presbyter  
 Cardinalis tit. S. Balbinæ. III. Bar-  
 tholomæus Maffæus, Athenarum Ar-  
 chipræful Cardinalis Presbyter tit.  
 S. Augustini. IV. Bartholomæus Ru-  
 spulus patria Romanus, Protonotarius  
 Apostolicus, Cardinalis Diaconus tit.  
 SS. Cosmæ & Damiani.

Sæc. XVIII.  
A.C. 1730.

§. LXXXIII.

*Diversæ Constitutiones Bened. XIII.  
& Clementis XII. Pontificum.*

Priusquam Benedictus XIII. Pontifex

Tiaram cum vita poneret, adhuc eodem anno nonnullas edidit Constitutiones, & quidem die decima Januarii Petrum Forerium Beatorum Albo inscripsit. Erat hic Mataincuriæ in Lotharingia natus, qui in Congregatione S. Salvatoris Institutum Canonorum Regularium S. Augustini professus, ac sacris Ordinibus initiatus, præsatæ Congregationis Præpositus Generalis electus est. Hoc munere auctus non modo pristinam severioremque disciplinam reduxit, sed etiam Moniales Congregationis restauratae sub titulo B. V. & sub Regula S. Augustini instituit. Tam spectatæ erat virtutis, ut ab Alexandro VI. Sacerdos appellaretur *cujus in vita tales virtutum actus notati, quales in nulla Divorum Historia: Urbanus VIII. celebrabat illum tanquam eximiae Sandimoniae Canonicum & a Cardinale de Perulle vocatus est Vir, in quo nemo non virtutum cumulum primo lumine intuitus est.* Claruit enimvero in vita sua omnium virtutum præstantia, ac præcipue Apostolici Ministerii Zelo;

Zelo; quapropter mature discussis du-  
biis super ejus vitæ sanctitate, virtuti-  
bus heroicis & que ac miraculis Bene-  
dictus XIII. ad preces Caroli Hispaniæ  
Regis ac Imperatoris aliorumque præ-  
dictum Dei Famulum inter Cælites  
Beatum declaravit, indulxitque, ut de  
eo officium & Missa sub rito duplici  
Majori a Canonicis Regularibus reci-  
tari possit.

Celebrabant FF. Carmelitæ Anno  
1728. Ferrariæ sua comitia Generalia,  
in quibus urgente Provinciali Castel-  
lano cap. 10. n. 10. conditum est de-  
cretum, vi cuius Studiorum Regenti-  
bus indultum, ut cuiuslibet approbati  
Doctoris ac præcipue V. Joannis de Bac-  
cone Doctoris Carmelitani doctrinam  
sequi possent: cum autem hoc decreto  
Constitutiones Annis 1593. 1595. &  
1704. sanctæ, quibus Doctrinam D.  
Thomæ sectari præceptum est, omnino  
everterentur, aliunde vero ex ampla  
hac liberaque sentiendi facultate & op-  
inionum varietate plurima damna, dis-  
fidia, & contentiones timendæ forent,  
& Fratres ad sua desideria sibi Magist-  
ros coacervarent, omnique vento do-  
ctrinæ libere abrepti in varias abirent  
sententias, hinc Pontifex ad preces  
Magistrorum Francisci Montiel de Fuen-  
tenobila, & Juliani Berocal Provinciae  
Castellæ

**Sec. XVIII.** Castellanæ Ex- Provincialium, & In-  
 A. C. 1730. quisitionis Hispanæ Quæsitorum de-  
 crevit, ut deinceps sublato hoc de-  
 creto omnes præsatæ Provinciæ Le-  
 ctores unam certamque Angelici Do-  
 ctoris doctrinam constanti summorum  
 Pontificum testimonio, laudumque præ-  
 conio commendatam immote reti-  
 neant, doceant, ac propugnent. Inde  
 ergo patet, quam inviolabili studio Car-  
 melitarum Ordo præcipue in Theolo-  
 gicis doctrinæ D. Thomæ inhæserit,  
 & quanta aversione vagam, incertam-  
 que sentiendi libertatem, indeque na-  
 tum probabilissimum infectatus fuerit,  
 quin cæco impetu in verba Magistri  
 jurare teneretur.

Plures quoque Constitutiones Cle-  
 mens XII. promulgavit, & primo qui-  
 dem Regiminis sui anno die decima  
 tertia Julii quasdam Regulas, ut nor-  
 mam & ordinem rerum in Cancellaria  
 gerendarum præscriberet, edidit, &  
 tertio post die pro more Conclavistas  
 variis gratiis & privilegiis remuneratus  
 est: Insuper viginti quinque pueros  
 honorarios in Equites *Auratae militiae*,  
 necnon quosdam Comites Palatii crea-  
 vit, qui Pontificis a Vaticana ad Ba-  
 silicam Lateranensem in solemni equi-  
 tatione utrumque euntis latus stipabant.  
 Die autem vigesima nona ejusdem  
 Men-

Mensis ad preces Josephi Mezquie Pro-  
curatoris Generalis Ord. FF. de Mer-  
cede indulxit, ut quotannis Officium  
B. V. M. sub titulo *de Remedio Domi-*  
*nica secunda Octobris recitari valeat.*  
Diversorum quoque Ordinum decreta  
recens edita auctoritate Apostolica con-  
firmavit. Sub idem tempus Philip-  
pus V. Hispaniarum Rex in Urbe Cer-  
varia Celsonensis Diæcessis Academiam  
erexit, dotavitque, certasque leges  
pro Professoribus & Academicis præ-  
scripsit, quæ cum Rex auctoritate Pon-  
tificia roborari vellet, ac peteret, ejus  
precibus deferens Clemens Papa cete-  
ras in Catalaunensi Principatu Univer-  
sitates abolevit, earumque bonis Cer-  
variensi adjunctis illam novis privilegiis  
ornavit.

Die tertia Octobris Anno 1727. Be-  
neditus XIII. Clericis Scholarum Pia-  
rum, ut scholarum exercitio valerent  
incumbere, prædicationis munus,  
ut memoravimus interdixerat, Cle-  
mens vero die decima quarta Decem-  
bris ad Præpositi Generalis preces ei-  
dem concessit, ut duos Concionatores  
in qualibet Provincia, in grandioribus  
vero tres constituere possit. Isdem e-  
tiam Religiosis Papa facultatem dedit  
præter fidei & literarum rudimenta e-  
tiam altiores disciplinas præcipue No-  
bilibus

Sæc. XVIII.  
A. C. 1730.

**Spec. XVIII.** **A. C. 1730.** **bilibus tradendi, & pro iis Collegia eri-**  
**gendi. Die autem vigesima secunda**  
**eiusdem Mensis indulgentias perpetuas**  
**in diebus conversionis S. Pauli ad Ec-**  
**clesias Monialium Anglicarum Congre-**  
**gationis D. Pauli Ord. S. Augustini ex-**  
**tendit. Jam dudum agitabatur con-**  
**troversia circa Decanatum Collegii**  
**Cardinalium vacantem; cum autem**  
**Præcedentium Pontificum decreta circa**  
**hanc quæstionem variassent, tandem**  
**Clemens declaravit, statuitque, ut sem-**  
**per antiquior ex sex Suburbicariis Epi-**  
**scopis Cardinalibus tum Romæ præ-**  
**fens, aut faltem ob publica Ecclesiæ**  
**negotia absens, Decanus sit ac no-**  
**minetur.**

Quoniam vero priores Pontifices &  
 præsertim Benedictus XIII. non sine  
 magno ærarii Apostolici damno exem-  
 ptiones a vectigalibus aliisque publicis  
 oneribus concessissent, hinc Clemens  
 ejusmodi exemptiones nonnullis ditio-  
 nis Ecclesiasticæ Religiosis bona tem-  
 poralia possidentibus, aut Cardinalibus  
 Nepotibus vel consanguineis indultas,  
 salva immunitate Ecclesiastica revoca-  
 vit. Cum autem Joannes Antonius  
 Guadagni, qui ex Carmelita Excal-  
 ceato a Benedicto XIII. Aretinæ Ec-  
 clesiæ Episcopus præfiebatur, illam  
 non modo tueri, sed etiam, ut provi-  
 dum

dum Pastorem decet, amplificare, & magis magisque meritis ornare intentus esset, hinc Papaæ eidem concessit, ut sibi, omnibusque ejus Successoribus pallium gestare & crucem præferri liceret.

Sæc. XVIII.  
A.C. 1730.

### §. LXXXIV.

*Diversa diffidia partim extinta, partim recens mota præcipue circa Religionem.*

Hoc item anno lis inter ditissimum Hamerslebiense Monasterium, & Borussicum Regimen amica compositione finita est. Hic Conventus Canonorum Regularium S. Augustini in Diœcesi Halberstadiensi situs ad hanc usque diem inter gravissimas calamitates Religiosæ disciplinæ fervore plurimum inclarescit. Illius bona, quibus abundat, quotiescumque in aliis ditionibus Ecclesiastica Protestantium bona fuere occupata, jure talionis sœpius hisce Canonicis ab Acatholicis eripi consuevere: Anno hujus sæculi decimo nono, quæ de cauſa nescio Fisci Regii Præfectus novem, ut vocant *Mansos* ex agro *Wopkicio* unacum duobus illis per plura sæcula possessis occupavit, quos Rex Ottelebio Borussicæ Legionis Tribuno dono dedit usque ad hunc annum

ab

Sæc. XVIII. ab eo detentos. Litem desuper apud  
A.C. 1730. Imperiale Consilium movere Canonici,  
interim vero Borussicum Regimen re-  
ditus ex his bonis provenientes sequestri  
nomine sibi reservavit. Re diu ultro  
citroque agitata, Cæsarei Consilii de-  
creto aut restitutio aut transactio san-  
cta est: Fridericus Wilhelmus ergo  
Borussiæ Rex ablata in perpetuum tam  
quoad Dominium, quam possessionem  
restitui consensit, ea tamen lege, ut  
Canonici I. proventus ex agris, depositi  
nomine, detentis collectos nullatenus  
repetant li. a lite tam propter occupa-  
tum agrum, quam ob redditus inter-  
ceptos apud Cæsarea Tribunalia in-  
tentata ultra recedant: Propositis  
hisce conditionibus annuere Canonici,  
& die vigesima septima Martii edito  
solemai scripto Antonius Zesting Præ-  
latus & Joannes Evers Subprior, Libe-  
rius Bartholomæus Senior & Bernar-  
dus Mumme Procurator Conventus  
nomine spoponderunt, se sub quocunque  
prætextu sequestratas pecunias nun-  
quam repetituros & a prosequenda lite  
destitutos; pollicebantur quoque, se  
hanc renuntiationem cunctis Imperii  
Curiis, apud quas lls inchoata fuisset,  
adeo plene denuntiaturos, ut etiam  
omnibus exceptionibus, nominati  
vis aut metus, vel lælionis, aut Bene-  
ficio

ficio legis 2 C. de rescind. Vendit: vel <sup>Sæc. XVIII.</sup>  
 Beneficii restitutioni in integrum, ce- <sup>A.C. 1730.</sup>  
 terisque juris remediis nuntium mit-  
 terent. Præter has conditiones Rex  
 insuper voluit, ut æs alienum, quod  
 præfatus Ottelebius Equestris legionis  
 Camerario debebat, Canonici persol-  
 vant, & numeratae pecuniæ tabulas  
 testes afferant, ac denique renuntia-  
 tionis factæ consensum ab eorum Su-  
 periore Generali datum exhibeant: id  
 quoque præstitere Canonici, qui se-  
 quens Præpositi sui Generalis testimo-  
 nium Regi porrexere: *Augustinus Sche-*  
*perus Canonicorum Regularium Ord. S. Au-*  
*gustini Congregationis a Winderem per*  
*utramque Germaniam Præpositus Genera-*  
*lis, & in Aquisgrano ad S. Joan. Bapt.*  
*Prior S. T. L. Transactionem sive compo-*  
*sitionem amicabilem ab Amplissimo Domino*  
*Prælato, ac ejusdem Collegationis nostræ*  
*Venerabili Conventu Hamerslebensi coram*  
*illusterrissimo Excell. Regimine Regiae Maje-*  
*statis Borussiæ, seu factam, seu faciendam,*  
*ratam & gratam facimus, & tenore præ-*  
*sentium plenariam iisdem Facultatem con-*  
*cedimus, ut erga restitucionem novem Man-*  
*forum ante decem circiter annos sequestra-*  
*torum & Domino de Otteleben adjudicato-*  
*rum, summam pecuniæ ab altefacto Regi-*  
*mine tempore administrationis servatam &*  
*depositam resignare, causæ sive liti in ju-*  
*sti. Eccles. Tom. LXXIII. Aa dicio*

Sæc XVIII, dicio Imperiali Aulico qua Creditore Do-  
A.C. 1730. mino de Otteleben transfigere pro Majori  
 Canonice quiete & emolumento libere valeant, omnia taliter conclusa & concludendi,  
 acta & aditanda approbantes & ratifican-  
 tes. In quorum fidem & robur propria  
 hisce manu subscriptissimus ac Sigillum Officii  
 adimpressimus.

Aug. Scheperus Generalis,  
 qui supra. Datum Aquisgrani  
 in Canonia nostra supra fata  
 hac 3. Maij 1730.

Adimpletis hisce quoque conditio-  
 nibus Berolini die sexta Maij restitutio  
 fuit decreta, quæ post exhibitam litis  
 renuntiationem Viennæ factam ab Hal-  
 berstadiensi Regimine executioni data  
 est.

Exspirantibus Regni comitiis in  
 Po'onia Protestantum, quos *Dissidentes*  
 appellant, Deputati rursus Grodnæ ad  
 alloquium admitti petebant, magis  
 prosperum sibi successum polliciti, ac  
 anno priore experti fuissent. Hos igitur  
 Regni Primas benigne excepit, ac per-  
 ceptis eorum querelis Episcopos & Pa-  
 rochos admonuit, ut fraternalę chari-  
 tatis memores haud amplius a fide de-  
 vios molestiis afficerent, donec hi in  
 proximo Imperii Conventu sua expo-  
 fuissent gravamina: Die etiam decima  
 quinta

quinta Februarii sequentis anni Angliæ Regis Ministri Congregatis Poloniæ Proceribus libellum supplicem porrigabant, in quo de violentiis, quæ Dissidentibus hucusque fuissent illatæ, vehementer querebantur: Hæc tamen caussa tunc ob potentium pertinaciam & petitorum insolentiam indecisa permanxit.

Sæc.XVIII.  
A.C. 1730.

Eodem anno gravioris dissidii semen Viennæ fuisse sparsum, nisi prudens moderatio remedium opposuisset: Accidit enim, ut Domini de Brand Borussici Oratoris Conjurum cum sua Filia in Viennensi suburbio curru veheretur, dum Vicarius ad S. Florianum Sanctissimam Synaxin ad ægrotum per plateas solemni ritu deferret: cum autem hujus fæminæ famuli nequidem, ut decuisset, pileos detraherent, duo cives eis, ut, ni Religiosum, saltem politicum cultum exhiberent, præceperunt, simulque monuere Matronam, ut ex curru suo descenderet: ea autem causante, quod Borussici Legati Conjurum & Religione Lutherana esset, reposuere illi, quod ipsemet Imperator, si præsens adesset, summa cum Reverentia ex curru descensurus esset: Illa tamen pertinacius resistente, Cives Filiam vi

Aa 2 tem-

Sæc. XVIII. temptum ulturus, violentas manus  
 A. C. 1730. Matronæ inferret, tumultum tamen  
 ex Clericis nonnulli tempestive sedarunt. Re comperta Borussicus Orator  
 Suecum Danumque Legatos in suas  
 partes attraxit, & non modo de inuria  
 graviter cum Imperiali Cancellario  
 postulavit, sed totam rei seriem ad  
 suum Regem perscripsit. Cancellarius,  
 ut gravioris molestiæ somitem subtraheret, non tantum Cives custodiæ dari  
 præcepit, sed etiam Managettam, cujus erat cauſarum momenta in secreto  
 Consilio exponere, ad Borussicum  
 Oratorem ablegavit sciscitatum, qua  
 via sibi satisfieri peteret. Eo autem  
 respondente, quod Regis sui mandata  
 desuper expectaret, Comes Secken-  
 dorius Berolini cum Rege hac super  
 re egit, eoque rem deduxit, ut  
 ambo Cives in vincula conjecti per  
 aliquot dies pane & aqua sustentaren-  
 tur, ac postea ad Legati ædes deduci,  
 culpam flexis genibus deprecari jube-  
 rentur.

### §. LXXXV.

#### *Varia decreta circa Monasteria.*

Hoc item anno Victor Amadeus II.  
 Mense Junio edictum promulgari  
 jussit, vi cuius subditis suis inhibitum,  
 ne

ne bona immobilia in Conventus Religiosorum, vel Ecclesiasticorum Collegia donatione aut testamento transferrent, bona autem a Clericis hucusque possessa, si olim publicis oneribus obnoxia fuissent, deinceps ab eis exempta esse non censerentur :

Sæc. XVIII.  
A.C. 1730.

Jam antea Petrus II. Moscoviae Imperator decreto sanxerat, ut nonnisi quinquaginta Monasteria SS. Basillii & Antonii in Russia extarent, atque in singulis quinquaginta duo essent Monachi, deinceps vero nullus nisi quadraginta annos natus & a Metropolitano examinatus in hisce Monasteriis profiteretur: cuilibet autem Monacho singulis Septimanis ad victimum & vestitum aureus Russicus duorum Imperialium assignaretur, ceteris redditibus, ærario addicendis. Paucis etiam ante obitum suum diebus statuit, ut cuivis, cuiuscunque sit Religionis, eam libere profundi facultas sit, & Moscovitæ severissime puniantur, si forte liberum ejusmodi exercitium interturbare, vel suggestu contra exterorum Religionem declamare præsumerent. Post obitum vero præfati Imperatoris Anna Petri I. ex Fratre Neptis die decima septima Martii annuente Clero diversas edidit sanctiones circa dignam Sacramentorum administrationem, celebrationem

Sæc. XVIII. diei Dominicæ & festorum, visitatio-  
A.C. 1730. nem Scholarum, Ecclesiarum & pau-  
perum curam, processionum ordinem,  
jejunia & alia Religionis exercitia.

## §. LXXXVI.

*Spontanea Victoris Amadei II.  
abdicatio.*

**H**ic annus Sabaudis præcipue ob fa-  
torum vicissitudinem memorabilis  
exstitit. Præprimis Victor Amadeus II.,  
Sabaudiæ Rex, quamvis sexagesimum  
quartum ætatis annum compleisset, se-  
cundis nuptiis sibi quinquagenariam  
Marchionis S. Sebastiani Viduam die  
duodecima Augusti copulavit: Erat  
hæc olim Marchionis Thomæi primarii  
Ministri Conjux, ac demum Reginæ  
defunctæ Matrona honoraria. Auge-  
batur a Rege variis ditionibus præter  
annum viginti aureorum millium cen-  
sum post Regis mortem percipiendum.  
Majori adhuc admiratione defixam te-  
nuit Europam ejusdem Regis abdica-  
tio, qua lubeus volensque sceptrum Ca-  
rolo Emmanueli primogenito Filio suo  
concessit. Jam ineunte hoc anno præ-  
ter duos Administros arcanorum ar-  
bitros, suum Filium arrepti hujus con-  
fili i partipem reddiderat: Causabatur  
molestum quinquaginta annorum  
Regi-

Regimen, ingravescentis ætatis in-  
commoda, seriumque desiderium po-  
stremos vitæ suæ dies Deo salutique  
suæ procul ab omni mundi Regnique  
strepu consecrandi. Sacræ hujus so-  
litudinis locum sibi selegerat Ripulam,  
urbem sexto lapide Taurino dissitam;  
eo se se die tertia Septembris unacum  
Taurinensi Archiepiscopo, Equitibus,  
Regni Administris, plurimisque Pro-  
ceribus contulit, coram quibus omnes  
suas ditiones (nulla excepta) Filio suo  
cessit, erectisque renuntiationis factæ  
tabulis cunctos hortatus est, ut debi-  
tam suo Successori fidem obsequiumque  
immote præstarent: Postea ad majo-  
rem Aulam secedens, ad præsentes  
orationem habuit mira verborum ac  
sententiarum copia gravissimam, quæ  
non nisi suorum lacrimis ubertim effusis  
excepta est: Absoluto hoc sermone  
homagium recens nominato Regi ab  
omnis Ordinis proceribus perdemisso  
dexteræ osculo exsolvebatur, quo facto  
Victor Amadæus sermone ad Filium  
suum converso eundem de pacis studio,  
subditorum amore, & imprimis de a-  
vitæ fidei cura ac defensione gravis-  
sime est cohortatus: Eadem adhuc  
die ad Reginam Filii sui Conjugem con-  
tendit unacum uxore sua. En! inquiet-  
bat, *Matronam Tibi exhibeo, quæ reli-*

Sæc. XVIII.  
A.C. 1730.

Sæc. XVIII. quos ætatis suæ annos mihi consecrare, ac  
 A. C. 1730. mecum vitæ conjugalis societate jungi non  
 recusavit, hanc igitur, si prius, quam ipsa,  
 decessero, ejusque Filios, Fratres, totam-  
 que ipsius Familiam tuis favoribus enixe  
 commendabo. His dictis & persolutis ut-  
 rinque amicitiæ obsequiis Rex nonnisi  
 Comes de Tende, ejus vero conjux  
 Marchionissa de Spigno nominari vo-  
 luit, reservata sibi viginti quinque au-  
 reorum millium pensione annua. Con-  
 vasatis denique gemmis, aliisque pre-  
 ciosioribus quibuscunque Ripula Cam-  
 brium profectus, Senatores obviam  
 euntes his verbis allocutus est: *Con-*  
*civis vester ero, talem me recipietis utique,*  
*Regios honores mihi deferri nolo, vobis*  
*tamen ope & consilio in Regis Senatu adero.*

Sequenti die Carolus Emmanuel in  
 Regem proclamatus primis in curis  
 habuit, ut dilectia, quibus Rex ejus  
 Parens cum Papa collidebatur, com-  
 poneret; nec ejus conatui ablusi e-  
 ventus, quamvis paulopost nova exorta  
 fuissent dissensionum argumenta: Ut  
 vero literæ in sua Metropoli magis flo-  
 rent, Academiam Taurini erexit,  
 Iustratisque ludis literariis necnon Je-  
 suitis valere jussis Praeceptores in fide  
 sanos, in moribus probos instituit. Ne-  
 que eo contentus, illud etiam egit, ut  
 Religionem Catholicam per omnes Pro-  
 vincias

vincias ab hæresum fæce expurgaret; Sæc. XVIII.  
A.C. 1730.  
 cum enim Waldenses & Pedemontanarum vallium incolas adeo in sua secta  
 obstinatos cerneret, ut, quamvis ru-  
 des, & Catholicæ pariter & Calvinianæ  
 Religionis ignari essent, Apostolicos  
 tamen fidei Magistros audire ac sequi  
 renuerent, editum die vigesima Junii  
 promulgari jussit, ut intra semestre  
 vel errores suos ejurarent, vel solum  
 verterent: Ex his non pauci erant,  
 qui relictæ patriæ potius ad Genevenses  
 secedere, quam assueta sacra ponere  
 vellent. Alii Hollandois, Bernates,  
 ipsoisque Anglos eorumque opem im-  
 plorabant, nec irrito plane successu;  
 die enim decima quarta Novembbris  
 Britannorum Rex ad Sabauidæ Du-  
 cem literas admodum graves in eo-  
 rum favorem dedit, quibus permotus  
 Carolus Rex concessit, ut Acatholici  
 suas querelas coram Regio Ministro  
 exponerent. Declaravit insuper, quod  
 nuperi edicti severitas illos duntaxat  
 complectatur, qui a fide Catholica  
 quam semel amplexati fuissent, faci-  
 lega prorsus perfidia recessissent.

### §. LXXXVII.

*Principum atque Illustrium  
 obitus.*

A a s

Plures

**Sæc. XVIII.** Plures hoc anno Principes non sine  
A. C. 1730. magno populorum luctu æternitatis  
 iter ingressi sunt, quos inter prima e-  
 rat Theresia Kunigunda Joannis III.  
 Sobiesky Poloniæ Regis Filia & Maxi-  
 miliani Mariæ Emmanuelis Bavariæ  
 Electoris Conjux. Hæc die quarta  
 Martii anno Christi millesimo sexcen-  
 tesimo septuagesimo, sexto nata per  
 procuratorem Ladislauum Achatium Co-  
 mitem de Törring die decima quinta  
 Augusti Anno 1694. Varsaviæ in Polo-  
 nia Maximiliano Electori desponsata  
 est, sequenti anno die secunda Vesaliæ  
 solemni ritu copulata. In luculentam  
 patriæ spem undecim enixa est liberos  
 tum aris tum tiaris sanctificatos, non  
 nisi duobus ad stirpis propagationem  
 reservatis. Secefferat illa annuente  
 Marito Venetias, ubi etiam die deci-  
 ma Martii noctu communem humani  
 generis finem attigit, annos nata quin-  
 quaginta quatuor. Reliquerat præter  
 quater decies centena florenorum millia  
 magnam gemmarum, ac pretiosorum co-  
 piæ, quæ omnia Colonellus Baro de  
 Stain Monachium transportavit. Ma-  
 gnanimæ huic Principi Carolus VI.  
 Imperator Viennæ in Lauretana Au-  
 gustinianorum Basilica die decima octa-  
 va Aprilis ejusdem anni justos honores  
 persolvi curavit. Cadaver ejus Venetiis  
 Mona-

Monachium die decima quinta ejusdem Mensis funebri pompa deductum apud PP. Theatinos prope tumbam Maximiiani Electoris Mariti sui repositum fuit. Hujus Principis obitum præcesserat præmatura mors Petri Alexiewiz Russæ Imperatoris, qui Catharinam Alexiwnam Alexii Gragorewiz Dolgorucki Filiam sibi in uxorem selegérat; Capiebatur non tam incredibili ejus venustate, quam rara virtutum, ac præprimis modestiæ præstantia. Jamjam ad diem vigesimam secundam Januarii solemnes parabantur nuptiæ, quas festiva venatio die decima septima ejusdem Mensis præcesserat: Sequenti vero die Juvenis Princeps regentino obruitur morbo, cuius periculo a Medicis haud cognito applicantur remedia, sed prorsus improba: octavo post die erumpunt varioli, accedit calida febris, cuius violentia Princeps nonnisi quindecim annos natus die vigesima nona Januarii sceptrum & vitam depositus, non sine maximo Aulæ ac Regni luctu: Tertia postmodum Februarii die ejusdem Principis Avia nomine Ottokesia Federowna seu Theodora eandem Æternitatis viam ingressa est, quæ Anno 1698. a suo Matto Petro Alexiewiz Imperatore dimissa in Monasterio Sustelskyno aliquam-

Sæc.XVIII.  
A.C. 1730.

**Sæc. XVIII.** quamdiu tranquillam egit vitam, quam  
 A.C. 1730. cemum Misselburgi finiit. Ceterum  
 Petro in Imperio successerat Anna Iva-  
 nova Friderici Guilielmi Curlandiæ Du-  
 cis Vidua. Denique die decima nona  
 Aprilis Antonius Ferdinandus Dux de  
 Guastalla nonnisi quadraginta duos an-  
 nos natus obiit. Ejusdem quoque anni  
 die undecima Octobris Fridericus IV.  
 Daniæ Rex theatro mundi excessit.  
 Hic enim die decima nona Julii Schles-  
 vigo Gottorpiam delatus, ibidem gra-  
 vissimo opprimebatur morbo, ex quo  
 cujusdam præstantissimi Medici Ber-  
 linensis ope convaluit, paulopost ta-  
 men tanta virium debilitas eum incel-  
 ferat, ut potius vivere desineret, quam  
 mori videretur: Annum agebat ætatis  
 quinquagesimum nonum, Regiminis  
 trigesimum primum; Successorem re-  
 liquit Christianum VI. Filium suum  
 primogenitum. Die autem quinta  
 Aprilis Maria Amalia Carolina Austriæ  
 Archiducissa & Caroli VI. Imperatoris  
 Filia præmatura morte nonnisi sexen-  
 nis mundo erepta est. Præterea Ca-  
 rolus Hassiæ Landgravius die vigesima  
 tertia Martii anno ætatis suæ septua-  
 gesimo sexto vivis valedixit: idem  
 fatale fatum die duodecima Aprilis  
 subiit Benedicta Henrietta Joannis Fri-  
 derici Hannoverani Ducis Vidua, quæ  
 annos

annos nata septuaginta octo per plures Sæc. XVIII.  
 annos Parisiis agebat. Decessit quoque A.C. 1739.  
 que hoc anno Philippus Ernestus Hol-  
 sato - Glücksburgensis Dux expleto  
 ætatis anno quinquagesimo quinto, cui  
 succedit Fridericus primogenitus De-  
 functi Filius. His accensendus venit  
 Nicolaus du Blé Uxelensis Marchio &  
 Argentinensis Urbis Gubernator, Vir  
 sago, & toga præstantissimus, qui in  
 castris adolevit, multis victoriis clarus,  
 nullum hostem timuit, omnium vicit,  
 & a sola morte devictus: Obiit Parisiis  
 die decima Aprilis, septuagesimo  
 nono ætatis anno prospere inchoato.  
 Denique Nicolaus Maurocordatus Wa-  
 lachiæ Princeps ex gangrena die de-  
 cima quarta Septembribus decessit. Hic  
 Anno 1716. a Cæfareis ob nimiam se-  
 veritatem in subditos suos in Bucu-  
 resto Metropoli sua invasus in Transyl-  
 vaniam captus abducebatur, suo Prin-  
 cipatui primum post Passarewicensem  
 pacem restitutus.

Ex Principibus Ecclesiasticis mortis  
 victima cecidere I. Antonius Dominicus Comes de Wolckenstein Tridentinus Episcopus, cui Antonius Comes de Thun succedit. II. Dionylius Franciscus Bouthillier de Chavigny Senonensis Archiepiscopus Galliæ & Germaniæ Primas, qui olim quadra-  
 ginta

Sæc. XVIII. ginta Franciæ Episcoporum instructioni  
A. C. 1730. circa Constitutionem *Unigenitus* sub-  
 scripserat, & paulo ante obitum suum  
 coram Capitulo suo Cathedrali palam  
 testatus erat, quod sese sincero animo  
 omnibus Ecclesiæ decretis & præcipue  
 præfatæ Constitutioni submittat. III.  
 Michael Poncet de la Riviere Andega-  
 vensis Episcopus, qui Facultatis Theo-  
 logicæ Doctor Constitutionem accepta-  
 vit, & pacificationi desuper factæ ac-  
 ceffit, Anno autem 1722. die 25.  
 Octobris luculenta oratione solemnem  
 Franciæ Regis coronationem honesta-  
 vit. IV. Denique Varsaviæ Vincen-  
 tius Santini. qui in Poloni Regis Aula  
 Nuntium Apostolicum egit, mortalita-  
 tem exuit, eidem vero Camillus Pau-  
 lucius successit.

### §. LXXXVIII.

#### *Infesta Turcarum molimina contra In- sulam Melitensem.*

Hoc item anno haud incertus rumor  
 Melitenses Equites ad strenuam  
 defensionem animavit; quippe non modo  
 crebris literis, sed etiam ab ipso sum-  
 mo Pontifice admonebantur, Turcas  
 omnia moliri, ut Insulam improviso  
 armorum impetu obruere possent. Plures  
 etiam Barbarorum naves vicinum mare  
 pro-

prorsus infestum reddebant, imo earum Sæc. XVIII.  
 Gubernator unacum Legato Turcico A.C. 1730.  
ad portum appulsus, inter horrendas  
minas bellum nuntiabat, traditis lite-  
ris, quas Magno Ordinis Magistro por-  
rigi, ac desuper quantocius responderi  
voluit. Hujus epistolæ tenor erat  
sequens :

*Agdi Bacha supremus Ottomanicæ  
 classis Praefectus &c.*

*Primo ac supremo Melitensis Insulæ  
 Domino, siue Senatus ac populi Proceri-  
 bus, qui in hac Insula morantur, & Mes-  
 sianam adorant, notum facimus, nos a ma-  
 gno Domino, totius Orbis Domitore, &  
 mundi refugio speciatim suisse ablegatos, eo  
 fine, ut omnes tam Turcæ quam alii, qui  
 ab Anno 1721. a Serenitatis tuae subditis  
 eorumque navibus capti, & in servitutem  
 redacti sunt, nulla mora libertati reddan-  
 tur, & coram supremo ac invincibili throno  
 sstantur. Ea duntaxat ex caussa Magnus  
 noster Dominus armis nos instruxit, præ-  
 cepitque, ut Vos per has literas de ad-  
 ventu nostro certiores reddamus, vobisque  
 significemus, Vos, si secus feceritis, aut  
 captos reddere, vel gratum responsum dare  
 retardaveritis, mala inde oritura non sine  
 gemitu ac dolore experturos.*

His

Sæc. XVIII. His minis haud territi Equites, ha-  
A. C. 1730. bito consilio ac re mature pensata de-  
crevere, sequens responsum esse Turcis  
dandum :

*Supremus Melitensium Magister, ejus-  
que Venerabilis Senatus Agdi Bachæ su-  
premo rei maritimæ Præfetio salutem.*

Perlegimus Serenitatis vestræ literas in  
publico Senatu, inde Magni Domini po-  
tentissimi vestri Monarchæ Zelum non sine  
grata admiratione commendavimus : perspe-  
ximus etiam Consilium, quo Te per mare  
huc eo fine ablegare voluit, ut Turcica re-  
petas mancipia, quæ vel in hac Insula,  
vel aliis ditionis nostræ locis detinentur.  
Abs dubio tamen tibi notum erit, nostri In-  
stituti legibus nos non obstringi, ut man-  
cipia conqueramus, sed ut navigationem,  
& Christianorum mercaturam pro viribus  
nostris securam reddamus : Si ergo naves  
nostræ in piratas incident, eos in servitu-  
tem, utpote jure belli captos, redigimus.  
Quoniam vero certissimum insuper est, Tur-  
cicorum piratarum numerum longe excedere  
Christianorum naves, hinc haud mirum,  
Turcicæ gentis captivos nostræ potestati  
subactos multo plures esse Christianis per-  
vos captis, quorum liberationem ardenter  
exoptamus, de cetero certi sitis, nobis nil  
jucundius esse, quam fervens illud, quo Ma-  
gnus vester Dominus flagrat, captivos suos  
redimendi studium ; illud enim non minus  
ardens

ardens in nobis excitat desiderium, ut vi-  
cissim Christiani nostri a vestra servitute li-  
berentur; Attamen ea res tam subito fieri  
nequit, nec executioni aliter dari potest, nisi  
prout inter Christianos Principes moris est;  
Rogamus itaque, ut hac in re usitatam  
hanc, ceterisque magis opportunam feligatis  
viam, scilicet, ut utriusque partis captivi  
vicissim æquo numero liberentur. Hac su-  
per re Magni vestri Domini responsum a-  
vide expectamus, & tecum lætamur, a tuo  
Monarchæ te ad tam insigne charitatis  
opus suisse selectum, Deum precamur, ut  
optatus respondeat successus, demum te  
Divinæ providentiae commendamus.

Interim vero, dum ad has literas  
responsum daretur, Equites cuncta ad  
validam Insulæ defensionem parabant.

### §. LXXXIX.

#### *Scriptores Catholici hoc anno denati.*

Plures ex Scriptoribus Religione Ca-  
tholicis præmatura nimis mors li-  
terariæ Reipublicæ hoc anno sustulit.  
Hos inter haud infimus est Joannes  
Nicolaus Maurocordatus, cuius fatum  
supra recensuimus. Hic Historiam Ec-  
clesiasticam, quam Alexander ejus  
Parens præter plura alia scriptam re-  
liquebat, publicis typis edi curavit:  
Exstat insuper ejusdem tractatus de  
*Hist. Eccles. Tom. LXXIII.* Bb Of

Sæc. XVIII.  
A. C 1730.

Sæc. XVIII. *Officiis* Græco idiomate exaratus. Ce-  
 A. C. 1730. lebrior est memoria P. Ignatii Hy-  
 cinthi Amati de Graveson, qui decimo  
 sexto ætatis anno Avenione S. Domini-  
 nici Institutum professus, Parisiis fa-  
 cratioribus disciplinis tam egregio pro-  
 fectu operam dabat, ut Sorbonæ Do-  
 ctor, ac Romæ in Conventu S. Thomæ Profesor & demum Casanatenis  
 Collegii Theologus renuntiaretur: Huic  
 Viro utpote doctrinæ præstantia, in-  
 genii subtilitate, & eruditionis copia  
 longe celeberrimo Marcus Antonius  
 Princeps Burghefius de Sulmone Fi-  
 lium suum Franciscum postea Cardina-  
 lem literis instituendum tradidit, in  
 cujus etiam utilitatem & usum Grave-  
 sonius Historiam Ecclesiasticam omni  
 laude dignissimam in varia digessit col-  
 loquia, quæ postmodum idem Cardi-  
 nalis suis sumptibus prælo commenda-  
 vit iteratis typis excusa. Scripsit in-  
 super celeberrimus hic Vir epistolas ad  
 Amicum *de gratiæ efficacia doctrinæ uber-*  
*tate, & argumentorum soliditate incly-*  
*tas, necnon tractatum de mysteriis*  
*& annis Christi & tractatum de*  
*Scriptura Sacra præter alia quamplu-*  
*rima.* Denique celeberrimus hic Vir  
 Romæ die decima nona Martii 1722.  
 edidit epistolam apologeticam ad Ma-  
 gistrum Antonium Girardum, in qua  
 fese

sepe vindicabat a duabus criminatio- Sæc.XVIII.  
 bus, quas *Trivoltiensis Scripturarii ei-*  
*dem falso impegerunt;* accusabant enim  
 illum, I. quod gratiæ sufficientis no- A.C. 1730.  
 tionem sine ulla tergiversatione expli-  
 care neglexerit, proin Jansenio faverit,  
 cum tamen illam, prout Trivoltiensis  
 eam explicari petebant, in suo libro de  
 Mysteriis & annis Christi pag. 320. &  
 alibi clarissimis verbis exposuerit. II.  
 Objiciebant Gravesonio, quod dum  
 scripserit, Bartholomæum Germonium  
 Joannis Harduini Discipulum veterum  
 MS. Codicum antiquitatem, fidem ac  
 veritatem labefactasse &c. hæc autem  
 Harduino & Germonio jam dudum a  
 justo Fontanino, Dominico Lazarino, An-  
 tonio Gatto, Scipione Maranta, & Petro  
 Coustant criminis fuisse data, ostendit  
 Gravesonius, atque ex ipsis Germonii  
 verbis hunc Pyrrhonismum comprobat.  
 Porro has criminaciones silentio præ-  
 terire statuerat Gravesonius, eoquod,  
 ut ait ipse, sciret, *Trevoltinos domesticæ*  
*scholæ plus æquo intentos & certis præju-*  
*diciis occupatos, de Scriptoribus universis*  
*pro summa, quam sibi in republica literaria*  
*arrogant, dictatura, pronuntiare solitos*  
*esse, prout amore vel odio feruntur . . .*  
*ut mirum sit, eos adeo nil habere mentis*  
*vel frontis, ut toties confutati, toties de-*  
*prehensi, toties irrisi ac fugillati, toties*

Sæc. XVIII. *cordatorum omnium iudiciis exhibitati*, nec  
 A. C. 1730. *dum resipuerint, sed eandem fabulam ma-*  


---

*ximo cum famæ suæ dispensio etiamnum*  
*agere pergent &c.* Præter hos celebra-  
 tur Guilielmus de Lavour Parisini Se-  
 natus Advocatus, qui Græci & hebraici  
 idiomatis apprime gnarus edidit con-  
 cordantiam fabulæ cum Scriptura sacra  
 necnon Historiam secretam Neronis  
 seu convivium Trimalcionis. Obiit  
 San-Cere in Cadurcenſi tractu die octava  
 Aprilis. Mense autem Octobri die nona  
 in Hispano portu S. Mariæ deceſſit Iga-  
 tius Laubrūſſel Jesuita, qui vulgavit  
 Elucidationem historico - dogmaticam  
 circa jus & factum cuiusdam theſis a-  
 pud Rhemenses Jesuitas 1. Aug. 1698.  
 propugnatæ, vitam P. Caroli Lotha-  
 ringi Jesuitæ, & tractatum de abuſu  
 criticæ in materia Religionis.

Die vigesima secunda Februario Par-  
 iſiis mors calamum excuſſit Simoni  
 Michaeli Treuvé Theologiæ Doctori  
 annos septuaginta novein nato, qui Con-  
 gregationi doctrinæ Christianæ nomen  
 dederat, ea tamen relicta Pariſiis Pa-  
 rochiæ ad S. Jacobum præpositus, a  
 celeberrimo Boſſuetu Meldensi Episcopo  
 evocabatur, hujus Ecclesiæ Canonicatu  
 dotatus: Adhæserat pertinacius illis,  
 ac præprimis Portu - Regiensibus, qui  
 ſeſe Constitutioni *Unigenitus* oppone-  
 bant,

bant, quo circa post viginti duorum annorum moram Meldis excedere ius-  
 sūt, ac tandem Parisios reversus, ibidem septuaginta septem annos natu-  
 tus animam efflavit. Perutilem tamen navabat operam corrigendo Meldensis Diæcesis Breviario, elucubrabat quoque Instructionem circa dispositiones ad Pœnitentiæ & Eucharistizæ Sacra-  
 menta requisitas, Directorem spiritua-  
 lem pro iis, qui eo carent, vitam Do-  
 mini Du Hamel, sermones pios seu ex-  
 plicata Mysteria, quæ ab Ascensione usque ad octavam SS. Sacramenti, & elogia Sanctorum, qui per adventum celebrantur, epistolam ad Arnaldum circa plures casus conscientiæ, preces ex S. Scriptura, explicationem Sacrificii ac cæmoniarum in Missa, exercitia decemdia, sermonem de præcipuis obligationibus vitæ Religiosæ & de vita Religiosorum Trappensium, obligatio-  
 nes Pastorum circa instituendos popu-  
 los, Bibliothecam Auctorum Burgundi-  
 corum præter Sermones quamplurimi-  
 mos nondum editos. Ad hunc quo-  
 que annum revocatur obitus Matthæi Dolmans Ord. FF. Præd. insignis Po-  
 lemici, qui elegans opus edidit sub  
 hoc titulo: *certa infallibilitas Ecclesiæ Romanæ & Pontificum non solum circa fidem & mores, sed etiam in Canonisatione*

Sæc. XVIII<sup>a</sup>  
A. C. 1730.

Sæc. XVIII. *Sanctorum adversus Mensonem Heydenryck.*  
A. C. 1730.

Vide Tomo  
72. p. 541.

Singulari etiam commendatione dignus est Joannes Georgius de Eckard, de cuius glorioſo ad fidem Catholicam reditu jam supra mentionem fecimus: Restat, ut ad obturanda calumniantium ora subjungamus epitaphium, quod in Tomo I. sui commentarii de rebus Franciæ Orientalis legitur:

„Anno 1730. die 9. Februarii post  
 „horam septimam matutinam, post  
 „plurium mensium infirmitatem suscep-  
 „ptis præmature intimo pietatis sensu  
 „Sacramentis, ad extremum usque  
 „vitæ halitum sibi præsens, placidis-  
 „fime in Christo obdormivit *Perillustris*  
*Dominus*, Joannes Gregorius ab Eckart,  
 „Reverendissimi & Celsissimi Episcopi  
 „Principis Bambergensis & Herbipo-  
 „lensis Consiliarius Intimus, Historio-  
 „graphus, & Bibliothecæ Academicæ  
 „Præfectus, annum ætatis suæ agens  
 „quinquagesimum quintum. Qui fi-  
 „dem Romano - Catholicam, a qua in  
 „primo adolescentiæ suæ æstu multum  
 „abhorruit, ex assidua Historiæ Eccle-  
 „siasticæ lectione tandem eam ipsam  
 „esse, & semper hucusque mansisse  
 „quoad dogmata & mores, quam Chri-  
 „stus ipse docuit, & Apostoli per uni-  
 „versum mundum prædicaverunt,  
 „pro-

„probe agnoscens, Coloniæ in templo Sæc.XVIII.  
 „Societatis Jesu Anno 1722. publice A.C. 1730.  
 „professus est, pridie mortis suæ veram  
 „& unice salvificam esse ad prærecita-  
 „tum sibi a Sacerdote assistente Sym-  
 „bolum: *Quicumque vult salvus esse*, &c.  
 „elevatis in Cælum manibus singulari  
 „cordis jubilo contestatus fuit. Quæ,  
 „& quanta hujus viri eruditio fuerit,  
 „manifestant plurima justæ magnitudi-  
 „nis ab eodem typis edita curiosioris  
 „& difficilioris argumenti volumina,  
 „quorum correxisset aliqua, si diutius  
 „vixisset; probant quoque Equestris  
 „Dignitatis titulus, & privilegia, &  
 „aurea Numismata, quibus ab Impe-  
 „ratoribus, Regibus, & multis Eu-  
 „ropæ Principibus meruit honorari:  
 „Notus omnibus æque ac charus in  
 „Germania, Italia, Gallia, Belgio,  
 „& utraque Britannia eruditis sui tem-  
 „poris viris, quos inter & ipsum con-  
 „stans amicitia, & frequens literarum  
 „commercium, imo necessitas interce-  
 „debat: Accuratiorem annorum vitæ  
 „ejus, & scriptorum seriem celeber-  
 „rimi doctrina per totam Europam  
 „Viri, pro suo quisque studio in Eckari  
 „merita digno recensebunt calamo: &  
 „si hi tacuerint Orientalis Franciæ  
 „Annales, quibus edendis ad immor-  
 „talem & gentis & sui gloriam

Sæc. XVIII. „totus incumbebat, ad sui æmulatio-  
A.C. 1730. „nem loquentur. Intetim tu Christian-  
„ne lettor pie defuncto, ut beatæ  
„vivat æternitati, cui moriens scribe-  
„bat, a sera posteritate commendando,  
„bene precare, & dic. Requiem æter-  
„nam dona ei Domine, & lux perpe-  
„tua luceat ei. „

Præterea Scriptoris laudem loquun-  
tur præstantissima ejusdem opera, quo-  
rum præcipua sunt. I. Origenes fa-  
miliæ Habsburgico - Austriacæ. II.  
Origenes Monasterii Murcensis. III. Hi-  
storia Principum Saxoniæ Superioris  
& primorum Marchionum Orientalium,  
Misiæ, Thuringiæ, & familiæ An-  
haltinæ, nequon Sabaudiæ Ducum.  
IV. Origo Alexii Moscovitæ & Sophiæ  
Brunsvico - Luneburgicæ a Græco Im-  
peratore Constantino Porphyrogenito.  
V. De Friderici Austriæ Archiducis  
uxore. VI. Corpus Historicum Scri-  
ptorum medii ævi. VII. Leges Fran-  
corum Salicæ & Ripuariorum. VIII.  
Disputatio de Poetis. IX. Historia  
studii Etymologici linguae Germanicæ  
adhuc impensi. X. Brevis introdu-  
ctio ad Historiam Germaniæ. XI. Hym-  
nus Ecclesiæ: *Te Deum &c.* notis il-  
lustratus. XII. Disp. de usu & præ-  
stantia studii etymologici in Historia.  
XIII. Catechesis theotisca monachi  
Weissen-

Weissenburgensis interpretatione illu-  
strata. XIV. Collectanea de Anno 1700. ad Annum 1702. XV. Consilium  
de modo instruendi Bibliothecam ex  
libris Historiae Germaniae. XVI. Con-  
troversiae de diplomate Caroli M. pro  
Scholis Osnabrugensibus Græcis & la-  
tinis. XVII. Observationes, epistolæ,  
& dissertatio epistolica ad Bandurum de  
Nummis. XVIII. Dissert. de imaginib-  
us Caroli M. & Carolomanni. XIX.  
Animadversiones Historicæ & criticæ  
in Joan. Schannati Diæcesin Fulden-  
sem. XX. Præfatio ad Leibnitii col-  
lectanea etymologica. XXI. De ve-  
teri Salisburgo notitia: Ceteris vero  
præclari hujus Scriptoris lucubrationi-  
bus palma in eripit posthumum ipsius  
opus, quod ex antiquissimis Codicibus  
Herbipoli repertis conscripsit sub titulo:  
*Commentarii de rebus Franciae Orientalis &*  
*Episcopatus Wirceburgensis.* Ipse met  
Clemens XI. Pontifex, postquam hosce  
pervetustæ ætatis Codices ibidem re-  
cens inventos coipererat, per Cardi-  
nalem Paulutium a Joanne Bernardo  
Suffraganeo Herbipolensi petiit, sibi ca-  
lamo pingi ipsos characteres cum pun-  
ctis & virgulis juxta eandem accurate  
formam, qua in antiquioribus hisce  
membranis formati erant, quod &  
Eckardus præstítit, uti videre est in

Sæc. XVIII. præfati operis Tomo I. pag. 346. Ex-  
A. C. 1730. stat quoque in actis Apostolicis Lega-  
tionis Helveticæ epistola latina Eckardi  
ad Illustr. Nuntium Passioneum.

Ejusdem quoque anni die nona  
Octobris naturæ debitum Parisiis sol-  
vit Ludovicus Tiberga Parisini Mission-  
num Seminarii Director & Abbas ad  
S. Andream, qui unacum præfati Se-  
minarii Supperiore Brisaciero circa Si-  
nensem rituum controversias tunc in-  
ter Jesuitas & ceteros Missionarios ex-  
ortas plurimum laborabat: Edidit  
exercitia spiritualia pro Ecclesiasticis,  
Meditationes & commentationes sacras  
in usum Monialium aliorumque in com-  
muni viventium præter alia exercitia  
sacra. Huic accensemus Cajetanum  
Argentum, qui tractatum *de beneficiis*  
*Regni Neapolitani*, *quibus non licet frui*  
*extraneis*, conscripsit, & in elucubranda  
Historia Neapolis Petri Janonnii ma-  
gnam partem habuit.

Eodem anno vivere desit Joannes  
a S. Michaele doctissimus Ord. Carme-  
litarum Discalceatorum Theologus,  
cui adaptari potuit illud Photii de  
Athanasio ad Therafium: *In sermoni-  
bus ubique locutione clarus est, & brevis*  
*& simplex, acutus tamen & altus & ar-  
gumentationibus omnino vehemens, & in*  
*his tanta ubertas, ut admirabilis. Logicis*  
*autem*

autem methodis nil tenuiter, nil juveniliter. Sæc. XVIII.  
A.C. 1730.  
 ut pueri & rudes sed Philosophice & magnifice: Hanc laudem sibi promeruit suis commentariis in primam partem D. Thomæ de quæstionibus proemialibus de Deo uno, de Visione Beatifica, de scientia Dei, de voluntate Dei, de prædestinatione Sanctorum, de reprobatione impiorum &c.

### §. XC.

#### *Synodus Diæcesana Monasteriensis.*

Hoc item anno Clemens Augustus Monasteriensis Episcopus die septima Octobris Diæcesanam habuit Synodum, in qua præcipue mandatum, ut Parochi sive Curati librum, in quo Baptizatorum, Patrinorum, nubentium & mortuorum nomina exacte sint notata, in visitatione Synodali Archidiaconis vel eorum Commissariis quavis vice exhibeant, & Archidiaconi diligenter inquirant, an Parochi, Sacellani, aliqui Beneficiati accuratum indicem reddituum, jurium Stolæ, aliorumque emolumentorum annuatim confiant, ut hi, qui hac in re negligentes fuerint, corrigi & emendari possint.

### §. XCI.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1730.

§. XCt.

*Scriptorum Acatholicorum opera & decessus.*

Nonnulli etiam ex Scriptoribus Aca-  
tholicis hoc anno vitæ suæ finem  
fecere, quorum opera posteritati relata  
recensere, haud abs re erit. Ex his  
igitur primus occurrit Jacobus Saurin  
Calvinista, qui, cum in certis casibus  
mentiri, licitum esse defenderet, acrem  
ceterorum invidiam sibi accerfebat:  
Pugnabatur aliquamdiu editis utrinque  
scriptis, mutuis convitiis fædisque cri-  
minationibus, resque tandem eo de-  
ducta est, ut Saurinus, quamvis e-  
vulgata dissertatione *de mendacio* opi-  
nionem suam vindicare molitus esset,  
Ultrajecti tamen, Lugduni Batavorum,  
& Amstelodami coram Calviniano Sy-  
nedrio caussam suam dicere cogeretur.  
Scripsit præterea Synopsin Theologiæ  
& doctrinæ moralis Christianæ permo-  
dum Catechismi, novem tomos ser-  
monum, sermones in S. Scripturam,  
& librum de Christiana Religione in  
Francia. Obiit Hagæ Comitum die  
trigesima Decembris. II. Joannes An-  
dreas Frommann, qui edidit tractatum  
de inimicitia. ejusque effectibus, de  
obligatione naturali, & correali, nec-  
non

non de revocatione privilegiorum Sæc.XVIII.  
 præter alios tractatus potissimum juri- A.C. 1730.  
 dicos. Decessit Tubingæ die tertia  
 Januarii. III. jacobus Carolus Spener  
 Lutheranus, qui posteritati reliquit  
 Historiam Germaniæ Universalis &  
 pragmaticam, notitiam Germaniæ an-  
 tiquam, Historiam doctrinæ de Tem-  
 peramentis hominum, tractatum de  
 vera origine Comitum Palatinorum  
 Cæsareorum Lateraneum, & alia  
 quamplurima, quæ passim in Historiæ  
 Literariæ Lexicis recensentur. IV. Sa-  
 muel Strimesius Calvinista, qui publici  
 juris fecit ingenuam in controversias  
 Evangeliorum inquisitionem, Consen-  
 sum Sandomiriensem ab Evangelicis  
 Augustanæ, Bohemicæ & helveticae  
 confessionis, Consensu inter Luthera-  
 nos & Calvinistas in fidei fundamento,  
 Systema gratiæ Divinæ, Epistolam ire-  
 nicam ad Scultetum, tractatum de  
 fundamentalibus fidei articulis, differ-  
 entem de in — & æqualitate gra-  
 tiæ, ingenuam in Arminianismum in-  
 quisitionem, de creatura spirituali, de  
 una Ecclesia, de primis duodecim Ca-  
 nonibus Apostolorum, Praxiologiam  
 contra Hobbesium, & contra Duellum,  
 tractatum de Baptismo pro mortuis  
 &c. V. Paulus Hilscher, qui die ter-  
 tia Augusti mortuus ad posteros trans-  
 misit

**Sæc. XVIII.** misit Schediasma de Bibliotheca Adami  
A. C. 1730. Protoplasti, epistolam de reliquis  
 Adami, Templum Dei mysticum, com-  
 mentarium in Psalmum CLI. Disser-  
 tationem de incensis castris per Gedeon-  
 nem, Disputationes de veterum disci-  
 plina Ecclesiastica, de erroribus picto-  
 rum circa Nativitatem Christi, de ritu  
 Dominicæ *Lætare*, de studio Philoso-  
 phiæ gentilis, de campanis Templo-  
 rum, de inani studio Eruditorum, de  
 Christo Suetonii, quod ille non sit  
 Christus mundi Salvator, de formula:  
*I. H. S. Maria*, de persecutionibus Chri-  
 stianorum in Japan, de spiritu familiari  
 Lutheri, præter varia Exegetica &c.  
 VI. Antonius Blockwall, qui die se-  
 ptima Aprilis mundo valedixit, post-  
 quam introductionem in Auctores claf-  
 ficos & Authores Sacros defensos at-  
 que illustratos ediderat. VII. Geor-  
 gius Kriegk, qui secunda Augusti die  
 vivis ereptus elucubrabat disputationem  
 de veterum velamine ad illostrand.  
 I. Cor. XI. v. 10. tractatum de tunica  
 molesta Christianorum, de Sophistarum  
 eloquentia, dissertationem de Patribus  
 Platonizantibus præter alia nonnulla.  
 VIII. Joannes Henrichus Krauschner,  
 qui scripsit disputationes de origine idea-  
 rum in mente humana, de rixis cauf-  
 sarum inter eruditos præter quosdam  
 sermones. Obiit die quinta Januarii.

§. XCII.

## §. XCII.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1730.*Quorumdam Prædicantium fanatismus in Silesia repressus.*

**S**icut duobus retro sæculis famosi se-  
tarum Protoparentes Christi Ec-  
clesiam sub falso purioris Evangelii &  
doctrinæ prætextu debellarunt, ita &  
nostro ævo inter Catholicos Jansenistæ,  
& inter ipsos Protestantes Pietistæ om-  
nia susdeque vertere conati sunt, ambo  
sub specie sanctioris vitæ puriorisque  
doctrinæ venenum suum inaurato po-  
culo propinantes. Quo autem pericu-  
losiores erant lupi sub ovina pelle  
grassantes, eo vigilantiores erant illi,  
quorum cura erat, ut ni suorum intel-  
lectum ab errore rationibus, saltem  
voluntatem a turbis & seditione pœnis  
cohiberent. Eo collimabant iterata,  
eaque severissima edicta, quibus An-  
gliæ, Daniæ & Porosse Reges, alii-  
que Principes Acatholici ad Prædicant-  
ium querelas clandestina Pietistarum  
conventicula interdixere: Non deerant  
tamen ex ipsis Prædicantibus, qui ho-  
rum sectam nonnisi phantasma, &  
fabulam ab æmulis suis in veræ pietatis  
odium temere excogitatam esse, procla-  
marent, ipsosque novos hosce Secta-  
rios ore & calamo strenue defenderent,  
qui-

Sæc. XVIII. quinimo non pauci illos ceu genuinos  
A.C. 1730. Dei Filios deprædicabant, nilque ma-  
 gis iniquum esse ajebant, nisi quod  
 veræ pietatis **Sectatores** tanta legum  
 severitate vexarentur: Id vero in his  
 omnino mirum erat, quod iidemmet,  
 qui singulare pietatis studium plenis  
 buccis crepabant, contra omnes pietas-  
 tis Regulas Adversarios suos ceu *Lu-*  
*theranos Papas, hæreticæ pravitatis In-*  
*quisitores, hæreticos, infideles &c.* tra-  
 duxerint, contempserint, atque acer-  
 bisimis, & a Christiana mansuetudine  
 tantopere alienis convitiis & probris  
 fæde laceſſiverint. Hæc ipsa vero mu-  
 tua partium criminatio Acatholicis po-  
 tissimum Principibus novum majoris  
 periculi metum injiciebat: unde de  
 opportunis hoc venenum detegendi,  
 remediumque malo opponendi mediis  
 serio cogitare cœperunt, ac præprimis  
 præcepere, ut in illorum, qui *Pietistæ*  
 vocabantur, mores, & doctrinas se-  
 dulo inquireretur; dein jusserunt, ut  
 exacte coram Magistratu indicaretur,  
 in quibus articulis Pietismus a pura  
 Confessione Augustana, vel aliis Reli-  
 gionibus in Imperio toleratis recedat.  
 Confecto hoc examine deprehensum  
 est, quosdam huic sectæ addictos Præ-  
 dicantes docere, se ab ipsomet Deo esse  
 unctos, ac propterea ad Evangelii  
 mini-

ministerium non alia indigere vocatio-  
ne: quemlibet Christianum, cum Re-  
gale fæcerdotium habeat, a Deo illu-  
stratum & in Dei Verbo exercitatum  
sine singulari vocatione posse populis  
annuntiare Dei Verbum, dummodo  
internam vocationem habeat, cuilibet  
datam esse potestatem dimitendi pec-  
cata, nec ad id institutum esse speciale  
ministerium, proin Pastorum Consisto-  
ria per summum nefas ejusmodi jus  
sibi solis vendicare: Insuper præcipue  
in Hasso - Castensi ditione explora-  
tum habebatur, quosdam palam tra-  
didiſſe, peccatores non justificari per  
fidem in Christum, suæ ſectæ affeclas  
ad illum perfectionis statum pervenire  
posse, ut nequidem amplius peccare  
valerent, in his reperiri internam vo-  
cem, accæleſte vivi Verbi testimonium,  
proin necessarium non esse externum  
Dei cultum, publicas Concio[n]es &  
Sacramentorum uſum, vel communem  
Ecclesiarum frequentationem, ac de-  
mum Lutheranos Prædicantes nil aliud  
esse, quam literas mortuas ac occidentis  
declamatores, cæcos Duces, & fe-  
ductores.

Præterea in Electorali Hannove-  
rano edicto sexdecim certa, ex quibus  
Pietistæ dignoscerentur, indicia pro-  
ponebantur, scilicet I. quod Ecclesia-  
*Hist. Eccles. Tom. LXXIII. Cc* ſtica

Sæc. XVIII.  
A.C. 1730.

Sæc. XVIII. stica Principum, & Pastorum statuta  
A. C. 1730. contemnunt, II. Ministerium convitiis  
laceſſant & calumnientur. III. Publi-  
 cum Dei cultum ceu inutilem vilipen-  
 dant. IV. Sese ſacræ Synaxi subdu-  
 cant, V. Baptismum fere pro nihilo  
 habeant. VI. Sese tanquam perfectos  
 jactitent. VII. Internas revelationes  
 crepent. VIII. Confessionem & abſo-  
 lutionem exſibilent IX. Cunctos ſibi  
 adverſantes pro infidelibus, & non re-  
 natis habeant. X. Privata conven-  
 ticula instituant, & ſæminas ſeducant.  
 XI. Regnum millenarium propugnant.  
 XII. Risum & choreas pro peccatis  
 venditent. XIII. Exclusa fide ſolis  
 bonis operibus innitantur. XIV. Di-  
 vini Verbi & Sacramentorum effica-  
 ciam a Ministris Sanctitate derivent &  
 XV. denique æternam poenam dam-  
 natorum negent.

Nec minus in excogitandis errori-  
 bus fæcundi, & in defendendis perti-  
 naces erant quidam Tubingenses Theo-  
 logi, a quibus Rolenbachius, Schmol-  
 lerus, Hadingerus aliique docuerunt,  
 neminem ad certum Ecclesiæ ritum  
 adstringi, caput ad nomen Iesu dete-  
 gere, eſſe ſuperstitioſum, in Ecclesia  
 Lutherana ingentem reformationem  
 etiam in doctrina deſiderari, inter fir-  
 ma veræ Ecclesiæ signa nullatenus eſſe  
 repo

reponendam Divini Verbi puritatem,  
 & legitimam Sacramentorum administrationem, neminem ad publicum Dei  
 cultum teneri, Lutheranæ Ecclesiæ  
 Prædicantes nec Divinam vocationem,  
 nec Spirituale ministerium habere,  
 infantes Baptizatos rursus esse tingendos,  
 Deum instituisse alium Baptismum,  
 cænam Lutherorum non esse  
 Domini Dei Cænam, proin usitatam  
 in Ecclesia Lutherana Cænam esse  
 rejiciendam, nefas esse Symbolicis li-  
 bris subscribere, pium cum impi non  
 posse cænam Eucharisticam sumere &c.

Sæc. XVIII.  
 A.C. 1730.

His erroribus Hellmundus Wezla-  
 riensis Pastor adhuc sequentes addidit.  
 I. Christus est Verbum internum con-  
 trapositum Verbo scripto. II. Nullus,  
 qui non est conversus, potest efficaciter  
 Dei Verbum prædicare. III. Inter  
 Christum Historicum seu externum,  
 & inter Mysticum seu internum sta-  
 tuendum est discrimen. IV. Veræ  
 poenitentiae præcipuum est amor  
 Jesu Christi. V. Ecclesia Luthera-  
 na nil nisi secta est, in qua plures  
 adhuc dantur errores, quam in Ca-  
 tholica. Fœdiora adhuc erant deliria  
 Georgii Christophori Brendeli Pastoris  
 Thürnaviensis, qui docere præsumpsit,  
 veram Religionem inveniri in omnibus  
 sectis etiam inter Turcas, & infideles.

**Sæc. XVIII** Spiritum sanctum naturaliter esse in C. C. 1730. omnibus hominibus, esseque proprium Spiritum hominum, conscientiam esse partem Divini halitus, qui a Patre Filioque procedit, ac propterea hominem ex tribus essentialibus constare partibus, earumque secundam esse conscientiam &c. Ita nempe hi Sectarii sub specie pietatis sibi aliisque illudebant, cumque juxta Spiritum suum privatum Scripturas interpretarentur, in turpisimos hosce errores deflexere.

Notum igitur comprobatumque erat, Pietismum non esse meram fabulam, sed feracissimam plurimorum errorum Matrem; cum vero exinde manifestum schisma in Ecclesia Lutherana enatum esset, & propudiofa non minus quam acerba inter Saxonicos, Anglos, Danos, Suecos, Borussos, aliosque Praecones jurgia orirentur, timendumque esset, ne etiam publica ac politica Regnorum tranquillitas sensim evertetur, hinc præcipui, magisque obstinati hujus sectæ fautores partim a suis Officiis amoti, partim in exilium per Principum edicta fuere demandati, utque latius grassanti huic pestilentiae obviam iretur, non modo privata ubique conventicula fuere inhibita, eaque in suis ædibus fieri indulgentes severissimis poenis mulctati & sectariorum scri-

scripta, ac famosi libelli suppressi, sed etiam statutum, ut & illis, qui aliquamdiu publico Dei cultu & sacra Synaxi abstinuisse deprehensi fuerint, tanquam Religionis contemptores ab omni munere honorifico excludantur, ad Patrinorum officium imo & ad in-eundum matrimonium inhabiles declarentur, siue pertinaciter suis erroribus inhæserint, e patria expellantur, & suæ festæ immortui sine Christiano ritu sepeliantur.

Cum autem ipsa poenarum severitas hosce fanaticos in Silesia a suis erroribus adeo non abduceret, ut etiam Cæsar's edicta Annis 1712. & 1723. emanata vilipenderent, hinc Imperator hoc anno die 21. Januarii Viennæ adversus hosce Sectarios severissimum promulgari jussit edictum, vi cuius præceptum. I. Ut Dürschoensis Præco Joannes Sommer ex omnibus Austriae Domus Provinciis tanquam tranquillitatis publicæ perturbator exulet, ejusque scripta & libri omnino supprimantur, eoquod Pietismo addictissimus cum hujus sectæ hominibus arctam amicitiam, commercium, & nocturna conventicula habuisset, scandalosos libros & præcipue Zinzendorffiana Biblia in patriam invexisset, iisque pa-sim distributis Pietisini propagandi

Sæc. XVIII. studio Orphanotrophium erigere, totis-  
A. C. 1730. que viribus fanaticos errores jamjam  
 plus nimio in his terris invalescentes  
 promovere ac disseminare molitus  
 fuisset. II. Joannes Steinmez, Mut-  
 man & Samuel Saffad Teschenensis Sub-  
 urbii Præcones unacum Rectori Jeri-  
 chovio & Cantore Sarganeckio a suis  
 officiis amoveantur, eoquod sine Prin-  
 cipis consensu Scholam aperire, spre-  
 to Principis sui interdicto, & pecuniaria  
 multa centum aureorum insuperhabita,  
 clandestina conventicula celebrare, no-  
 vamque sectam ab ipsamet Universitate  
 Wittembergensi damnatam disseminare  
 atque ex alieno territorio Sectarios Pie-  
 tisticos ad Scholarum officia advocare  
 præsumpsissent. Eodem edicto statu-  
 tum, ut Judicium, quod de his tribus  
 Prædicantibus, eorumque Orthodoxia  
 Dreßdense & Jenense Synedrion tulis-  
 set, ad Cæsaream Curiam a sex Ecclesiæ  
 Senioribus transmittatur ac demum  
 Orphanotrophij unacum nonaginta  
 illis Convictoribus ibidem receptis  
 aboleatur, atque in alias usus conver-  
 tatur. Inquiratur, qua auctoritate Lig-  
 nenses, Brigani, Wohlavienses Præ-  
 dicantes Studiofis Lutheranis falsa do-  
 trina imbutis docendi facultatem dede-  
 rint, quot numero, & quo loco hi  
 studiosi versentur, prescribitur. Qua-  
 tuor

tuor illi cives, qui ut fidei doctrinam Sæc. XVIII.  
 Augustanæ Confessioni consonam re- A. C. 1730.  
 jicient, a quodam potenti Magnate  
 se persuasos fuisse asserebant, patria ex-  
 torres expellantur, prius tamen illum,  
 qui hæc persualisset, indicent & Præ-  
 dicantes Pietismum eradicandi media  
 proponant. Cum autem compertum  
 esset, quod multi adoiscentes Silesitæ  
 in exteris Universitatibus studiis va-  
 cent, & inde reversi dogmata suspecta,  
 & ipsi etiam Confessioni Augustanæ  
 contraria hauriant, in patriam inve-  
 hant, & dein suis Auditoribus instil-  
 lent, imo etiam illa, dum pro obti-  
 nendis beneficiis sese examini subji-  
 ciant, occultent, ut primum postea  
 illa evomant, hinc præfata tria Synedria  
 Cæsareo regimini proponere jubentur,  
 quibus mediis ejusmodi mala præverti  
 possint. Eodem anno Sueciæ Rex  
 Mense Martio scandalofas alterca-  
 nes, quæ inter Grypswaldenses Præ-  
 dicantes circa Pietismum ortæ sunt,  
 extincturus edicto prohibuit, ne quis-  
 quam loquendi aut scribendi modos  
 Pietistis usitatos adhibeat, sed dun-  
 taxat terminis sacræ Scripturæ & Lu-  
 theranæ doctrinæ consonis utatur,  
 nullus quoque, nisi ad docendum sit  
 rite vocatus, sese Theologicis contro-  
 versiis immisceat, vel alios in hæresis

Sæc. XVIII. suspicionem trahat, si vero de ea quem-  
A. C. 1730. piam suspectum sciatur, clam & frater-  
ne illum admoneat, si vero is non resi-  
puerit, desuper Superintendentem cer-  
tiorum reddat &c. Ejusmodi tamen  
edicta nimis erant infirma, ut venena-  
tam herbam, ne succresceret, præpe-  
dire potuissent; ipsa enim radix & fo-  
lium, cui implantata erat, infectum  
fuit, quo circa ex Pietistis nonnulli ipsum  
Lutherum suæ sectæ authorem depræ-  
dicabant, alii eundem Protoparentem  
suum incusabant, quod hic quidem  
ab initio Apostolicum fervorem jacta-  
rit, postea vero non nisi furioso naturæ  
suæ impetu adactus, calamum arri-  
puerit, humana commenta immiscue-  
rit, & Spenero Pietistarum Principi  
facem prætulerit, ipsum vero Spenerus  
fidelissime secutus fuerit &c.

Haud magis profuit Bipontinus Dux  
suo edicto, quod hoc anno publice in  
omnibus Ecclesiis prælegi, & Antoniu-  
mum Pfafman Prædicantem suo mu-  
nere exutum exulare ideo jussit, eo-  
quod rixas & jurgia cum P. Georgio  
Bastumeno Ord. S. Francisci Ducis Con-  
fessario & cum Inspectore Richtero  
continuo habuisset, ac palam docuisset,  
nullum Concionatorem, nisi pietismo  
addictus esset, posse juxta S. Scripturæ  
doctrinam fideliter prædicare, cum ta-  
lis

lis non sit illuminatus, immo nequidem proprio ad Concionatoris officium sit vocatus. Insuper hic fanaticus, postquam exilii sententiam percepérat, in graves indignasque querelas prorupit, eo quod non auditus, nec desensus patria excedere jussus esset. Verum nec hujus Prædicantis supplicio ceteri sapiebant, nec sua conventicula intermittebant, insuperhabito novo edito, quod a Christiano III. Bipontino Duce Anno 1734. editum fanaticorum pertinacia ac perversitas nequiter elusit.

### §. XCIII.

#### *Liber quidam a S Congregatione proscriptus.*

Jam a longo tempore parvæ, ut se vant, Ecclesiæ Theologi seu Jansenistæ Ultrajectini desperatae suæ caußæ patrocinium opemque quærebant in dolis atque imposturis: Toti in eo erant, ut factionem suam non modo Sectariorum numero, sed & Virorum illustrium auctoritate famosiorem redde-rent; eo fine in censum suum revocabant Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos, ac maximi nominis Principes, quos sibi, suisque commentis favisse singunt, in vulgus spargunt, atque e-mentito eorum nomine libros, quos

Sæc.XVIII.  
A.C. 1730.

Sæc. XVIII. tamen ipsi in Hollandica sua fabrica  
 A. C. 1730. procuderunt, proterve eis adscribunt.  
 Hujus fraudis specimen est liber *contra Regalia Apostolicæ Sedis Hollandiæ* impressus, quem sub nomine Guilielmi Cardinalis du Bois Cameracentis Archiepiscopi post ejus obitum typis edidere, illumque, dum adhuc viveret, Jansenistis atque appellantibus strenue patrocinatum fuisse, falso jactarunt. Detecta autem hac fraude, & ipsius libri perversitate, Clemens XII. Papa septem Cardinalium Congregationem, cui Landfredum a secretis esse voluit, erexit, ac communi horum suffragio hunc librum die vigesima tertia Decembris atro stigmate notavit, dato Ereditis negotio, ut infausti hujus partus errores solidis rationibus vindicarent.

### §. XCIV.

#### *Quorundam Prædicantium intemperantia.*

Hoc item anno Lutherani secundum annum sæcularem Confessionis suæ Augustanæ in Imperio toleratæ solemní ubique pompa celebrabant, eorum Præconibus sermones, Programmata, Carmina, & Catechismos Historicos in vulgus spargentibus. In his nil frequentius legebatur, quam Ecclesiam Catho-

Catholicam esse confusionem Babilo-  
nicam, abominationem Anti - Christia-  
nam, Pontificem esse Anti - Christum,  
Catholicos esse Papistas, ad quorum  
Ecclesiam, si quis a Lutherana sece-  
deret, *eum salvum fieri, impossibile foret* (\*)  
eorum doctrinam esse *errores Papisticos*  
&c. His aliisque sexcentis convitiis,  
dicteriis ac calumniis contra legem  
Charitatis, & Christianæ tolerantiae  
Regulas in Catholicos largiter effunde-  
bant, suamque festivitatem pudenda  
dicacitate dehonestarunt. Ex his duo,  
nimurum Schmizius & Bonnestattus  
effræni rabie in Catholicam Religionem  
Effendiæ debachati fuerant, ipsamque  
Beatissimam Virginem Dei Matrem  
horrendis blasphemii & execranda  
scurrilitate impetebant. Tantam ho-  
rum impudentiam Catholici, ac præ-  
fertim Effendiæ Parthenonis Abba-  
tissa tolerando impar, de vindicanda  
inuria apud Carolum VI. Imperatorem  
egit, cuius jussu Imperii Quæstor apud  
Cæsareo - Aulicum Consilium contra  
hosce calumniatores querelam movit,  
atque in reos inquiri, illosque prævia  
suspensione ab officio usque ad pœnæ  
determinationem custodiæ dari petiit.  
Æquissimæ ejus petitioni mox delatum,

ac

(\*) Vid. Joan. Georg. Walchs serm. Ju-  
nil. I. in Col. II. 6. 7. 8. p. 40.

Sæc.XVIII.  
A.C. 1730.

Sæc. XVII. ac die decima quinta Septembris Ver.  
A. C. 1730. densis Monasterii Abbatii, necnon Dort.  
 mundanæ Urbi hujus caussæ inquisi.  
 tio demandata, missis ad eos hisce  
 literis.

Sacra Cæsarea Majestas Imperialis  
 „sui Officii debito compellitur, ut ad  
 „Cæsareo- Aulici Quæstoris querelas  
 „in probrosum, inexcusabile, scandi-  
 „losum, ac in Religiosa pace, Imperii  
 „recessibus ac Constitutionibus, seve-  
 „rissimis quoque Edictis Cæsareis tan-  
 „topere prohibitum facinus exactissime  
 „inquiri jubeat. Eo fine Imperator  
 „Abbatem Verdensem, & Imperialem  
 „Urbem Dortmundam utpote proxi-  
 „miores Imperii Status de eorum in-  
 „tegritate confisus auctoritate Cæsarea  
 „nominat, designat, & mandat, ut  
 „quamprimum suos Sub - Delegatos  
 „Essendiam mittant, ambos Concio-  
 „natores Schmizium & Bonnestättum  
 „accusatos citent, & coram se com-  
 „parere jubeant, illosque de propu-  
 „dioso hoc factio, sicut & de cunctis  
 „particularibus circumstantiis exakte  
 „audiant, eorum responsa ad acta re-  
 „ferant, & si factum negare præsum-  
 „pserint, testes a partium studio alie-  
 „nos, qui eorum Concionibus inter-  
 „fuere, imposito juramento & servato  
 „juris ordine excipient, atque ab eis  
 „ex-

„exposita fideliter conscribant, ac de- Sæc. XVIII.  
 „mum acta unacum clausa testium ro- A. C. 1730.  
 „tula, aliisque documentis, & Depu- ~~—~~  
 „tatorum sententia ad Cæsarem Vien-  
 „nam transmittant, ut ipse desuper  
 „decernere valeat &c. Porro re ma-  
 ture discussa ambo Prædicantes de-  
 bitas suæ petulantiae poenas dedere.

Nec ipsis etiam Calvinistis eo tem-  
 pore pepercerat Laurentius Ezdorf-  
 ius Ormanstadiensis Ecclesiæ Luthe-  
 ranæ Præco Vinariensi Duci subjectus.  
 Hic occasione sui Jubilæi Jenæ scriptum  
 ediderat, cui titulus: *Festiva præpara-  
 tio Evangelico - Lutheranæ Zions ad se-  
 cundum Confessionis Augustianæ annum &c.  
 cum approbatione Vinariensis Consistorii.*  
 In hoc scripto Præco liberalius, quam  
 decuerat, in Calvinistas tumultuaba-  
 tur, atque inter alia ajebat: „Dari  
 „quosdam, qui a Calvino Patriarcha  
 „suo se *Calvinistas* dicerent, eosque  
 „esse duntaxat ex Noverca Fratres, ac  
 „sine rubore gloriari, quod ipsi æque  
 „ac Lutherani, imo etiam fidelius  
 „ipsis Augustianæ Confessioni addicti  
 „essent, proin eos aut labilis esse me-  
 „moriæ, aut rerum Augustianæ gestarum  
 „ignaros, aut tam protervos, ut ma-  
 „nifestis, totique orbi notissimis actis  
 „& veritatibus contradicere non eru-  
 „bescerent: eos quoque cum Zwing-  
 „lia-

Sæc. XVIII., lianis, Calvinus, Beza, Martyre, Bo-  
A.C. 1730., quino, Remechero aliisque innume-  
,, ris Calvinistis palam & sine omni ve-  
,, recundia docere ac propugnare, quod  
,, ipsemet Deus sit prima & potissima  
,, **causa** peccati, quod ipsus illud velit,  
,, decernat, ad illud impellat, imo &  
,, creet ac operetur &c. His addebat,  
,, ridiculum esse, quod non modo Cal-  
,, vinistæ, sed etiam ex Lutheranis non  
,, pauci, imprudenter licet, jactitent,  
,, Lutheranos a Calvinistis duntaxat  
,, in paucis, & mere accidentalibus dif-  
,, ferre, hocque discriminem ex verbis  
,, male intellectis provenire, eos au-  
,, tem, qui ita loquerentur, ac senti-  
,, rent, idiotas & stollones esse, eoquod  
,, nos in fidei articulis, & quidem fun-  
,, damentalibus ab eis discrepemus:  
,, denique fidelis Ministri esse, ut non  
,, tantum doceat, & foret, sed ut etiam  
,, potens sit eos, qui contradicunt, red-  
,, arguere, uti fecit D. Paulus, & Chry-  
,, sostomus, qui ait: *Dissidia cum hæreticis  
habere, non contentionis sed pietatis est,*  
*cedendo nunquam mitescit, sed potius fer-  
cescit Sathanas.*

Hujus Prædicantis scripto tanto-  
pere irritabantur Calvinistæ, ut Fride-  
ricus Guilielmus Borussiæ Rex ad eo-  
rum preces die decima quinta Aprilis  
datis Berolino literis apud Vinariensem

Ducem

Ducem vehementer vel ideo quereretur, quod hic Præco Calvinistas a communione Augustanæ Confessionis exclusisset, atque eos impietissimum dissimulationibus & convitiis, quæ sicut omnibus Christianæ doctrinæ Regulis aduersarentur, ac Imperii Constitutionibus, Cæsareis edictis & Imperii recessibus sub gravissimis poenis prohiberentur, ita vel maxime ab Evangelicorum ore & auribus aliena esse deberent. His addidit Rex, se minime dubitare, hoc scriptum tot dictariis ac convitiis scatens, ipsi Duci summopere displicuisse, proin confidere te, non modo ipsius Consistorium ob concessam approbationem, sed ipsos etiam scripti Auctores severe admodum castigatum iri, ne unitas & concordia inter utramque partem Augustanæ Confessioni addictam iniquo hoc tempore adeo necessaria dissolveretur.

### §. XCV.

*Fæderati Belgii edictum contra Sacerdotes Catholicos & Sacram Sedem.*

Iterata clades, qua Quesnelli Sectatores tam Romæ, quam in Galliis atque in omnibus ferme Orbis Catholicis Provinciis affecti fuerant, Ultrajecti-

Sæc. XVIII.  
A. C. 1730.

Sæc. XVIII. jeftinos Jansenistas ad tantam concita-  
A. C. 1730. vit rabiem, ut Romanæ Sedi, & Ca-  
tholicis faltem per latus lethale vulnus  
infligere molirentur: Per opportunam  
ad hoc occasionem nafti erant ex ipsis  
turbis, quas nonnulli Præfules, Pa-  
rochi, atque Advocati in Francia ad-  
versus Gregorii VII. Officium & Bene-  
dicti XIII. Constitutionem excitaverant.  
Ab his ergo arma mutuantes Eccle-  
siam Catholicam, ac supremum ejus  
Caput, omnesque, qui eidem adhæ-  
sere, & sibi adversantes noverant, de-  
bellare constituunt: Præprimis ergo  
Calvinianos fœderati Belgii Status suis  
studiis addicere nituntur, utque in eo-  
rum animos fraudulentius blandiusque  
illaberentur, primo sincerum pro pa-  
tria Zelum, ingensque conservandæ  
quietis studium jaſtitant, dein gra-  
vibus verbis exponunt, novissime a  
Romanis Pontificibus per Sacerdotes  
eiusmodi doctrinas innovari, quibus  
invalescentibus absdubio Reipublicæ  
salus, populique tranquillitas pericli-  
taretur: Horum querelas benignis au-  
ribus excepere Calviniani Belgii Pri-  
mores, moxque die vigesima prima  
Septembris Hagæ Comitum sequens  
Catholicæ Religioni non minus inju-  
riosum, quam noxiū promulgarunt  
edictum.

Cupi-

„ Cupimus equidem imo & ad- Sæc. XVIII.  
 „ stringimur, ut ea omnia adhibeamus A.C. 1730.  
 „ media, quæ congrua, & usitato no-  
 „ stro regendi modo consona sunt, &  
 „ quæ juxta nostram indulgentiam, quam  
 „ in rebus ad Religionem spectantibus  
 „ non modo erga fideles nostros subdi-  
 „ tos, sed & illos, qui ad meridianam  
 „ reformationis lucem adhucdum *in den-*  
 „ *sis errorum tenebris, atque in Papatus*  
 „ *superstitionibus hærent, nobis necessaria*  
 „ *videntur ad hoc, ut præcaveamus,*  
 „ ne periculose doctrinæ de absoluta  
 „ Pontificis potestate non modo in res  
 „ fidei, sed & in politicum Regimen  
 „ invehantur, cum notum sit, quod  
 „ Romanæ Sedis sautore & Protecto-  
 „ res nostris Romano - Catholicis sub-  
 „ ditis noxia ejusmodi dogmata instil-  
 „ lare adlaborent. Recens vero, quæ  
 „ de temeritate eorum, qui in Urbibus  
 „ & præcipue in pagis nostra edicta de-  
 „ super sæpius promulgata nequiter  
 „ contempserent, graves ad nos querelæ  
 „ fuere delatæ, quibus excitati neces-  
 „ sarium fore censuimus, ut hisce ma-  
 „ lis præsenti edicto obviemus, seve-  
 „ riori adhuc poena, si opus fuerit,  
 „ animadversuri in eos, qui forte per-  
 „ niciosis ejusmodi doctrinis deinceps  
 „ pertinacius inhærere præsumperint,  
 „ Statuimus igitur I. Ut nullus Romano-  
*Hist. Eccles. Tom. LXXIII.* Dd Ca.

Sæc. XVIII. „ Catholicus Sacerdos suo officio fun-  
A. C. 1730. „ gatur, aut quodcumque Ordinis sui  
„ munus alicubi exerceat, nisi prius ad  
„ hoc scripto tenus concessæ facultatis  
„ literas obtinuerit, quas hi Sacerdotes  
„ in Urbibus a Præfecto, ruri vero a  
„ Prætore Urbano recepturi sint, serva-  
„ tis iis, quæ in proximo Articulo III.  
„ præscribuntur..”

II. „ Excludantur omnes exteri Sa-  
„ cerdotes, & Monachi præcipue Je-  
„ suitæ, sive sint Professi sive Novitii,  
„ qua in re obseruentur edicta Anno  
„ 1702. die 17. Aug. & 1709. die 26.  
„ Aprilis & Anno 1720. die 25. Maij  
„ edita..”

III. „ Sacerdotes, priusquam fa-  
„ cultatis literas impetrent, in præci-  
„ puis Urbibus habitantes, fide Sacer-  
„ dotali coram Prætore declarare &  
„ proprio chirographo in speciali libro  
„ attestari teneantur, se sincere dete-  
„ stari opinionem de Pontificis aut cu-  
„ juscunque alterius Personæ Ecclesia-  
„ sticæ potestate subditos sub hæresis  
„ aut alterius caussæ prætextu a fideli-  
„ tatis, & obedientiæ Superioribus de-  
„ bitæ juramento solvendi, simulque  
„ etiam se non modo non asserturos,  
„ quod excommunicato aut Acatholico  
„ fides & obedientia præstanda non sit,  
„ sed insuper contrarium propugnaturos,  
„ cun-

„cunctisque sibi subjectis idem inculca- Sæc. XVIII.  
 „turos, hortaturosque tam verbis quam A.C. 1730.  
 „exemplis, ut foederatis Ordinibus ut-  
 „pote legitimis suis Principibus sub-  
 „jecti ac obedientes sint, & tranquille  
 „ac quiete vivant, deinceps nunquam  
 „ausuri, aut opere vel consilio, directe  
 „aut indirecte, vel quocunque modo  
 „hujus Provinciæ incolas inducere,  
 „ut vel oboiam, vel aliud æquivalens  
 „cuidam Monasterio, Seminario, Col-  
 „legio, Ecclesiæ, aut alteri cuius-  
 „cunque nominis Catholicæ communi-  
 „nitati extra ditionem existenti legent,  
 „promittant, vel donent, ac deni-  
 „que, ut a Papa vel alio quocunque ab  
 „hoc juramento, & attestatione vel in  
 „genere vel in specie vel in parti-  
 „culari absolvantur, aut dispensentur,  
 „nec petituros, nec oblatam dispensatio-  
 „nem acceptaturos.„

IV. „Omnès Sacerdotes, qui in  
 „aliis urbibus vel ruri agunt, obtentas  
 „concessionis literas infra mensem a  
 „die, qua eas obtinuerunt, Pro-  
 „vinciæ Commissariis exhibere te-  
 „neantur, ac coram iisdem decla-  
 „rationem in priori articulo præ-  
 „scriptam faciant, ipsæ demum con-  
 „cessionis literæ pro nullis habeantur,  
 „nisi in illis scriptum factæ declara-  
 „tionis testimonium reperiatur.„

Sæc. XVIII. V. „Si qui vero Sacerdotes non ob-  
 A.C. 1730. „tentis concessionis literis, nec facta  
 „, hac declaratione in Ecclesiis, ædibus,  
 „, aut in aliis locis Ordinis sui actum  
 „, exercere præsumperint, prima vice  
 „, quingentos florenos, secunda vice to-  
 „, tidem solvant, & unius anni carcere  
 „, plectantur..”

VI. „Hi autem Sacerdotes, qui  
 „, jam actu sua munia obeunt, intra  
 „, Mensem scriptam hanc declarationem  
 „, facere, eique subscribere teneantur,  
 „, & si id præstare renuerint, patria ex-  
 „, torres fiant..”

VII. „Præfata multa pecuniaria  
 „, æquis partibus in denuntiantem (sup-  
 „, presso ejus nomine) & in Prætores  
 „, urbium vel pagorum distribuatur:  
 „, supremus vero Hollandiæ Procurator  
 „, hanc multam a reis exigat, & ex  
 „, utriusque Provinciæ Commissariis se-  
 „, dulo inquirat, utrum aliqui trans-  
 „, gressores reperiantur.

VIII. Senatus Deputati, & Urbium  
 „, Præfecti omnium, quibus ejusmodi  
 „, literæ fuerunt concessæ, indicem ha-  
 „, beant, quem supremo Procuratori,  
 „, quoties petierit, exhibeant..”

IX. „Si qui in nostris terris Ro-  
 „, mano - Catholici Sacerdotes Bullas,  
 „, Brevia, Decreta, mandata, aut a-  
 „, lias quascunque ordinationes, que  
 „, Ec-

„ Ecclesiasticas res vel Personas con- Sæc. XVIII.  
 „ cernunt, directe aut indirecte Roma A.C. 1730.  
 „ vel Colonia a Nuntio, vel Bruxellis  
 „ ab Internuntio vel aliorum & a qua-  
 „ cunque Persona Ecclesiastica recepe-  
 „ rint, quibus Sacerdotes vel alii Ec-  
 „ clesiastici citantur, avocantur, trans-  
 „ mittuntur, aut a suis officiis suspen-  
 „ duntur, illas nemini communicent,  
 „ nec illis morem gerant, nisi quatuor  
 „ decim evolutis diebus a die, quo il-  
 „ larum Protographum Senatus Com-  
 „ missariis & Urbium Præfectis exhi-  
 „ buerint: si igitur intra hos dies hæc  
 „ mandata, decreta &c. annullare jussi  
 „ non fuerint, tunc illorum transum-  
 „ ptum Prætoribus confignare tenean-  
 „ tur, & tunc primum illis morem ge-  
 „ rant secus facientibus infligatur poena  
 „ mille florenorum, & reservata poena  
 „ arbitraria juxta edictum Anno 1702.  
 „ die 17. Aug. emanatum.„

X. „ Præter numerum fixum nulla  
 „ Papistica Ecclesia erigatur, nec nova  
 „ ut vocant, statio, nec major nume-  
 „ rus Ecclesiasticorum in qualibet Sta-  
 „ tione inducatur, nec ulla Ecclesia in-  
 „ sciis aut invitis Prætoribus & Com-  
 „ missariis amplietur vel renovetur, nec  
 „ id concedatur, nisi per Prætores Cal-  
 „ vinianos constiterit, illa loca, in qui-  
 „ bus Romano - Catholici conveniunt,

Sæc. XVIII. „ extrinsecus Ecclesiæ, aut publici ædi-  
A. C. 1730. „ ficii formam non repræsentare, nec  
„ ad publicam plateam pretendere. „

XI. „ Prætores & Præfecti in id  
„ incumbant, ut peregrinationes, alia-  
„ que publica & *superstitiosa* Romano-  
„ Catholicorum exercitia etiam adhi-  
„ bita vi impedian, atque in eos, qui  
„ vel facto, vel contumelioso verbo aut  
„ minis restiterint, tanquam publicæ  
„ pacis perturbatores animadvertant. „

XII. „ Si vero ex ejusmodi vio-  
„ lenta oppositione Justitiæ Administris  
„ vel aliis aliquod damnum vel corpo-  
„ rale vel temporale vel injuria infera-  
„ tur, incolæ illius loci, ubi hæc re-  
„ sistentia fuit facta, damnum resar-  
„ cire teneantur. „

XIII. „ Tandem omnes Prætores,  
„ Scribæ & Tabularii, qui Religione  
„ Catholicæ in Curiis sunt, a suis Offi-  
„ ciis juxta decreta Anno 1654. die  
„ 29. Jul. & 1727. die 11. Octobr. a-  
„ moveantur. „ Egregium plane Cal-  
„ vinisticæ tolerantiæ paradigma. Vah !  
„ si quis Princeps Catholicus in unicum  
„ Præconem & Calvinistam sibi sub-  
„ jectum tam propudiosum, ac Religiōni  
„ tam injurium promulgasset edictum,  
„ quantos, quæso, clamores, querelas,  
„ & tumultus in omnibus Imperii Cu-  
„ riis, & Principum aulis excitassent

Pro-

Protestantes? Conferat demum, Be- Sæc. XVIII.  
 nevolus Lector hoc ipsum edictum A.C. 1730.  
 cum Archiepiscopi Salisburgensis de- 

---

 creto, quod die 31. Octobr. Anno 1713.  
 contra subditos suos, qui se exterius  
 adhuc Catholicos profitebantur, pro-  
 mulgavit: facta autem hac collatione  
 pro sua æquitate judicet, an si Ca-  
 tholici in Belgio tum agentes vel ju-  
 stam in easdem petulantias, uti hi ru-  
 stici contra Archiepiscopum, contra  
 fœderatos Ordines erumpendi caussam  
 habuissent, aut si re ipsa erupissent,  
 an digni fuissent, ut eos eorumque  
 seditiosos motus Corpus v.g. Catholi-  
 corum Ratisbonæ vel alii Principes  
 Catholicæ potenti suo patrocinio contra  
 legitimum suum Principem  
 foverent?



Sæc. XVIII.  
A. C. 1731.

---

# HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ CONTINUATÆ.

## LIBER CCXXVI.

---

CLEMENS XII. PONTIF. MAXIM.  
CAROLUS VI. ROM. IMP.

---

### §. I.

*Controversia de successione in Par-  
mensem Ducatum.*

**F**luxerat hic Annus saeculi decimi octavi trigesimus primus pacis foedere & belli apparatu, tristibus ac laetis intermixtus. Discordiae pomum erat Parmensis Ducatus, de cuius successione ingens mota erat controversia, quam, quemadmodum orta & continuata fuerit, ab alto repetere, ab instituto nostro haud alienum videtur, praesertim cum in hac lite summi Pontifices potissimas fere partes habuissent. Parma fertilis Regio orientem versus Mutinensi Ducati adjacet, juxta latus occi-

occiduum Mediolanensi. Dividitur in Sæc. XVIII.  
 quatuor partes Parmensem, & Placen- A.C. 1731.  
 tinum Ducatus, Buxetanam regionem,  
 & Vallem de Taro. Parmensem Du-  
 catum ab antiquo rexerat Dux pro-  
 prius, cui Romana Sedes illum ceu  
 Ecclesiæ feudum commisit, ea lege,  
 ut quotannis in supremi Dominii re-  
 cognitionem sedecim aureorum millia  
 summo Pontifici penderet. Variis post-  
 modum belli calamitatibus afflictaba-  
 tur Parma, quam aliquamdiu unacum  
 Placentia Galli tenebant, id ægerrime  
 ferente Leone X. Pontifice Maximo,  
 qui cum Carolo V. Imperatore pro de-  
 fendenda Romanæ Ecclesiæ dignitate,  
 & recuperandis ditionibus per Gallos  
 eruptis mutuam armorum societatem  
 iniit, & utrumque Ducatum Gallis e-  
 ripuit. Hoc Ducatu ex foederè Pon-  
 tifici restituto, Laurentius Medicæus  
 Alexandrum Medicæum Caroli V. Ge-  
 nerum Florentiæ Ducem interemit,  
 ejus Conjux vero Margarita præfati  
 Cæsaris Filia postmodum Octavio Far-  
 nesio, qui Pauli III. Nepos erat, nu-  
 psit, hocque connubio Parmensem &  
 Placentinum Ducatum Domui Farnesiæ  
 intulit. Eo tempore a nemine dispu-  
 tatum, an dominium directum penes  
 Avum Mariti, aut Patrem uxoris esset.  
 Nec tamen diu pacifica hæc possessio

Sæc. XVIII. tenuit; priusquam enim Carolus Imp.  
 A. C. 1730. Bononiam veniret, a tribus Pontificiis  
 Legatis monebatur, ut juraret, se nun-  
 quam Pontificiæ libertati vim illaturum,  
**Cæsar** vero ita provide juravit, ut se  
 de jure suo nihil deceffurum testare-  
 tur, hisque verbis Placentiam & Parmam  
 ceu Mediolanensi imperio antiquitus  
 attributas, & beneficiario nomine Im-  
 peratoribus obnoxias repetere crede-  
 retur. Aucta autem erat æmulaçio  
 alio prorsus infausto casu; cum enim  
**Octavius** Patrem suum, Petrum Aloy-  
 sium Cæsaris jussu fuisse trucidatum  
 suspicaretur, & Placentia sibi a Ferdi-  
 nando Gonzaga Cæfareo Belliduce e-  
 repta necnon Parma obseffa fuisse, novi  
 belli, quod *Parmense* vocant, flammæ  
 exarserunt: **Octavius** enim Henrici II.  
 Galliarum Regis opem imploravit, quam  
 ille continuo addixit, & in Julium III.  
 Papam & Cæfarem arma movit, eo-  
 quod ille Parmam, ceu feudum Ec-  
 clesiæ hic vero tanquam Ducatus  
 Mediolanensis appendicem Octavio eri-  
 pere tentassent. Interea temporis ambo  
 Ducatus varias subiere vicissitudines,  
 quas tamen fusius attingere, Historiæ  
 nostræ brevitas diffuadet.

Denum anno currentis sæculi octavo  
**Carolus VI.** Italiam vetricibus armis  
 ingressus, Franciscum Farnesium Parmæ  
 Ducem

Ducem compulit, ut Ducatum suum <sup>Sæc. XVIII.</sup>  
 velut imperiale feudum agnosceret; <sup>A.C. 1731.</sup>  
 reclamabat vehementer Clemens XI.  
 Pontifex; per conventionem tamen  
 hæc controversia ad juris disquisitio-  
 nem Romam remissa est. Qui Ponti-  
 ficiæ caussæ favebant, antiquissimam  
 allegabant donationem, quietam pos-  
 sessionem, & quidem multo antiquo-  
 rem ab ea, quæ Anno 1545. incepis-  
 set, cum Paulus III. utrumque Duca-  
 tum Petro Aloysio Farnesio in feudum  
 Sedis Apostolicæ contulisset. Adde-  
 bant, id quoque fassum esse ipsum  
 Leopoldum Cæsarem ejusque Consilium  
 Aulicum in literis ad Innocentium XII.  
 datis Anno 1691. die 14. Dec. & 1697.  
 27. Julii.

Contra Cæsarei multorum sæculo-  
 rum possessionem opponebant, demon-  
 strantes, hos Ducatus olim certo jure  
 pertinuisse ad Imperium, nec constare,  
 quod cum consensu totius Imperii fue-  
 rint alienati, aut in Romanam Eccle-  
 siam translati. Tam firma videbantur  
 Cæsaris jura, ut cum circa successio-  
 nem in Ducatum Florentinum & Par-  
 mensem in Cameracensi congressu An-  
 no 1721. quæstio moveretur, non jam  
 actum fuisset, utrum Parmensis Duca-  
 tus Imperii vel Ecclesiæ feudum foret,  
 sed duntaxat Cæsar prætenderet, sibi  
 hos

Sæc. XVIII. hos Ducatus tanquam *feuda Imperii*  
 A. C. 1731. conferendi jus esse, Hispani vero con-  
 tenderent, illos *ceu bona allodialia* Carolo  
 Philippi V. Filio ac Regio Infanti asse-  
 rendos. Quinimo jam anno hujus sæ-  
 culi decimo octavo de utroque Ducatu  
 Fœderati Principes tanquam de re  
 propria ac minime controversa dispo-  
 suere, Pontificis consensu nequidem  
 expectato; postquam enim Hispani Sar-  
 diniam & Siciliam vetricibus armis  
 emensi fuerant, imperator pristinam  
 Monarchiam restitui veritus, insciis  
 Hispanis Londini cum Gallis & An-  
 glis fœdus iniit, quod, cum eidem Hol-  
 landi quoque accederent, *fœdus quadru-  
 plex* appellabatur. Statuebantur octo  
 articuli, quorum quinto *eventualis*, uti  
 vocabant, dispositio de Florentino,  
 Parmensi, & Placentino Ducatu facta  
 est. Tenor illius erat sequens. „Quia  
 „vero eo casu, quo magnum Hetruriæ  
 „Ducem, prout etiam Ducem Parmæ,  
 „Placentiæque eorumque Successores,  
 „absque liberis Masculis decedere con-  
 „tingeret, ipsa ratio Successionis in  
 „ditiones ab iis possessas, novum fa-  
 „cile bellum in Italia excitare posset,  
 „ob diversa videlicet Successionis jura,  
 „quæ præsens Hispaniarum Regina,  
 „nata Ducissa Parmensis, post dece-  
 „sum priorum ante se hæredum

„ex

„ ex una, ex altera vero parte, Imperator & Imperium, in dictos Ducatus „ sibi competere utrinque obtendunt.

„ Quo itaque gravibus ejusmodi contentionibus, & iis, quæ inde nascentur, malis tempestive obviaretur, „ conventum fuit, ut Status seu Ducatus, a præfatis Magno Duce Hettriciæ, Parmæque & Placentiæ Duce modo posselli, futuris in perpetuum „ retro temporibus, ab omnibus Partibus Contractantibus agnoscantur, & „ habeantur pro indubitatis sacri Romanæ Imperii feudis Masculinis. Vicissim sua Majestas Cæsarea per se „ ceu Caput Imperii consentit, ut, si „ quando casus aperturæ dictorum Ducatum, ob deficientiam hæredum „ Masculorum contingat, filius dictæ Hispaniarum Reginæ primogenitus, „ hujusque Descendentes Masculi, ex „ legitimo matrimonio nati, iisque deficientibus, secundo aut alii postgeniti „ ejusmodi Reginæ filii, si qui nascentur pariter cum eorum posteris Masculis, ex legitimo matrimonio natis, „ in omnibus dictis provinciis succedant. Quem in finem, cum Imperii consensu opus sit, sua Majestas Cæsarea, pro eo obtinendo, omnem operam impendet, eoque obtento Litteras expectativas, investituram even-

Sæc. XVIII.  
A.C. 1731.

, tua-

Sæc. XVIII. „ tualem continentes, pro dictæ Reginæ  
A.C. 1731 „ filio, vel filiis, eorumque descen-  
„ dentibus Masculis legitimis in debita  
„ forma expediri, easque Regi Catho-  
„ lico mox, vel saltem post duos men-  
„ ses, a commutatis Ratificationum  
„ tabulis, tradi curabit, absque ullo  
„ tamen damno aut præjudicio, salva-  
„ que per omnia Principum, qui dictos  
„ Ducatus in præsens obtinent, pos-  
„ sessione. „

„ Conventum præterea inter Sacram  
Cæfaream Majestatem Regemque Ca-  
tholicum fuit, quod oppidum Liburni  
in perpetuum sit & permanere de-  
beat Portus liber, eo plane modo,  
quo nunc est. „

„ Virtute Renuntiationis ab Hispa-  
niarum Rege in universas Italiam di-  
tiones, Regna ac Provincias, quæ  
olim ad Reges Hispaniæ pertinebant,  
factæ, ipse Rex præfato Principi suo  
filio Urbem Portus Longi, unacum  
ea parte insulæ Ilvæ, quam in illa  
actutum tenet, cedet, tradetque, quam-  
primum dictus Princeps, extincta  
Magni Hetruriæ Ducis posteritate  
Masculina, in actualem ejusdem Di-  
tionum possessionem immisus fuerit. „

„ Transactum insuper, ac solemnis  
stipulatione cautum fuit, quod nul-  
lus prædictorum Ducatum ac Ditio-  
„ num

„num ullo unquam tempore aut casu Sæc. XVIII.  
 „possideri possit, aut debeat a Principe, A. C. 1731.  
 „qui uno tempore Regnum Hispaniæ  
 „obtinet, & quod nullus unquam Hi-  
 „spaniarum Rex tutelam ejusmodi  
 „Principis assumere possit, aut gerere  
 „valeat. „

„Denique conventum est, & in id  
 „omnes singulæque partes contrahen-  
 „tes pariter sese obligarunt, nunquam  
 „iri admissum, ut viventibus adhuc  
 „præsentibus Ducatum Hetruriæ Par-  
 „mæque Possessoribus, aut eorum Suc-  
 „cessoribus Masculis, ullus unquam  
 „miles cujuscumque Nationis, sive  
 „proprius, sive conductius ab Impe-  
 „ratore & Regibus Hispaniæ ac Gal-  
 „liæ, aut etiam a Principe ad eam  
 „successionem supra designato, in dicto-  
 „rum Ducatum provincias & Terras  
 „induci aut ullum ab iis præsidium Ur-  
 „bibus, Pontibus, Oppidis & Fortalitiis  
 „in iis sitis imponi possit. „

„Ut vero dictus Reginæ Hispaniæ  
 „filius ad Magni Duci Hetruriæ, Par-  
 „mæque & Placentiæ Duci successio-  
 „nem per hunc Tractatum designatus,  
 „contra omnes Casus uberiore securi-  
 „tate fruatur, certiorque de executione  
 „promissæ sibi successionis reddatur,  
 „necnon Imperatori & Imperio feu-  
 „dum desuper constitutum illibatum

„MA-

Sæc. XVIII. „maneat, utrinque placuit, ut Miles  
A. C. 1731. „præsidiarius, numerumque tamen  
„sex millium non excedens, in præ-  
„cipia ejusdem Oppida Liburnum sci-  
„licet, Portum Ferrarium, Parmam,  
„Placentiamque imponatur, ab Hel-  
„vetiæ pagis, vel ut vocant, canto-  
„nibus, quibus cantonibus hunc in  
„finem subsidium solvent tres partes  
„contrahentes, mediatoris vices ge-  
„rentes, ac Miles ille ibidem conti-  
„nuetur, usque dum casus dictæ Suc-  
„cessionis, quod Oppida sibi commissa,  
„dicto Principi ad eamdem designato  
„tradere tenebitur, existat, absque  
„ulla tamen molestia, aut sumptu-  
„præsentium possessorum, eorumque  
„Successorum Masculorum, quibus e-  
„tiam dicti Milites præsidiarii, jura-  
„mentum fidelitatis sunt præstituri,  
„nec aliam ullam sibi assument autho-  
„ritatem, præter solam Urbium tuitio-  
„nem Custodiæ suæ commissarum.,

## §. II.

*Solemnis protestatio contra hunc ar-  
ticulum ab Innocentio XIII. P.  
interposita.*

Quamprimum Innocentius XIII. Papa  
tam Londini, quam Cameraci de  
Parmensi & Placentino Ducatu tan-  
quam

quam de Imperii feudis disponi com-  
pererat, Romanæ Ecclesiæ jura violari  
ratus, Bartholomæo Massi Athenarum  
Archiepiscopo & apud Galliarum Re-  
gem Nuntio Apostolico Anno 1722. die  
decima quinta Mensis Septembris ne-  
gotium dedit, ut Pontificis nomine ad-  
versus omnia, quæ hac in re contra  
Sedis Romanæ jura decernerentur,  
palam reclamaret. ipse etiam Ponti-  
fex Carolum Imperatorem, ceterosque  
Germaniæ Principes gravissimis oppido  
literis hortabatur, ut a cæptis abstine-  
rent; incerta enim Regnorum dominia,  
uti ajebat, non inter latebras obscuræ  
antiquitatis esse querenda, sed vetera  
& recentia monumenta respicienda esse,  
ex his vero S. Sedis dominium in has  
civitates clarissime patetieri, insuper  
suffragari potissimum duobus abhinc  
sæculis continuatam, quietamque Roma-  
norum Pontificum possessionem ad hanc  
usque diem protractam, semperque  
tributum quotannis pendi solitum: gra-  
vissimam ergo injuriam Sedi Apostolicæ  
inferri, si ea inconsulta Parmæ & Pla-  
centiæ Ducatus Carolo Hispaniæ Prin-  
cipi assererentur &c. Cum autem Pon-  
tifex hisce monitis ac literis nihil pro-  
ficeret, alium Præfulem Cameracum  
emisit, qui adversus eventualem dispo-  
sitionem reclamaret, & omnia in Sedis  
*Hist. Eccles. Tom. LXXIII.* Ee Apo-

Sæc. XVIII.  
A.C. 1731.

Sæc. XVIII. Apostolicæ præjudicium decreta tan.  
A.C. 1731. quam nulla & irrita declararet. Hic  
ergo Cameraci solemnem protestatio-  
nem opposuit hoc tenore.

„ Ut primum Sanctissimus Dominus  
 „ noster Innocentius, Divina Providen-  
 „ tia Papa XIII. accepit, in conventu,  
 „ ac Comitiis hac in civitate Camera-  
 „ censi aperiendis, generalem Concor-  
 „ diam inter Orthodoxos Principes ita  
 „ componendam esse, ut per sinceram  
 „ reconciliationem, sedatis acerbissimis  
 „ dissidiis, quibus illorum animi agita-  
 „ bantur, desiderata tandem tranquil-  
 „ litas firmaretur, nullis nec precibus  
 „ apud Deum, nec officiis & cohorta-  
 „ tionibus apud eosdem Principes con-  
 „ filia hæc promovere, atque ad tam  
 „ universæ Christianæ Reipublicæ fa-  
 „ lutare opus, benedicente Domino per-  
 „ ficiendum, illos urgere nunquam  
 „ desiit: ea tamen Sanctitati suæ mens  
 „ & fiducia fuit, ne quid nimirum in-  
 „ juriæ ac detrimenti in ipsa optatis-  
 „ simæ licet Concordiæ Sanctiōne, Ca-  
 „ tholicæ Religioni, atque Sedis Apo-  
 „ stolicæ & Ecclesiariū juribus infer-  
 „ retur; quibus jam tum ab initio sui  
 „ Pontificatus, tam per suos apud præ-  
 „ fatos Principes Nuntios, quam per  
 „ seipsum, cum eorum Ministris Romæ  
 „ com-

„commorantibus, opportune prospicere  
„cere non intermisit.“

Sæc.XVIII.  
A.C. 1731.

„At, post longas moras, quæ publicam expectationem protrahebant,  
„gravissimum illi accidit diversis ex partibus sibi allatum Nuntium, Came-  
racensem istam Concordiam ea demum ratione parari, ut veluti præcipua, ac. ut ajunt præliminaris illam conciliandi conditio, futura sit even-  
tualis investitura Ducatus Parmæ & Placentiæ a Catholico Rege Philippo V.  
„pro Regio Infante Carolo ejusdem filio petenda, eique ab Imperatore Carolo VI. tanquam de feudo imperii concedenda: Idque in Comitiis Ratisbonensibus propositum, a Germaniæ Principibus per suos Administros ibi congregatos confirmatum atque approbatum fuisse; amplis verbis gratias agendo Imperatori, pro cura impensa pro amplificandi Imperii iuribus, ut legitur in capitulo Electoral dictato Ratisbonæ 1722. & in Concluso Principum ac statuum Imperii.,

„Quapropter cum dubitari posset, quod, ut ibi decretum deliberatum que jam fuit, reipsa deveniatur ad concessionem dictæ eventualis Investituræ ejusdem Ducatus Parmæ & Placentiæ, qui nulla ratione ad jura

Sæc. XVIII. „ Imperii pertinet, sed ut omnibus no-  
 A. C. 1731. „ torium manifestumque est, non alte-  
 „ rius, quam sacræ Sedis & Romani  
 „ Pontificis directo, alto & supremo  
 „ Dominio subest: idcirco Sanctissimus  
 „ Pater, ex credito sibi divinitus Apo-  
 „ stolici officii debito, tam apertæ ju-  
 „ rium Sedis Apostolicæ laesioni ma-  
 „ ture occurrere volens, Illustrissimo,  
 „ & Reverendissimo Domino Barthe-  
 „ lomæo Massei Athenarum Archi-  
 „ Episcopo, suo & ejusdem Sedis Apo-  
 „ stolicæ in Galliarum Regno Nuntio  
 „ ordinario, utpote vicino ejusdem  
 „ Ministro injunxit, ac speciali man-  
 „ dato commisit, ut juxta generales  
 „ & amplissimas facultates ipsi jam  
 „ tributas per literas in forma Brevis  
 „ eidem directas sub die 15. Mensis  
 „ Septembris Anni 1722. tanquam e-  
 „ jusdem Sanctitatis suæ ac Romanæ  
 „ Ecclesiæ verus & legitimus Procura-  
 „ tor, Actor, & Negotiorum gestor,  
 „ vel per seipsum, vel per alium ab  
 „ eo huc mittendum (cui tamen nullum  
 „ extrinsecum Ministerii titulum com-  
 „ municare voluit) Sedem præfatam  
 „ a quibusvis præjudiciis, quæ ei ex  
 „ ejusdem Concordiæ tractatione, e-  
 „ tiam illius eventu minime expectato,  
 „ quomodolibet obvenire possent, qua-  
 „ cumque opportuniori ratione cura &  
 „ studio

„ studio præservare illæsamque ac far- Sæc.XVIII.  
 „ tam tectam reddere, ac illa ante- A.C. 1731.  
 „ vertere adniteretur. „

„ Ut igitur idem illustrissimus Atheneum Archi - Episcopus vel ipsis e-  
 „ tiam injustis dictæ Concordiæ initiis,  
 „ quibus Apostolicæ Sedis jura adeo  
 „ manifeste impetuntur, Pontificium  
 „ dissensum & improbationem oppone-  
 „ ret, ac novis adhuc specialibus a  
 „ Sanctitate sua, per alias in simili for-  
 „ ma Brevis die 16. Februarii Anni  
 „ 1723. expeditas literas, ad eum in-  
 „ terim prolati Mandatis obtempera-  
 „ ret, me huc ablegavit, ut Sanctitatis  
 „ suæ jussa exequendo, Romanæ Ec-  
 „ clesiæ rationibus legitimis remedii  
 „ consulam, ne ullo unquam tempore  
 „ S. Sedis acquiescentia prætendi pos-  
 „ sit. Licet autem, ut id pro officii  
 „ mei ratione exequar, ejusdem Sedis  
 „ titulos & jura, quorum solus Deus  
 „ judex est, hic proferre, & recensere  
 „ non debeam, minus vero operæ pre-  
 „ tium sit, quoad longissime potest mens  
 „ nostra, respiciendo spatia præteriti  
 „ temporis, memoriam rerum recordari  
 „ ultimam: id tamen non omittam,  
 „ neminem videlicet latere, duobus &  
 „ ultra abhinc Sæculis Romanam Ec-  
 „ clesiam dicti Ducatus supremo, alto  
 „ & directo Dominio pacifice potitam

E e 3 „ fuisse:

Sæc. XVIII. „fuisse: nec minus exploratum esse,  
 A. 1731. „felicis recordationis Paulum III. eun-  
 „ dem Ducatum in feudum concessisse  
 „ Petro Aloysio e Domo Farnesia, de-  
 „ signatis personis ex dicta Domo &  
 „ Familia in ipso successuris, certisque  
 „ appositis pactis & conditionibus ab  
 „ illis perpetuo adimplendis; cuius con-  
 „ cessionis ac Investituræ lege semper,  
 „ fideliterque hactenus servata, quoties  
 „ possessorem Feudi dececessisse contigit,  
 „ ejusdem filius primogenitus, tan-  
 „ quam Ecclesiæ Romanæ Feudatarius,  
 „ publica Legatione supplicans pro In-  
 „ vestituræ renovatione, a summo Pon-  
 „ tifice pro tempore existente illam ob-  
 „ tinuit; omnesque demum, tam ni-  
 „ mirum modernus Dominus Parmæ  
 „ & Placentiæ Dux, quam ejus in dicto  
 „ Ducatu Prædecessores palam, ac  
 „ omnium oculis spectantibus solemn-  
 „ ter semper solverunt annum Censum  
 „ tanquam perenne dicti supremi Do-  
 „ mini S. Sedis & Vasallagii testimo-  
 „ nium in originaria Investitura Feuda-  
 „ tario imperatum & præscriptum.

„ Quæ sane omnia, cum probe nota-  
 „ essent, tum præcessoribus Imperato-  
 „ ribus, Imperii tamen jura minime  
 „ obtendentibus, tum præcipue glorio-  
 „ sissimæ memoriæ Leopoldo; idem,  
 „ dum S. memoriæ Innocentius XII.  
 „ vehe-

„vehementer apud illum conquestus <sup>Sæc.XVIII.</sup>  
 „fuit, quod militares ejus copiæ in- <sup>A.C. 1731.</sup>  
 „gressæ essent ditionem Parmensem  
 „& Placentiam Romanæ Ecclesiæ feu-  
 „dum, facti hujus eam attulit excu-  
 „sationem, nempe quod ipse a Prin-  
 „cipis, & sibi tam arcte conjuncti, &  
 „S. Sedis Vasallagio adstricti ditionibus  
 „certo abstinuisset, nisi summa necessi-  
 „tas eum coegisset, ad milites in illas  
 „immittendos: ut etiam Comite, Phi-  
 „lippo Maria Scoto dicti Domini Ducis  
 „Ablegato, ejus nomine poscente com-  
 „pensationem ingentium contributio-  
 „num ab eodem subministratarum, at-  
 „que damnorum, quæ ob Cæsareum  
 „militem, in sua ditione ad hiberna-  
 „missum illata illi fuerant, prædictus  
 „Imperator professus fuit atque decla-  
 „ravit, adeo gravia incommoda D.Du-  
 „cis ditioni invexisse non ex Vasallagii  
 „debito, sed, quia rerum ac tempo-  
 „rum conditio, ipsum, tametsi invi-  
 „tum, ad id compulerant. Porro ec-  
 „quis nescit, fel. rec. Clementem  
 „P. P. XI. ad ejusdem Ducatus defen-  
 „sionem & custodiam, inter novissimos  
 „Italici belli motus Romanæ Ecclesiæ  
 „vexillum in illis Arcibus & Munitio-  
 „nibus explicavisse, atque Pontificium  
 „præsidium collocasse: Cæsaribus &  
 „Fœderatorum Regum Exercitibus ac

Sæc. XVIII. „ Ducibus id spectantibus, nemine vero  
A. C. 1731. „ adverius adeo constans & publicum  
„ supremi S. Sedis Dominii exercitium  
„ reclamante.,,

, In tanta itaque jurium sanctæ Ro-  
„ manæ Ecclesiæ perspicuitate atque e-  
„ videntia, quæ Religio, quæ Justitiæ  
„ ratio pati poterit, ut cum adeo gravi  
„ illorum jactura ac impendio, jura  
„ Imperii, nova ac indebite prorsus  
„ quæsita accessione amplificantur? Aut  
„ quæ pax inter Christianos Principes  
„ coalescere poterit, quæ diu mansura  
„ sit, si eadem auspicanda est violento spo-  
„ lio, quo S. Sedes & Christi Vicarius  
„ tanta cum injustitia suarumque ratio-  
„ num detrimento turbatur supremo,  
„ alto ac directo Dominio dicti Ducatus  
„ antiquissimis titulis, plurium sæculo-  
„ rum pacifica quasi possessione, & gen-  
„ tium denique consensu constabilito?  
„ Quemadmodum igitur Sanctissimus  
„ Pater, quo tantam injuriam propul-  
„ saret, atque Romanæ Ecclesiæ jura  
„ vindicaret & assereret, non defuit  
„ omnibus paternis officiis, quibus,  
„ tum per literas suas Apostolicas quam  
„ Nuntios suos, Catholicos Principes  
„ admoneret, atque ab injustis hac in  
„ re susceptis consiliis revocaret, ita  
„ ego reverenter atque humiliter obse-  
„ quendo menti Sanctitatis suæ, ae-  
„ , uten-

„utendo facultatibus ejusdem auctori-  
 „tate mihi, a præfato illustrissimo Nun- Sæc. XVIII.  
 „tio attributis, ut demandatum officium A.C. 1731.  
 „adimpleam, & ut plenius omnibus  
 „innotescat & palam sit, quod ipse  
 „summus Pontifex ejusmodi præjudi-  
 „ciis non modo non assentitur, nec  
 „unquam assensurus est, sed illa ex-  
 „presse impugnat, reprobat, ac rejicit,  
 „prout etiam Successores ejus certo  
 „impugnaturi, reprobaturi, & reje-  
 „cturi semper erunt, omnibus meliori-  
 „bus modis, via, jure, causa & forma,  
 „quibus pro ejusdem officii mei ra-  
 „tione possum & debo, in hoc publico  
 „conventu, publice solemniterque  
 „declaro, atque protestor, nihil, quod  
 „pertinet ad Ducatum Parmæ & Pla-  
 „centiæ a quopiam in præjudicium,  
 „tum directi Dominii, tum jurium  
 „sanctæ Romanæ Ecclesiæ competen-  
 „tium innovari, statui, vel disponi  
 „posse, vel potuisse. Propterea que  
 „quascumque Tractationes, conven-  
 „tiones, Pacta, Dispositiones, illarum-  
 „que Confirmations & Approbatio-  
 „nes tam hic, quam in Comitiis Ra-  
 „tisbonensibus, ac Capitulo & Con-  
 „cluso præfatis, sive etiam alibi & ubi-  
 „cumque, super ejusdem Ducatus e-  
 „ventuali Investitura, infeudatione, Con-  
 „cessione, Successione, Possessione &  
 „Frui-

Sæc. XVIII. „ Fruitione, magisque ipsam eventua-  
 A.C. 1731. „ lem Investituram, Infeudationem seu  
 „ Concessionem, quibuscumque verbis,  
 „ clausulis & formulis, tam directe,  
 „ quam indirecte, tam principaliter,  
 „ quam incidenter, & alias quomodo-  
 „ cumque, & quandocumque factis,  
 „ seu quod absit, faciendis, omnino  
 „ nullas, irritas, invalidas, inanes,  
 „ nullius roboris ac momenti, cum om-  
 „ nibus inde secutis & quandocumque  
 „ forsitan secuturis ab ipso initio fuisse,  
 „ esse, & perpetuo fore; illaque idcirco  
 „ pro facultatibus, mihi, ut supra, con-  
 „ cessis, & munere, quo fungor, ac  
 „ nomine supradicto, omni meliori  
 „ modo, quo possum ac debeo, reprobo,  
 „ rejicio atque impugno, nec ex illis  
 „ cuiquam aliquod jus, vel actionem,  
 „ aut titulum, etiam coloratum, vel  
 „ possidendi, aut præscribendi caussam  
 „ tametsi immemorabile tempus acqui-  
 „ situm, vel acquisitam fuisse, vel esse,  
 „ aut quandocumque acquiri vel com-  
 „ petere posse, neque illa statum ullum  
 „ facere, vel fecisse, vel in posterum  
 „ facere posse: sed perinde, ac si nun-  
 „ quam emanassent, aut emanarent,  
 „ vel facta non fuissent, vel forent, pro  
 „ non emanatis, & non factis perpetuo  
 „ habendas esse: ideoque eisdem nullo  
 „ unquam tempore refragantibus, su-  
 „ pre-

„prenum, altum & directum Domini  
 „nium, & alia omnia quæcumque Sæc. XVIII.  
 „sanctæ Sedis & Romanæ Ecclesiæ A.C. 1731.  
 „jura super prædicto Ducatu Parmæ  
 „& Placentiæ, salva, integra, illæsa,  
 „inviolata fuisse, & esse, & perpetuo  
 „fore, rursus protestor atque declaro.  
 „Actum Cameraci die Mensis Martii.  
 „Anno millesimo septingentesimo vige-  
 „simo tertio, indictione prima, Pontifi-  
 „catus SS. DD. N. Innocentii Papæ  
 „XIII. Anno secundo.

### §. III.

#### *Successio in utrumque Ducatum Carolo Hispano per diploma Cæsareum vindicata.*

Insuperhabita Pontificis oppositione  
 ipsemet Carolus VI. Imperator con-  
 sensit, ut juxta tenorem Articuli V.  
 foederis Londinensis, si Farnesiana Do-  
 mus sine prole mascula decederet,  
 Parmensis & Placentinus Ducatus in  
 Carolum Philippi V. Hispaniarum Re-  
 gis Filium devolveretur. Hanc in rem  
 Imperator Viennæ die nona Decem-  
 bris Anno 1723. Cæsareum hoc diplo-  
 ma edidit.

„Agnoscimus & notum facimus te-  
 „nore Præsentium universis, quod cum  
 „tanto sollicitudinis studio ad nuac

, pro-

Sæc. XVIII. „ promovendum , qui Cameraci pendere  
 A.C. 1731. „ noscitur , congressum festinemus ,  
 „ quanto amore Pacis Tractatui Quadru-  
 „ plicis faderis die secunda Augusti an-  
 „ no millesimo septingentesimo decimo octavo  
 „ inito , subscripto accessimus , & cum  
 „ in ejus Articulo quinto conventum  
 „ fuerit , quod ad pristina Superioritatis  
 „ Imperialis jura , Status , seu Ducatus  
 „ a Duce Hetruriæ , Parmæque , ac  
 „ Placentiæ Duce modo possessi , futu-  
 „ ris in perpetuum temporibus ab om-  
 „ nibus partibus contractantibus agno-  
 „ scantur , & habeantur pro indubitatis  
 „ sacri Romani Imperii feudis masculi-  
 „ nis . Et nos , quantum in nobis erat ,  
 „ ceu Caput Imperi , insuper consense-  
 „ rimus , ut , si quando casus aperturæ  
 „ dictorum Ducatum ob deficientiam  
 „ hæredum masculorum contingat , tunc  
 „ præsentis Serenissimæ & Potentissimæ  
 „ Principis Dominicæ Elisabethæ Hispa-  
 „ niarum Reginæ , natæ Ducissæ Par-  
 „ mæ , ac Placentiæ , Filius primoge-  
 „ nitus Serenissimus Carolus Hispania-  
 „ rum Infans , consanguineus & Prin-  
 „ ceps noster charissimus , hujusque  
 „ descendentes Masculi ex legitimo ma-  
 „ trimonio nati , iisque deficientibus se-  
 „ cundogenitus , aut alii postgeniti dictæ  
 „ Reginæ Filii , si qui nascentur , pari-  
 „ ter unacum eorum posteris masculis  
 „ ex

„ ex legitimo matrimonio natis, in om- Sæc. XVIII.  
 „ nibus dictis Provinciis succedant, & A. C. 1731.  
 „ quod nos solitum Romani Imperii con-  
 „ fensum desuper requisituri, eo obtento  
 „ literas expectativas. Investituram e-  
 „ ventualem continentes pro dictæ Re-  
 „ ginæ Filio vel filiis, eorum descen-  
 „ dentibus masculis legitimis, in de-  
 „ bita forma expediri, easque Regi Ca-  
 „ tholico tradi curabimus, absque ullo  
 „ tamen damno, aut præjudicio, fal-  
 „ vase per omnia Principum, qui  
 „ dictos Ducatus in præsens obtinent,  
 „ possessione. Et post nunc exhibitum  
 „ nobis sacri Imperii Romani - Germa-  
 „ nici consensum cum res in eo sit, ut,  
 „ si nobis, nostrisque Successoribus Ro-  
 „ manis Imperatoribus ac Regibus  
 „ legitimate intrantibus, dictoque Ro-  
 „ mano imperio præfatus Princeps Ca-  
 „ rolus cæterique ejus descendentes,  
 „ aut ipsius fratres, & eorum masculi  
 „ antedicti, omnia & singula debite fa-  
 „ ciant & præstent, quæcumque fideles  
 „ obedientesque Principes & Vasallos  
 „ Italicos de jure aut consuetudine &  
 „ antiquis feudorum rationibus sub  
 „ Throno imperiali constanter & per  
 „ omnia præstare & facere decet.,,

„ Nos in conformitate prænominati  
 „ integri Articuli quinti, & non aliter,  
 „ atque in sinceram ejusdem executio-  
 „ nem,

Sæc. XVIII., nem., gratiæ expectativæ Investitu.  
 A.C. 1731., ram eventualem continentis, juxta  
 ritum ac stylum Cælareum solitum  
 „Diploma Imperiale ea, qua conven-  
 „tum est, lege, modo ac forma eidem  
 „Principi Carolo concedere & elargiri  
 „possimus ac debeamus.,,

„Proinde ex certa scientia nostra,  
 „animo bene deliberato, ac sano ac-  
 „cedente consilio, deque Cæsareæ no-  
 „stræ Majestatis potestate, nostro, no-  
 „strorumque in Diademate Imperiali  
 „legitimorum Successorum Romano-  
 „rum Imperatorum ac Regum nomine,  
 „præfato Principi Carolo ejusque de-  
 „scendentibus, necnon dictæ Hispania-  
 „rum Reginæ fratribus, eorumque po-  
 „steris, uti supra, legitime natis, aut  
 „nascituris masculis harum vigore lite-  
 „rarum benigne concesserimus & hoc  
 „decreto ac Diplomate Imperiali ex-  
 „pectativam, vim ac robور eventualis  
 „Investituræ continentem, clementer  
 „elargiti simus, Eudemque Princi-  
 „pem Carolum pro se, suisque Succef-  
 „foribus masculis legitimo ex matri-  
 „monio descendantibus, nec non pro  
 „omnibus & singulis supra recensitis  
 „ipsius fratribus & eorum masculis &  
 „legitimo matrimonio natis aut nasci-  
 „turis, prætactis de Ducatibus aut sta-  
 „tibus, tanquam veris feudis Impe-  
 „ria-

„ rialibus Italicis Masculinis, memo- Sæc. XVIII.  
 „ ratum in eventum aperturæ & cadu- A.C. 1731.  
 „ citatis, quo scilicet præsentes ex  
 „ domo Medicea ac Farnesia possessores  
 „ sine prole legitima naturali mascula  
 „ successionis capace vivere desierint,  
 „ de Cæsareæ nostræ potestatis pleni-  
 „ tudine, juxta expressum legeque Im-  
 „ periali receptum ordinem primogeni-  
 „ turæ eventualiter infeudaverimus,  
 „ atque investiverimus, quemadmo-  
 „ dum tenore præsentium hocce De-  
 „ creto & Diplomate nostro Imperiali,  
 „ vim eventualis investituræ habente,  
 „ de jure, lege, aut consuetudine im-  
 „ periali eundem Principem Carolum  
 „ de prædictis Hetruriæ, Parmæ, Pla-  
 „ centiæque Ducatibus seu statibus,  
 „ omnibusque ipsis competentibus ju-  
 „ ribus, & pertinentiis ac horum Du-  
 „ catuum Dominio tempore præfati fœ-  
 „ deris Londini subscripti, realiter pos-  
 „ sessis infeudamus ac investimus.

„ Cujus infeudationis virtute idem  
 „ hic Princeps Carolus in casu, ut su-  
 „ pra, aperturæ dictorum Ducatum  
 „ seu statuum immediate possessionem  
 „ omnimodo, & administrationem af-  
 „ ferere sibi, & consequi poterit nempe  
 „ Ducatum seu statuum, nunc a ma-  
 „ gno Hetruriæ Duce possessorum, sta-  
 „ tim ac proles dicti Ducis mascula  
 „ legi-

Sæc. XVIII. „legitima, & Ducatum seu statuum  
 A. C. 1731. „a Parmæ Placentiæque Duce nunc  
 „possessorum, statim ac proles Farnesia  
 „mascula legitima defecerint, nostris  
 „cæteroqui & sacri Imperii. nec non  
 „aliorum quibuscumque juribus semper  
 „salvis, ac nominatim hac disserta sub  
 „conditione, ut in casu existentis rea-  
 „liter aperturæ, & quoties deinceps  
 „ille casus evenerit, actualem & pro-  
 „prie sic dictam Investituram a nobis,  
 „nostrisque Successoribus Romanis  
 „Imperatoribus & Regibus, memo-  
 „ratus Princeps, cæterique, ut supra,  
 „ipsimet, aut per legitimos post di-  
 „speniationem Imperiale validos, &  
 „sufficientes Mandatarios, tempore,  
 „loco styloque consuetis, requirere,  
 „debitum homagium facere, ac præ-  
 „stitis quibuscumque penes Consilium ac  
 „Cancellariam nostram Imperiale  
 „Aulicam præstandis coram Throno  
 „nostro Cæfareo recipere, & solitum  
 „desuper fidelitatis jusjurandum præ-  
 „stare teneatur, teneanturque, prout  
 „in feudis & homagiis Italiciis recepti  
 „Cæsarei Romano - Germanici juris  
 „& moris est, secus vero in conformi-  
 „tate ejusdem totius Articuli quinti  
 „foederis Londinenis, hisce dissertim,  
 „& sub conditione sine qua non decla-  
 „rantes nos & sacrum Imperium ad  
 „per-

„ permittendam continuationem posse-  
 „ sionis nominatorum Ducatum seu Sæc. XVIII.  
 „ statuum teneri nec velle nec posse. A.C. 1731.  
 „ Salvo porro, uti præfertur & dicto  
 „ in foedere cavetur, Principum præ-  
 „ sentium ac Ducatum Hetruriæ, Par-  
 „ mæ ac Placentiæ possessorum omni-  
 „ modo jure, insuper & reliqua hujus-  
 „ dem Articuli quinti stipulatione per  
 „ omnia & semper salva, quod nempe  
 „ nullus prædictorum Ducatum aut  
 „ statuum, ullo unquam tempore aut  
 „ casu, a Principe, qui Regnum Hispa-  
 „ niarum obtinet, possideri possit aut  
 „ debeat, & quod nullus unquam Hi-  
 „ spaniarum Rex tutelam ejusmodi Prin-  
 „ cipis assumere possit aut gerere valeat.

„ Ac propterea mandamus & præ-  
 „ cipimus omnibus & singulis nostris,  
 „ & Imperii sacri Electoribus ac Prin-  
 „ cipibus, tam Ecclesiasticis quam sæ-  
 „ cularibus, Archi Episcopis, Episco-  
 „ pis, Abbatibus, Ducibus, Marchio-  
 „ nibus, Comitibus, Baronibus, mili-  
 „ tibus, Nobilibus, Clientibus, Capi-  
 „ taneis, Vicedominis, Locumtenenti-  
 „ bus, Gubernatoribus, Præsidentibus,  
 „ Præfectis, Castellanis, Rectoribus,  
 „ Magistratibus, Antianis, Vexilliferis,  
 „ Potestatibus, Civium magistris, Con-  
 „ sulibus, Judicibus ac generaliter om-  
 „ nibus nostris, ac Sacri Romani Im-  
*Hist. Eccles. Tom. LXXIII.* Ff perii

Sæc. XVIII. „ perii, Regnum & Provinciarum no-  
A. C. 1731. „ strarum hæreditariarum subditis & fide-  
„ libus dilectis, cuiuscumque status,  
„ gradus, ordinis, Dignitatis aut per-  
„ eminentiæ fuerint, ut sæpe nomina-  
„ tum Principem Carolum, vel ejus  
„ Successores & hæredes, aut ex præ-  
„ dicta Regina fratres, ut supra, quoad  
„ hanc concessionem & gratiam nostram  
„ imperiale nullatenus impediunt vel  
„ turbent, sed potius defendant ac ma-  
„ nuteant, idque etiam ab illis, quan-  
„ tum in ipsis erit, fieri studeant ac cu-  
„ rent, nec turbari aut impediri sinant.

Præterea Ludovicus I. Philippi V.  
Regis Filius Madriti die 24. Febr. 1724.  
Georgius Angliæ Rex die 23. Jan. &  
Ludovicus Franciæ Rex die 28. Jan.  
successionis jus Carolo Hispano affer-  
tum suo quoque assensu firmabant,  
cunctasque investituræ conditiones se  
observaturos spondebant.

#### §. IV.

#### *Continuata Pontificis oppositio.*

Nihilominus mortuo Innocentio XIII.  
Benedictus XIII. Pontifex suorum  
Prædecessorum exemplo prætensa Se-  
dis Apostolicæ jura continuato fervore  
tueri constituit. Eo fine die undecima  
Junii Anno 1725. Patrum Senatum  
habuit,

habuit, ubi coram Cardinalibus de ser- Sæc. XVIII.  
A.C. 1731.  
vandis hisce juribus in Parmam & Pla-  
centiam adversus initæ pacis conditio-  
nes reclamabat, his usus verbis:

*Venerabiles Fratres!*

„Ad gravissimas Apostolatus curas,  
 „quibus undique distringimur, novæ  
 „inde sollicitudines acceſſerunt, unde  
 „allevamentum nobis potius & volu-  
 „ptatis fructus provenire debuiffent:  
 „Nihil enim optavimus impensius, aut  
 „ardentius ab omnipotente Deo flagi-  
 „tavimus, quam ut inter Chariflmos  
 „in Christo Filios nostros Carolum, Ro-  
 „manorum Imperatorem Electum, &  
 „Philippum, Hispaniarum Regem Ca-  
 „tholicum, stabilis animorum concor-  
 „dia, & Pax sincera coaleſceret, qua  
 „nimirum ad Orthodoxæ Religionis  
 „Incrementum, ad hujus sanctæ Sedis  
 „præſidium, atque ad publicam Christi  
 „fidelium tranquillitatem nihil oppor-  
 „tunius aut conducibilius esse poſlit:  
 „Verumtamen jucunditatē optatis  
 „ſimæ Pacis pacta conveuta, Justitiæ  
 „legibus abſona, ita infecerunt & con-  
 „turbarunt, ut, Pacem initam gratu-  
 „lantes, appositas Pacis conditiones  
 „rejicere ac detestari debeamus. Enim-  
 „vero, præter alias conventiones, in

Sæc. XVIII. „ Catholicæ Religionis præjudicium ver-  
A. C. 1731. „ gentes, & juribus hujus sanctæ Ec-  
„ clesiæ in Regnum Siciliæ refragantes,  
„ illud etiam convenisse rescivimus, ut  
„ Investitura Ducatus Parmensis, &  
„ Placentini, quam eventualem appell-  
„ lant, Carolo. Hispaniarum Infanti,  
„ contra exploratissima jura supremi  
„ Dominii hujus sanctæ Sedis, ab Im-  
„ peratore tradatur.,,

„ Jam est autem Fraternitatibus  
„ vestris satis compertum, quam forti-  
„ ter opportuneque ejusmodi consiliis,  
„ & conatibus antevertere studuerit fe-  
„ licis recordationis innocentius XIII.  
„ Prædecessor Noster, datis ad Catho-  
„ licos Principes literis, & solemnis  
„ Protestationis formula in Conventu  
„ Cameracensi per idoneum Ministrum  
„ exhibita, atque in Publico ejusdem  
„ civitatis Tabulario, Magistratibus con-  
„ sentientibus, deposita, cuius vestigiis  
„ vacante hac sancta Sede Fraternitates  
„ vestræ sollicite ac studiofissime insistere  
„ perrexerunt, ut intentatam Aposto-  
„ licas rationibus injuriam averterent  
„ & propulsarent: Nos autem, qui pro  
„ consecrata possessione custodienda, nec  
„ labores, nec molestias, Domino au-  
„ xiliante reformidamus, nostris atque  
„ hujus sanctæ Sedis apud Catholicos  
„ Principes Nuntiis jam tum ab initio

„ no-

„ Nostris Pontificatus, affiduis vero Man- Sæc. XVIII.  
 „ datis negotium dedimus, ut injuriosis A. C. 1731.  
 „ tractatibus obviam ire niterentur: ne-  
 „ que ulla nostri muneric partes reli-  
 „ quas nobis fecimus, aut imposterum  
 „ faciemus, ut Sanctuarii jura farta  
 „ tecta serventur. Interea dolorem,  
 „ quem ex inquis Conditionibus susce-  
 „ pimus, statim ex hoc loco vobis  
 „ communicandum duximus, illarum  
 „ injustitiam palam detestantes, & hoc  
 „ improbationis ac dissensus solemne do-  
 „ cumentum esse volentes, nihil deinceps  
 „ omissuri, ut per alia juris remedia &  
 „ Apostolatus officia nostris rationibus  
 „ prospiciamus. ..

„ Verum enimvero recreat Nos,  
 „ Venerabiles Fratres, & mirifice su-  
 „ stentat tantorum Principum perspecta  
 „ justitia, atque in hanc sanctam Sedem,  
 „ resque sacras religio singularis, quæ  
 „ nos dubitare non finit, quin illustria  
 „ de more tam æquitatis, ac pietatis  
 „ suæ, quam filialis erga nos & hanc  
 „ sanctam Sedem obedientiæ testimo-  
 „ monia sint edituri; rescissis, ac dele-  
 „ tis pactis & conventionibus, quæ non  
 „ Pacis firmitatem & auspicata Princi-  
 „ patus fundamenta polliceri possent,  
 „ sed divinam potius indignationem, &  
 „ Regnorum pericula denuntiare. In-  
 „ terea, Venerabiles! piis obsecratio-  
 „ nibus, quæ sunt arma potentiarum, Deo

Sæc. XVIII. instantes erimus, ut respiciat Domi-  
A.C. 1731. nus in hæreditatem suam, nec ab  
 „illis nos detrimenta metuere patiatur,  
 „quorum Patrocinio sanctæ Ecclesiæ  
 „rationes tuendas & vindicandas com-  
 „modavit. „

## §. V.

*Jus Successionis Carolo Hispano ad-  
huc firmius assertum.*

**E**odem adhuc anno Imperator, qui  
 hucusque cum Hispaniarum Rege  
 collidebatur, mox litibus inter se com-  
 positis cum ipsomet Hispano privatam  
 Viennæ pacem iniit, cuius præcipui,  
 qui controversum successionis jus specta-  
 bant, tituli erant sequentes: I. „Agno-  
 „scat Cæsar Philippum Hispaniarum &  
 „Indiarum Regem, omnesque ejus  
 „descendentes, masculos, & fœminas  
 „finet iis pacifice frui. „

II. „Contra vero Philippus suo &  
 „Successorum nomine renuntiet omni-  
 „bus ditionibus, quas Cæsar in Italia  
 „& Belgio poslidet, & olim ad Mo-  
 „narchiam Hispanam pertinuerant.

III. „Inter quas etiam est Marchio-  
 „natus Finalensis, quem Cæsar Anno  
 „1713. Genouensibus cessit. Renuntiet  
 „item regno Siciliæ, ad quod sibi re-  
 „gressum ante servaverat.

IV. „Cæsar consentiat, ut primo- Sæc.XVIII.  
 „genitus Reginæ Hispaniæ succedat in A.C. 1731.  
 „Ducatus Florentinum, Parmensem &  
 „Placentinum, a Cæsare tanquam teuda  
 „Imperii recipiendos, postquam Impe-  
 „rio fuerint aperti.

V. „Si primogenitus ( Carolus )  
 „cum suis descendantibus masculis de-  
 „fecerit, accipiat illos sub eodem nexu  
 „feudali secundogenitus, ejusque po-  
 „steri masculi. „

In hoc interim statu res permanxit,  
 donec Antonius Dux ultimus Farne-  
 sianæ stirpis surculus Henriettam Rei-  
 naldi Mutinæ Ducis Filiam sibi connu-  
 bio junxerat. Hic enim, cum exiguum  
 ex ea suscipienda proliis masculæ spem.  
 haberet, haud ægre quidem ferebat,  
 quod Carolus Hispaniæ Infans, utpote  
 sibi affinis in hæredem designaretur;  
 ubi tamen intellexerat, se nondum  
 mortuo Philippum V. in id data fide cum  
 Gallis & Anglis convenisse, ut ad Ca-  
 roli successionem firmius stabiliendam  
 præsidiariæ Hispanorum copiæ in Du-  
 catuum arces se adhuc vivente immit-  
 terentur, inde gravissime commotus,  
 a Sacro Cardinalium Collegio (tunc  
 enim Sacra Sedes vacabat) petiit, ut  
 adversus omnem exteri militis vim at-  
 que conatum, præcipue urbes Pontifi-  
 cio milite munirentur, vel saltem per

Sæc. XVIII. Curatorem aliquem sub potestate Sedis  
 A. C. 1731. Apostolicæ tanquam supremæ earum  
 Dominæ servarentur. Id ipsum Dux  
 a Clemente XII. recens electo Pontifice  
 impensis efflagitavit, qui jura aliena  
 præcocci impetu invadi iniquo tulit a-  
 nimo, ac propterea vim anteverttere,  
 copiasque Ferraria Parmam mittere  
 decrevit. Nihilominus tamen, quod  
 animo conceperat, adhuc differre satius  
 duxit, a Germanorum copiis præve-  
 niri veritus: hæ enim, cum magno nu-  
 mero apud Cafale majus jamjam con-  
 stitissent, duobus omnino itineribus  
 propius, quam Ferrarienses, Parmensi  
 Urbi aderant. Nil ergo Pontifici re-  
 liquum erat, nisi ut inonitis ac preci-  
 bus apud Imperatorem & Galliæ &  
 Hispaniæ Reges instaret, quatenus  
 ipsimet inter se conferrent, qua via  
 omnis injuria propulsari, omneque dis-  
 fidium tolli posset.

### §. VI.

*Antonius Parmensis Dux ultimus ma-  
 sculæ stirpis Farnesiæ mortuus.*

In hac rerum vicissitudine Clemens  
 Pontifex, ut Antonius Dux ab ex-  
 tera vi præmuniretur, neque officium  
 suum, neque studium desiderari passus  
 est, ejus tamen molimina foederato-  
 rum

rum Principum sollicitudo elusit, cum Sæc. XVIII.  
 enim Antonius Parmæ Dux debili ac infirmo corpore esset, proin exiguam longioris vitæ spem habere videretur, illum Hispaniæ Rex per Legatum suum follicitabat, ut ea, quæ de ejus Provinciis in pace Viennensi, & quadruplo fœdere essent sancita, haberet rata; ille vero ob conceptam liberorum spem ad hoc nullatenus permoveri poterat; nec ipsum terrebant Cæsaris mandata, quibus die 13. Aprilis 1728. Carolum Borromæum, ut vivente adhuc Joanne Gastone Duce Etruriæ possessionem caperet, constituebat, & Electoris Palatini Viduam Etruriæ Ducissam, necon & Florentinum Senatum, ut Ducatus possessionem Carolo Infanti permitterent, hortabatur, subditisque ac Etruriæ Vasallis præcipiebat, ut Carolum tanquam suum Dominum agnoscerent, eique fidelitatis homagium præstarent, quamprimum Gasto Medicæus Dux sine prole mascula deficerit.

Enimvero ineunte anno currentis sæculi trigesimo primo die vigesima Januarii Antonius Parmensis Dux ultimus masculæ stirpis Farnesiæ mortalitatem exuit anno ætatis quinquagesimo secundo primum inchoato, & Regiminis quarto. Supererat unice ex

**Sæc. XVIII.** defuncti Fratre Odoardo Neptis **Elisabetha Hispaniæ Regina.** Hujus Filius  
A. C. 1731. **Carolus**, natu maximus, ut sæpius  
 memoravimus ex Londinenis ac Vien-  
 nensis foederis placito jad successionem  
 in Parmensem & Piacentinum Ducatus  
 vocabatur: quominus autem mox Re-  
 giminis possessionem caperet, obitabat  
 Henrietta Antonii emortui Vidua, quæ  
 se gravidam prole dixerat: Eapropter  
 Imperator Carolus VI. interim, donec  
 eventus, quid rei subsit, edoceret,  
 immisis octo armatorum millibus ut-  
 rumque Ducatum occupavit, ejusque  
 administrationem Comiti Carolo de  
 Stampa Cæsareo Belliduci commisit.  
 Cum autem die 7. Sept. in Henrietta Vi-  
 dua spes uteri & successionis ex Gente  
 Farnesia penitus evanisset, Carolus  
 classe Hispano-Btitannica in Italiam  
 deducebatur, cum vero nonnisi quin-  
 decim ætatis annos numeraret, proin  
 adhuc minorennis esset, ex pacto qui-  
 dem a Patre suo Philippo Hispaniarum  
 Rege emancipatus est, Imperator ta-  
 men ex Imperii lege Dorotheam So-  
 phiam Palatinam Elisabethæ Reginæ  
 Matrem Caroli Infantis Aviam Provin-  
 ciarum Regentem dixit, Gastonem vero  
 Florentiæ Ducem Carolo, donec de-  
 cimum octavum ætatis annum com-  
 plesset, Tutorem dedit, ac dimisso Cæ-  
 sareo

sareo milite urbes nationali præsidio  
muniri præcepit.

Sæc. XVIII.

A. C. 1731.

## §. VII.

*Clementis XII. querelæ ob hoc  
factum.*

Interim Clemens XII. Pontifex com-  
perto Antonii Ducis obitu, mox  
Georgium Card. Spinula Piacentiae &  
Parmæ Legatum a latere nominavit,  
& Præfulem Jacobum Oddum Parmam  
misit, ut Pontificis nomine utriusque  
Ducatus ceu feudi Pontificii possesso-  
nem adiret; cives quidem favere vi-  
debantur, ast ubi Comes de Stampa  
Casali Majori cum Cæsareo milite ap-  
propinquabat, & Roncilionis quoque ac  
Castri hostiliter invadendi metum inji-  
ciebat, apertis portis Cæsareum mili-  
tem receperunt, & Comes Ducatus  
possessionem nomine Caroli Infantis,  
nemine obnitente, cepit, vehementer,  
incassum tamen reclamante Oddo. Ubi  
factum Romæ innotuit, Pontifex, Ec-  
clesiae jura pro viribus tueri intentus,  
denuo ad Cæsarem & Hispaniæ Regem  
literas dedit, & de violato sacræ Sedis  
jure questus, Parmam & Piacentiam  
Ducatus, si proles mascula ex Hen-  
rietta non nasceretur, ad Sedis Apo-  
stolicæ dominium statim reverti, die  
vige-

Sæc. XVIII. vigesima Junii declaravit, edita desu-  
A. C. 1731. per hac Constitutione:

„ Cum bon. mem. Antonius Far-  
 „ nesius ultimus, dum viveret, Parmæ  
 „ & Placentiæ Dux, nulla relicta prole  
 „ masculina, sed dilecta in Christo filia  
 „ Nobili Muliere Henrietta Estensi con-  
 „ juge sua, Parmæ & Placentiæ Du-  
 „ cissa vidua, utero, sicut accepimus,  
 „ gerente, ab humanis non ita pridem  
 „ decesserit; incertum autem sit, an  
 „ ipsa Henrietta Ducissa virilis sexus  
 „ prolem, quæ in ejusmodi Ducatu  
 „ Parmæ & Placentiæ, juxta legem  
 „ Investituræ de eo, Domui Farnesiæ  
 „ in Feudum masculinum a fel. rec.  
 „ Paulo Papa III. Prædecessore Nostro,  
 „ & Sede Apostolica concessæ, succe-  
 „ dere valeat, in lucem fit editura:  
 „ Nos ejusdem Sedis juribus ac ratio-  
 „ nibus pro commissa Nobis cælitus  
 „ Apostolici ministerii sollicitudine in  
 „ omnem eventum mature salubriterque  
 „ prospicere volentes: tametsi, ut om-  
 „ nibus notum ac perspectum est, probe  
 „ sciamus, quod si proles mascula non  
 „ nascitur, vel nata postmodum defi-  
 „ ciat, præfatus Ducatus Parmæ &  
 „ Placentiæ cum omnibus ejus civita-  
 „ tibus, oppidis, terris, locis, mem-  
 „ bris, jurisdictionibus, juribus, an-  
 „ nexit, connexis, & dependentiis uni-  
 „ versis,

„ versis, de quibus dicti Antonius Dux Sæc. XVIII.  
„ & Domus Farnesia ab ipso Paulo III. A. C. 1731.  
„ iisque Romanis Pontificibus Præde-  
„ cessoribus Nostris, & hac sancta Sede  
„ investiti fuerunt, seu illos & illa a  
„ Sede prædicta in feudum masculi-  
„ num hujusmodi tenuerunt & habue-  
„ runt, ad eamdem Sedem & Came-  
„ ram Apostolicam, tum ex forma su-  
„ prædictæ Investituræ seu aliarum Apo-  
„ stolicarum concessionum de eis facta-  
„ rum, tum vigore Constitutionum  
„ sancti Pii V. quarto Kalendas Aprí-  
„ lis Anno Incarnationis Dominicæ  
„ MDLXVII. Pontificatus sui Anno se-  
„ cundo, aliorumque itidem Præde-  
„ cessorum Nostrorum successive edita-  
„ rum, eo ipso revertatur & revertan-  
„ tur, ac devolvatur & devolvantur,  
„ utileque eorum dominium cum directo  
„ consolidetur, etiam absque alia ulte-  
„ riore pro parte dictæ Sedis acceptione,  
„ declaratione, ac possessionis appre-  
„ hensione, prout disponit in præfatis  
„ Constitutionibus, ad quas in omnibus  
„ & per omnia relationem haberi vo-  
„ lumus: Nihilominus pro potiori cau-  
„ tela, juraque juribus addendo, ac  
„ memoratis constitutionibus inhæren-  
„ do, si, & quando prolem masculinam  
„ ejusmodi non nasci, vel natam post-  
„ modum deficere contingat, prædictum  
„ Du-

Sæc. XVIII. „ Ducatum Parmæ & Placentiæ cum  
 A.C. 1731. „ civitatibus, oppidis, Terris, locis,  
 „ membris, jurisdictionibus, juribus,  
 „ annexis, connexis, ac dependentiis  
 „ præfatis, ex nunc prout ex tunc ad  
 „ eamdem Sedem Apostolicam rever-  
 „ sum & reversa, devolutum & devo-  
 „ luta, ac utile eorum Dominium cum  
 „ directo consolidatum esse auctoritate  
 „ Apostolica tenore præsentium decer-  
 „ nimus & declaramus, ac reversio-  
 „ nem, devolutionem, utilisque cum  
 „ directo Dominio consolidationem ejus-  
 „ modi acceptamus: Mandantes pro-  
 „ pterea ex nunc pariter, prout ex tunc,  
 „ omnibus & singulis dicti Ducatus Par-  
 „ mæ & Placentiæ Communitatibus,  
 „ Universitatibus, Gubernatoribus, Præ-  
 „ toribus, Magistratibus, Capitaneis,  
 „ Castellanis, cæterisque Officialibus,  
 „ ac universis tam Laicis quam Eccle-  
 „ siasticis, Sæcularibus & Regularibus  
 „ personis cujuscumque Dignitatis, e-  
 „ tiam Episcopalis, ac status, ordinis,  
 „ & conditionis existentibus, & quavis  
 „ auctoritate, potestate aut munere  
 „ fungentibus, in virtute sanctæ Obe-  
 „ dientiæ, ac sub indignationis Nostræ,  
 „ aliisque a jure & Apostolicis Consti-  
 „ tutiōnibus inflictis poenis, ipso facto  
 „ per transgressores incurrendis, ut eo  
 „ casu eveniente, neminem alium,  
 „ quam

„quam Nos seu Romanum Pontificem Sæc. XVIII.  
 „pro tempore existentem, ac Sedem A. C. 1731.  
 „præfatam, in suum, ac dicti Ducatus  
 „Parmæ & Placentiæ verum legit-  
 „mum ac absolutum Dominum agno-  
 „scant, agnoscere audeant vel præ-  
 „sumant: Nobisque duntaxat, seu ei-  
 „dem Pontifici pro tempore existenti,  
 „ac Sedi Apostolicæ, uti fideles decet  
 „subditos, nec cuiquam alteri, pareant  
 „& obedient; nullatenus attentis om-  
 „nibus iis, quæ nulliter, injuste, ac  
 „de facto in contrarium hactenus at-  
 „tentata fuerint, & forsitan in posterum  
 „per quemcumque quomodolibet at-  
 „tentari possent. Quo circa dilecto fi-  
 „lio Nostro Georgio Spinulæ tituli  
 „sanctæ Agnetis S. R. E. Presbytero  
 „Cardinali sanctæ Agnetis nuncupato,  
 „moderno, seu pro tempore existenti  
 „in Civitate & Comitatu Bononiensi  
 „Nostro, & dictæ Sedis de Latere Le-  
 „gato, ultra facultates, ipsi Georgio  
 „Cardinali quoad eundem Ducatum  
 „per Nos alias concessas, quas firmas  
 „& salvas esse volumus, & ad pro tem-  
 „pore existentein Legatum hujusmodi  
 „tenore præsentium extendimus, ha-  
 „rum serie auctoritate præfata com-  
 „mittimus atque injungimus, quate-  
 „nus ipse in eventum hujusmodi, in-  
 „sistendo pro jurium Apostolicorum  
 „, tui-

Sæc. XVIII. „tuitione ac conservatione eatenus in  
 A. C. 1731. „dicto Ducatu gestis, per se vel per  
 „dilectum filium Magistrum Jacobum  
 „Oddum Nostrum itidem, & ipsius Sedis  
 „Notarium Protonotarium nuncupatum  
 „de numero participantium, ac in  
 „eodem Parmæ & Placentiæ Ducatu  
 „Commisarium, seu alium vel alios  
 „ab eis deputandum vel deputandos,  
 „pro uberiori similiter cautela corpo-  
 „ralem, realem, & actualem posses-  
 „sionem Ducatus, civitatum, oppido-  
 „rum, terrarum, locorum, cætero-  
 „rumque præfatorum, Nostro seu Ro-  
 „mani Pontificis pro tempore existen-  
 „tis, Sedis & Cameræ Apostolicæ, ac  
 „sanctæ Romanæ Ecclesiæ nomine  
 „absque mora apprehendat, & appre-  
 „hensam retineat: & quoslibet actus  
 „possessorios, necnon in Ducatu, civi-  
 „tatibus, oppidis, terris, locis, aliis-  
 „que prædictis quamcumque jurisdi-  
 „ctionem, civilem, criminalem, &  
 „mixtam exerceat: Nos enim eidem  
 „Georgio Cardinali, seu pro tempore  
 „existenti Legato, præmissa, ac alia  
 „omnia & singula, quæ ea occasione quo-  
 „quomodo necessaria & opportuna fore  
 „duxerit, etiamsi talia forent, quæ spe-  
 „cialem, specificam & expressam re-  
 „quirerent mentionem, faciendi, ge-  
 „rendi & exequendi, ac in Ducatu,  
 „civi-

„civitatibus, oppidis, terris, locis, & Sæc. XVII.  
 „aliis præfatis, ultra illas jam con- A.C. 1731.  
 „cessas & extensas, ut præfertur om-  
 „nibus quoque & singulis facultatibus  
 „gratiis, & indultis. quæ in iis sta-  
 „tus Ecclesiastici Provinciis, seu di-  
 „tionibus existentibus dictæ Sedis de  
 „Latere Legatis competunt. ac quibus  
 „ipſi Legati potiuntur, utendi, ple-  
 „nam, liberam ac omnimodam auctori-  
 „tatem & potestatem impertimur: Re-  
 „servantes cæteroquin Nobis, & ei-  
 „dem Sedi, ea deinceps circa præ-  
 „dictum Parmæ & Placentiæ Duca-  
 „tum statuere, quæ adhibita prius cum  
 „Venerabilibus Fratribus Nostris ipsius  
 „sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali-  
 „bus desuper deliberatione matura,  
 „Sedis præfatæ rationes statuenda  
 „postulaverint. .

Attamen Imperator adversus hanc  
 Pontificis declarationem jus suum far-  
 tum tectumque servaturus, non in uno  
 Parmensis ditionis loco stemma suum  
 attolli jussit, cum hac epigraphe: *Sub  
 auspiciis nostris, nomine Principis Caroli  
 heredis, dummodo non armatus, sed pa-  
 cificus veniat, salvo jure ventris prægnan-  
 tis, si sit masculus.* Cum ergo irritus  
 esset Clementis Papæ conatus, cessit  
 Hispanorum potentia, & temporis ra-  
 tionem habuit; haud enim magis pro-  
*Hist. Eccles. Tom. LXXIII Gg Ipera*

Sæc. XVIII. spera ab ipsomet Carolo Infante sibi pol-  
 A. C. 1731. liceri poterat; quamvis enim Pontifex  
 eidem, dum Liburnum advenerat,  
 per Pisanum Archiepiscopum felicem  
 adventum apprecaretur, & per duos  
 Cardinales duo eidem Brevia consig-  
 nasset, quorum primo utrumque Du-  
 catum possidendi facultas data est, al-  
 tero autem Romam venire rogabatur,  
 nihilominus Carolus se a Papa ad præ-  
 standum clientelare homagium Romam  
 invitari interpretatus, pro data facul-  
 tate humanissime grates egit, trans-  
 missis ad Papam literis, in quibus ta-  
 men se *Castilicæ Infantem*, *Parmæ & Pla-*  
*centiæ Ducem*, *Magnum Etruriæ Princi-*  
*pem*, *supremum Caſtri & Roncillionis Do-*  
*minum subſcripsit*. Has quidem literas  
 Pontifex aperuit, deletis tamen om-  
 nibus titulis (excepto *Caſtilicæ Infantis*)  
 illas ad Carolum remisit.

### §. VIII.

*Pernicioſi Quesnelliſtarum libri in  
vulgus ſparſi.*

In Galliis post editam Regis declara-  
 tionem haud parum inclinatæ erant  
 Quesnelliſtarum res: Dolebant summo-  
 pere, paucos illos Episcopos, qui per-  
 tinacius eorum partibus adhærebant,  
 a ceteris numero & auctoritate longe  
 ſupe-

superioribus velut schismaticos evitari, Sæc. XVIII.  
 Parlamenta Regiis editis coerceri, & A. C. 17. I.  
 Sorbonæ Doctores quamplurimos eos-  
 que celeberrimos ad castra israel re-  
 duci: Eapropter desperatæ causæ re-  
 medium quærebant in probrosis libellis,  
 quos in vulgus studiose spargebant, ut  
 Ecclesiæ auctoritatem, & Episcoporum  
 jurisdictionem protervius debellarent.  
 Eo sine ediderunt librum, cui titulus:  
*Monita ad fideles Parisiensis Ecclesiæ circa  
 pericula, quæ ipsis a Confessariis Constitu-  
 tionem Unigenitus acceptantibus timenda  
 sunt.* In hac rapsodia Auctor in id po-  
 tissimum intentus erat, ut fideles ab-  
 sterreat, ne illos, qui Constitutionem  
 acceptarunt, in conscientiæ suæ Mo-  
 deratores sibi eligant: cum enim in  
 Parisina Diæcensi non alii essent Con-  
 fessarii approbati, quam illi, qui hanc  
 Constitutionem receperunt, hinc Au-  
 tor ipsam quoque confessionem elimi-  
 nandi propositum sat aperte manifesta-  
 vit; characteristica enim Quesnelista-  
 rum nota est abrogare Sacra menta, uti  
 jamdudum & quidem haud immerito  
 eis criminis datum. Tam perverso au-  
 tem Auctoris hujus studio sese strenue  
 opposuit auctoritas publica, & præpri-  
 mis Regii Quælitores infaustum hunc  
 partum apud Parisiense Parliamentum  
 denuntiarunt, potissimum questi de-

Sæc. XVIII. mordaci Auctoris stylo, de maledicis  
A C. 1731. investivis, & seditionis propositionibus.  
Ad horum querelas Parisiense Parlamentum die vigesima secunda Januarii  
edito decreto statuit, ut hic liber car-  
nificis manu laceratus, in ignem pu-  
blice conjiceretur. Hac sententia ir-  
ritati Quesnelistæ, vindictam parabant,  
quam tamen exerere non poterant nisi  
malignantis calami acie, qua in suis  
Novellis Ecclesiasticis contra Parlamenti  
decretum impotentibus furiis tumul-  
tuabantur, & Regiorum Quæsitorum  
judicium, quod de ipsorum libro tulis-  
sent, ceu falsum ac iniquum traduce-  
bant, simulque infamis hujus scripti  
doctrine vindicare nitebantur. Tunc  
primum Regii Judices agnovere, quam  
necessarium foret, omni legum severi-  
tate in Ecclesiasticas hæc novellas  
animadvertere, quæ jam per biennium  
non sine maxima populi offensione, &  
seductionis periculo passim legebantur.  
Eapropter non modo Parlamentum,  
sed sanctior Regis Senatus varias do-  
mos aliunde suspectas periustravit,  
ac ipsem Fleuryus Cardinalis in pe-  
stilentis hujus libri Authores, & Typi  
locum sedulo, irrito tamen conatu, in-  
quirebat, palamque Senatui declara-  
bat, furtivum hoc opus, utpote in te-  
nebris clanculum, & sine venia edi-  
tum,

tum, jam in fronte iniquitatis ac infamiae stigma gerere, hujus auctoris petulantiam in hoc libello proditam in dies luculentius deprehendi, ac tandem, ne spurius hic foetus Magistratus silentio auctoritatem acquirere videretur, necessarium fore, ut severitas veterum opponeretur edictorum, quibus omnes libri & scripta sine Auctoris nomine, & sine Regis venia editi atro carbone notantur; haud enim ultra tolerandum esse, ajebat, ut incognitus quidam homuncio facta tumultuarie corrasa, falsas criminaciones, atroces suspiciones, calumnias, & satyricos jocos non raro legitimis Superioribus injuriosos omnium oculis obtruderet &c. His ex caussis Parisiensis Senatus die nona Februarii has Novellas infamibus flammis addixit. Nihilominus tamen haec ipsae Novellæ usque ad hanc diem Parisiis & Ultrajecti quavis Septimana impune divulgantur, quinimo ipse Cardinalis Fleurius, quotiescunque rhedam suam concenderat, harum novellarum folium adhuc præli sudore madefactum in ea repositum reperit. Tanta est factiosæ fecis petulantia, & correctionis impatientis pervicacia! Fertur insuper, quod Franciæ Regis jussu quidam Deputati postmodum Parisiis inopinato in Abbatiam

Sæc. XVIII. S. Victoris irruerint, & convocatis Ab-  
A. C. 1731. bate, Priore, aliisque Religiosis grande  
quoddam cubiculum aperiri jusserint,  
in eo autem tria prela typographicia una-  
cum typis nondum ad usum adhibitis  
repererint, quin vel ullum ex typog-  
raphis, utpote tempestiva fuga sibi  
consulentibus deprehenderint. Suspi-  
cabantur nonnulli, hoc in loco Eccle-  
siasticas Novellas & alias Quesnelli-  
rum rapsodias prælo fuisse commissas.  
Sub idem tempus Theologi nonnulli  
quadraginta illos Parisiensis Parlamenti  
Advocatos, qui tres illos Ecclesiasti-  
cos nuper ab Aurelianensi Episcopo  
exauktoratos defenderunt, acriter in-  
fectati sunt, eisque gravibus oppido  
verbis exprobrarunt, quod cum essent  
dntaxat laici, res sacras dijudicare,  
& Episcopalem jurisdictionem impu-  
gnare ausi fuissent. Hanc in rem e-  
didere librum, cui titulus erat, *Dodor*  
*fæmina:* Ast illico Quesnelliæ oppo-  
suerunt aliud scriptum, sub titulo:  
*Jesu Christus anathemati obnoxius;* sacri-  
legum tamen hunc librum S. Indicis  
Congregatio Romæ die vigesima septi-  
ma Novembris Anno 1734. atro stig-  
mate notavit.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1731.

## §. IX.

*Quadraginta Advocatorum libellus  
coram Rege discussus.*

Jam supra retulimus, quadraginta Parisiensis Parlamenti Advocatos in se suscepisse caussam trium Ecclesiasticorum, qui post Regis declarationem pertinacius contra Constitutionem ad Parliamentum appellarunt, ac propterea ab Aurelianensi Episcopo Sacris interdicti fuere. Hanc caussam Ludovicus XV. Franciae Rex jam anni prioris die secunda Octobris ad suum evocavit Tribunal, ac interim præfatis tribus Sacerdotibus severissime inhibuit, ne uilam Ecclesiasticam aut Parochialem functionem exercent, donec a suo Episcopo Divinorum usui fuisser restituti: Parlamento autem prohibuit Rex, ne in hujus caussæ cognitionem sese ingereret: Hoc mandato Parliamentum suæ auctoritati plus æquo derogatum esse censebat, quapropter porrecto libello Regi supplicabat, ut editam nuper declarationem emendare vellet, & caussas ad Parliamentum devolutas non tam frequenter ad sanctius suum Consilium evocaret. Insuper Parliamentum orationem, quam nuper Nemausensis Episcopus ad Regem, no-

Sæc. XVIII. mine Gallicani Cleri in comitiis con-  
A. C. 1731. gregati habuit, tanquam Regiæ auto-  
ritati injuriam denuntiabat: Attamen  
Rex dilaudato hujus Episcopi sermone  
hæc respondit: *Indiculum omnium cau-  
sarum, quas nupera abhinc nostra declara-  
tione in præsenti controversia ad nostrum  
tribunal evocavimus, exhibete, scitote au-  
tem, hanc ipsam declarationem meam esse  
ad instar inviolabilis legis, quam revidere,  
haud decet.* Cum autem Parliamentum  
nonnisi bis vel ter ad Regium tribunal  
caussam esse evocatam sciret, aliud re-  
sponsum ad suum libellum haud ultra  
petebat. Porro Rex quadraginta Ad-  
vocatorum scriptum coram se discuti-  
jussit: Datur examini initium, & com-  
muni judicio declaratur, Auctores eo  
collimare, ut contra auctoritatem tam  
sacram quam profanam populos ad se-  
ditionem concitent, Ecclesiæ Regimen  
ceu tyrannicum atris coloribus depin-  
gant, ac ipsius Monarchiæ fundamenta  
cuniculis oppugnant. Indignabantur  
alii, quod hi Advocati ad tantam de-  
venerint petulantiam, ut quamvis huc-  
usque Quesnelianæ factionis homines  
auctoritatem Ecclesiasticam indignissi-  
mis probris contaminarint, nunquam  
tamen ipsas fundamentalis Regni leges  
concutere, ipsamque Regiam auctorita-  
tem calumniis adeo proterve impetere  
ausi

ausi fuissent, imo potius e contrario sub specioso Status, regnique jura de  
 fendendi prætextu velut per latus leges Ecclesiasticas evertere studuerint, nunc  
 vero erecta fronte Regem in suo libello aggressi, statuerint, quod Parlamenta suam, quam in administranda justitia exerunt, auctoritatem a tota Natione receperint, *Regii throni sint Assistentes, & neminem se suisque decretis superiorem habeant.* Observabant alii, quod hi Legulei auctoritatem Parliamentorum quodammodo potestati ipsius Monarchæ æquiparent, docerentque, quod Rex cum suis subditis non aliter, quam par cum pari agere valeat, & legem ab ipfis met, quibus eam dat, accipere teneatur: Parlamenta vero pro summo imperio agant, & sint perpetui ac Generales Franciæ Ordines, & supremus totius *Nationis Senatus &c.* His expositis Rex supremi sui Consilii decreto Advocatorum Consultationem suppressit, eoquod Regiae auctoritati injuriosas, seditiosas & ad perturbandam tranquillitatem publicam tendentes propositiones contineret: Priusquam vero Rex promerita severitate in ipsos temerarii hujus libelli Auctores animadverteret, ex singulari clementia eis inducias dedit unius Mensis, intra quem illi, qui subscripti legebantur, aut suum

Gg 5 scri-

Sæc. XVIII.  
A.C. 1731.

Sæc. XVIII. scriptum revocarent, aut se illius Auctores non fuisse comprobarent. A.C. 1731. Verum illi, ne ex suis unum alterumve, qui hujus libri vel Auctores vel consciit erant, proderent, culpam in se omnes rejecerunt, spe freti, se tempore magis propitio hoc vitium egregio artificio redempturos. Enimvero huic nodo mox cuneum reperere; cum enim se Auctores fuisse, nec inficiari possent, nec dicta revocare vellent, quin se Regiae auctoritati injuriosa scripsisse farentur, hinc Regi supplicabant, ut asserta explicandi facultatem haberent. Id quoque eorum datum est precibus, hi vero in sua explicatione (an coacte an sincere, dubium est) Monarchicam auctoritatem adeo extulerunt, ut hac in re plene Regi satisfactum esset; cum autem illas propositiones, quibus Episcoporum jurisdictionem penitus extebant, omnino intactas reliquissent, Episcopi, cum Regi datum esset, quod Regis est, vicissim quoque sibi restitui petierunt, quæ ipsis ab hisce Caussidicis injustissime ablata fuere. Unanimi igitur suffragio decrevere, omnes virium nervos esse intendendos, ut sacrum Episcopatus depositum, & sacrata eorum jura, quæ ipsis Advocati eripere moliti essent, redderentur. Igitur Episcopi hac super re ferio inter se consul tabant,

tabant, eorumque potissimi eo abibant, supplicandum esse Regi, ut a secretiori ejus Senatu promulgaretur declaratio, in qua Episcopalis potestas a solo Deo data firmiter stabiliretur. Placuit hoc consilium Cardinali Bissio; Præfulum tamen nonnulli opponebant, timendum esse, ne Parliamentum, si hanc ipsam Regis declarationem ad acta referre recusaret, novam litem interponat. Pensata maturius hac difficultate Bissyus Cardinalis censuit, celebranda esse Præfulum Parisiensium comitia, in quibus Pastoralis instructio contra Advocatorum dictoria, communi opera conficeretur, eaque ad omnes Regni Episcopos transmitteretur, ab eis approbanda. Aliorum vero sententia erat, rogandum esse Regem, ut Conscientiæ Tribunalij injungeret, quatenus illud circa jurisdictionem Episcopis ex jure Divino competentem, & circa errores ab Advocatis evulgatos judicium ferret: At Præfulum potissimi in id concurrebant, ut quivis epistolam Pastoralem ederet, atque Advocatorum errores censuris perstringeret. Ceteris prior erat Embrodunensis Archiepiscopus, qui adversus Montpessulanii Episcopi literas Instructionem Pastoralem, & contra Advocatorum librum censuras unacum alia Instructione circa jurisdictionem Episco-

Sæc.XVIII.  
A.C. 1731.

Sæc. XVIII. Episcopalem, publici juris fecit. Ut  
A. C. 1731. rumque tamen unacum Episcopi Apten-  
sis, optimi Seniculi, epistola a Parla-  
mento tanquam scriptum *temerarium,*  
*seditiosum & ad turbandum Ecclesiæ &*  
*Regni pacem collimans die vigesima nona*  
*Januarii* sicut suppressum. Paucis post  
diebus Regii Quæsitores epistolam Epi-  
scopi Laudanensis denuntiarunt, por-  
recto libello, in quo Ecclesiasticam qui-  
dem potestatem esse supremam & a sola  
Deo dependentem agnovere, nomen  
tamen *jurisdictionis*, non illi, sed soli  
potestati laicæ competere statuerunt.  
Verum contra hunc libellum Episcopus  
epistolam typis impressam vulgavit, in  
qua omnibus suis subditis indicta ana-  
thematis poena sibi soli reservata inh-  
buit, ne doctrinam suæ epistolæ con-  
trariam tuerentur. Die autem decima  
Januarii Archiepiscopus Parisiensis  
contra Advocatorum librum Instruc-  
tionem edidit Pastoralem, rationum pon-  
dere, sermonis gravitate, & soliditate  
doctrinæ longe celeberrimam, & tanto  
Præfule dignam. In ea utriusque po-  
testatis discriminem, illius functiones in-  
ter se distinctas, & duarum clavium  
originem & usum, miro ordine, elo-  
quentia, nitore, & accurata methodo  
explicavit, ac demum Advocatorum  
scripta censuris notavit, eoque circa  
Eccle-

Ecclesiasticam potestatem, primorum  
Pastorum potestatem legislativam, eo-  
rum jurisdictionem, vim & jus ferendi  
pœnas Ecclesiasticas, & circa originem  
& exercitium potestatis clavum plura  
in eis continerentur principia respective  
falsa, perniciosa, potestatis ac juris-  
dictionis Ecclesiasticae eversiva, erro-  
nea, *hæretica*, aut *hæresi* fauentia. Po-  
strema hac censura Advocati in rabiem  
acti ad Parliamentum appellarunt: ubi  
haud immerito observandum, quod  
illud hucusque nunquam de Archiepi-  
scopi vel Episcopi, Pastoris sui *doctrinale*  
*judicium* suam sententiam interpo-  
nere præsumperit, nunc vero, cum  
de propositionibus *hæreticis* ageretur,  
in materia fidei jurisdictionem (scilicet  
oris in Pastorem) sibi arrogarit: Ad-  
versus tam manifestam usurpationem  
Apostolico prorsus Zelo exarsere omnes  
Regni Præsules, ac communi studio  
injuriosos hosce ausus divulgatis ubi-  
que epistolis Pastoralibus reprimere sta-  
tuerunt. Hoc comperto Rex, cum  
graviores adhuc inter Sacerdotium &  
Parlamenta motus pertimesceret, re-  
medium opponere decrevit, & quidem  
die decima Martii sanctioris sui Sena-  
tus decretum promulgari jussit, in quo  
quidem auctoritatem Ecclesiæ a solo  
Deo datam, firmam intactamque ser-  
vari

Sæc. XVIII.  
A.C. 1731.

Sæc. XVIII. vari præcepit, hac tamen super re ge-  
A.C. 1731. nerale imposuit silentium, donec hæc  
controversia aliis mediis penitus fuerit  
extincta: Enimvero hæc silentii lex  
Episcopis pernolesta accidit, animum  
tamen erexere, memores, quod ab  
hac lege illos eximeret jus Divinum,  
ac ipsemet Rex in nupera declaracione  
sua anni prioris die vigesima quarta  
Martii disertis verbis statuerit, nun-  
quam suæ mentis fuisse, Episcopos in  
hac lege comprehendere. Igitur in suo  
decreto Rex severè inhibuit, ne quis-  
quam in dubium vocare præsumat po-  
testatem, quam Ecclesia a solo Deo ac-  
cepisset, Doctrinæ quæstiones circa  
fidem & mores decidendi, pro fidelium  
directione Canones disciplinæ sancien-  
di, Ministros suos constituendi, &  
amovendi, ac fideles ad obedientiam vel  
per sententias vel per primorum Pasto-  
rum censuras compellendi. Voluit  
quoque Rex, ut in omnibus Regni  
Provinciis Ecclesia omnibus, quæ Re-  
ges ejus Prædecessores eidem conces-  
fere, juribus ac privilegiis quiete frua-  
tur tam circa externum Tribunalis  
publici apparatum, illius Ordinem aut  
stylum consuetum, quam circa coacti-  
vam in corpora & bona potestatem, ac  
ejusmodi sententiarum executionem,  
& effectum intra externum Societatis  
ordi-

ordinem resultantes: Denique Ecclesiæ  
asseruit potestatem adh bendi poena-  
rum temporalium terrorem, si poena-  
rum spiritualium metus refractarios  
cohibendo impar foret.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1731.

### §. X.

#### *Epistola Ludovici XV. Franciæ Re- gis ad omnes Regni Episcopos.*

Hoc Regis decretum mox cunctis Re-  
gni Episcopis communicabatur,  
non sine maximo illorum applausu ex-  
ceptum: Gaudebant enim summopere,  
quod Rex suorum Prædecessorum exem-  
plum imitatus, edixerit, Laicis Curia  
nullam cognitionem aut jurisdictionem  
in res & Personas Ecclesiasticas com-  
petere; habebant enim Episcopi in re-  
centi memoria Francisci I. edictum,  
quo Anno 1539. Art. 4. disertis verbis  
fancivit, ut Parlamenta jurisdictionem  
suam exerceant, sed sine præjudicio ullo  
jurisdictionis Ecclesiastice in MATERIA  
SACRAMENTORUM, & in aliis objectis  
mere spiritualibus: Alio decreto Caro-  
lus IX. Art. 15. Anno 1560. idem sta-  
tuit, & Henricus IV. Anno 1606. Art.  
XII. Voluit, ut causæ pertinentes ad  
matrimonium pertineant ad cognitionem &  
jurisdictionem Ecclesiasticam: Recorda-  
bantur quoque Episcopi illius edicti,  
quod

Sæc. XVIII. quod Ludovicus XIII. An. 1610. Mense  
 A.C. 1731 Septembri promulgavit, ubi Art. 4. sic  
 effatur: „Volumus, ut caußæ per-  
 „tinentes ad matrimonium pertineant  
 „ad cognitionem, & jurisdictionem  
 „Judicis Ecclesiastici. Edictum Lu-  
 dovici XIII. An. 1610. Mense Septem-  
 bri Art. 4. sic habet: Volumus, ut  
 „ubi nostri Officiales sub prætextu pos-  
 „sessorii, querelæ, novationis, volue-  
 „rint directe vel indirecte cognoscere  
 „in ulla cauſa spirituali, & concer-  
 „nente Sacra menta, officia, modum  
 „agendi & disciplinam Ecclesiæ, &  
 „inter Clericos, obſerventur, ac cu-  
 „ſtodian tur Ordinationes Regum Præ-  
 „deſſorum noſtrorum, in quibus ex-  
 „primuntur ea, quæ perte nent ad co-  
 „gnitionem Officialium noſtrorum, &  
 „regulatur etiam jurisdictione Ecclesi-  
 „ſtice; ita ut quilibet ſe contineat in-  
 „tra ſuum officium, & intra limites  
 „rerum ad ſe perte nentium, quinqui-  
 „piam in jura alterius involet, quod  
 „illis expreſſiſſime prohibemus. Injun-  
 „gimus noſtris Curiis Parlamenti, ut  
 „Jurisdictioni Ecclesiastice relinquant  
 „cauſas ad ejus cognitionem perte nen-  
 „tes, quales ſunt, quæ concernunt  
 „Sacra menta, & alias cauſas ſpiri-  
 „tuales, & pure Ecclesiasticas, quin  
 „eas ad ſe trahant ſub prætextu po-  
 „ſſorii, vel ſub alia ulla occaſione „  
Nove-

Noverant etiam Episcopi, hanc Sæc. XVIII.  
 ipsam legem Anno 1629. ab eodem A. C. 1731.  
 Rege per edictum Art. 31. his verbis  
 fuisse innovatam: „Prohibemus no-  
 „stris Curiis, & judicibus, ullam co-  
 „gnitionem, & jurisdictionem assu-  
 „mere de caussis spiritualibus; nec de  
 „illis, quæ concernunt administratio-  
 „nem Sacramentorum, & aliis, quæ  
 „pertinent ad Judices Ecclesiasticos;  
 „nec præsumere quidpiam in eorum  
 „jurisdictionem directe, vel indirecte,  
 „ne quidem sub prætextu querelæ  
 „(implorando officium judicis) aut  
 „possessorii annexæ ad caussam spiri-  
 „tualem, conformiter ad Art. 4. Edicti  
 „1610.„

Nec minus ad rem erat declaratio  
 Ludovici XIV. qua Anno 1666. prohi-  
 buit omnibus Curiis Parliamentorum,  
 „& omnibus aliis judicibus, sumere  
 „directe vel indirecte cognitionem de  
 „ulla caussa spirituali, & pure Eccle-  
 „siastica; de Sacramentis & Officio di-  
 „vino; de institutione parochorum,  
 „Vicariorum, & aliorum presbytero-  
 „rum, qui poterunt esse necessarii in  
 „Ecclesiis & parochiis; sive ea cognitio  
 „fiat sub prætextu possessorii, querelæ,  
 „novationis, vel alia ex caussa aut  
 „occasione quacumque.„

Sæc. XVIII. Denique Præsules oblivisci haud  
A. C. 1731. poterant Edicti, quo idem Rex Anno  
 1695. Art. 34. declaravit, quod cogni-  
 tio caussarum concernentium Sacra-  
 menta, vota religiosa, Officium divi-  
 num, „Disciplinam Ecclesiasticam, &  
 „alia spiritualia, pertineat ad Judices  
 „Ecclesiæ. Injungimus nostris Offi-  
 cialibus ac etiam nostris Parlamen-  
 torum Curiis, ipsis non solum relin-  
 quendi, sed etiam remittendi cogni-  
 tionem, quin ullam de rebus hujus  
 naturæ usurpent Jurisdictionem aut  
 cognitionem, nisi interposita fuerit in  
 præfatis Curiis appellatio de abusu  
 ratione quarundam sententiarum,  
 constitutionum, vel actionum ema-  
 natarum in hac materia per Judices  
 Ecclesiasticos, aut ubi agitur de suc-  
 cessione hæreditaria, vel de aliis ef-  
 fectibus civilibus, quorum occasione  
 tractandum fuerit de statu persona-  
 rum defunctorum vel earum libero-  
 rum. „

Magis adhuc in sua spe confirma-  
 bat Episcopos novissimum ipsius Regis  
 sui Ludovici XV. statutum, quo Anno  
 1717. die 17. Octobris mentem suam  
 palam declarabat, his verbis: „Nos  
 „in defensionem, & protectionem Ec-  
 clesiæ positi, ejusque decisionibus  
 „præ infimo quovis nostrorum subdi-  
 torum

„torum subjecti, firmiter sumus per Sæc. XVIII.  
 „suas, veritates ad salutem necessarias A.C. 1731:  
 „a Regibus & populis nonnisi ab Ec-  
 „clesia esse discernendas; neque intendi-  
 „mus potestatem nostram extendere  
 „ad ea, quæ alteri potestati commissa  
 „sunt. Scimus ad eam solam pertinere,  
 „de his sumere cognitionem; neque a  
 „nobis usurpari posse harum rerum exa-  
 „men, quin nos exponamus justæ re-  
 „prehensioni, quod aliter nescierimus  
 „tueri veritatem, quam attentione  
 „manifesta contra potestatem spiritua-  
 „lem, & faciendo majus malum sub  
 „prætextu faciendo majus bonum. Ita-  
 „que in hac re nolumus uti nostra po-  
 „testate, nisi per modum protectoris  
 „Ecclesiæ eo fine, ut aliquando suam  
 „auctoritatem exercere possit in statu  
 „tranquilliore, ac magis idoneo ad se-  
 „cure sperandum successum & fructum.,,

Cum ergo Episcopi Ludovicum XV.  
 a Majorum suorum pietate ac Zelo  
 haud degenerem esse nossent, hac fidu-  
 cia freti, eidem Regi exponebant, se  
 quidem debita submissione ejus literas  
 recepisse, pari tamen veneratione in-  
 sinuare, quod imposita silentii lex illos  
 comprehendere nequeat, cum ipsem  
 Rex Anno 1720. Art. 5. declararit,  
 hunc articulum sic fore executioni mandan-  
 dum, quin sub prætextu silentii impositi

Sec. XVIII. prohiberi possint Archiepiscopi & Episcopi  
 A.C. 1731. ab instructione Clericorum & fidelium suæ  
 curæ commissorum circa obligationem se  
 submittendi erga Constitutionem UNIGE-  
 NITUS. His expositis Episcopi tria in  
 præsenti rerum vicissitudine oppido  
 necessaria Regio edicto adhuc inseri  
 petebant. I. Ut declaretur, per po-  
 testatem Ecclesiae intelligi potestatem  
 Episcoporum, cum Quesnellistæ doce-  
 rent, toti fidelium Communitati in ge-  
 nerali, non autem Episcopis in parti-  
 culari a Deo datam esse potestatem  
 Ecclesiaisticam, nec illos hanc potesta-  
 tem sine consensu faltem præsumpto  
 totius Ecclesiae exercere posse. II. Optan-  
 dum esse, ut Rex in suo decreto adhi-  
 beret verbum *Jurisdictionis*, quia Ad-  
 vocati & Regii Quæsitores hoc verbo  
 ad significandam auctoritatem Episco-  
 palem uti nollent. III. Ut injuria,  
 quæ per Parlamenti edictum Archiepi-  
 scopo Parisiensi illata fuit, reparare-  
 tur: Has Præfulum preces Rex per-  
 benigne exceptit, utque eorum votis  
 satisfaceret, ad oinnes Regni Episcopos  
 literas encyclicas unacum Senatus sui  
 edicto transmitti jussit, declaravitque,  
 Episcopos a Deo recepisse potestatem  
 & jurisdictionem in suos subditos, illi-  
 bate servanda esse sacrata jura a Christo  
 Domino Ecclesiae suæ commissa, seque  
 tota

tota auctoritatis suæ mole, totisque vi- Sæc. XVIII.  
ribus hæc jura defensurum: Præterea, A. C. 1731.  
ut ceteris Episcoporum petitis satis-  
fieret, Fleuryum, Rohanium & By-  
syum, necnon Rothomagensem Archi-  
episcopum, Cancellarium, Regii Si-  
gilli custodem & duos Sanctioris Se-  
natus Consiliarios deputabat, qui hoc  
negotium pertractarent.

### §. XI.

*Burdigalensis atque Aurelianensis Par-  
lamenti motus contra Episcopos  
Sacramenta administrare  
renuentes.*

Cum in Ecclesia nil certius, nilque  
clarior jure Divino stabilitum sit,  
nisi Sacra menta notorie indignis con-  
ferre, esse sacrilegium, Ecclesiæ autem  
Ministris & quidem solis a Deo datum  
esse jus & potestatem dijudicandi, qui-  
nam admittendi, vel ab eis repellendi  
essent, ita Episcoporum non pauci il-  
los, qui contra dogmaticum totius do-  
centis Ecclesiæ judicium de recipienda  
Constitutione notorie rebelles erant, a  
participatione Sacramentorum etiam  
in articulo mortis arcebant. Inde vero  
novi Parlamentorum motus, inclamant  
violatum esse silentium a Rege imposi-

Sæc. XVIII. tum, ipsum Regium thronum concuti,  
A. C. 1731. Ecclesiæ Gallicanæ libertates infringi,  
conscientiis vim inferri, everti leges  
fundamentales &c. Nec in clamori-  
bus hisce hæsit quorumdam Parlamen-  
torum indignatio; nimis enim oppor-  
tuna eis suppeditabatur occasio, qua  
suam auctoritatem in Sacra ampli-  
care, & cognitionem de recusatis Sa-  
cramentis & de recusantibus Episcopis,  
& simul judicium de controversiis inde  
ortis sibi arrogare possent: Quampri-  
mum ergo Parisiis innotuerat, quod  
Aurelianensis Episcopus Dominæ Du-  
pleix ob suam notoriam seditionem  
contra Constitutionem indignæ Sacra-  
menta administrare renuerit, mox Pa-  
risiense Parlamentum publico edicto  
die 28. Aprilis præcepit Episcopo, ut  
Nobilem hanc fœminam ad Sacramen-  
torum participationem admitteret, &  
Sacerdotum nullus ullam exigeret decla-  
rationem circa Bullam *Unigenitus* in  
administratione Sacramentorum. Ve-  
rum Præsul sui officii haud immemor,  
edita Pastorali instructione hanc Par-  
lamenti usurpationem detestatus est,  
ipse vero Regius Senatus Parlamenti  
edictum tanquam irritum nullumque  
die sexta Julii declaravit, potissimum eo  
ex capite, quod Parlamentum in ma-  
teria spirituali, ac Sacramentorum Epi-  
scopo

scopo mandatum imponere præsumperit. Sæc. XVIII.  
 Hac Regis sententia adeo non terre- A. C. 1731.  
 batur Parliamentum Burdigalense, ut  
 non modo Episcopo mandaret, ut in-  
 dignos ejusmodi homines ad Sacra-  
 mentorum usum admittat, sed suam  
 agendi rationem data etiam ad Regem  
 epistola vindicare præsumeret. Verum  
 Rex pro conservandis Ecclesiæ Christi  
 juribus, & reprimendis ausib[us], qui-  
 bus Parlamenta sese rerum Divinarum  
 dispensationi ingerere moliebantur,  
 æquissimo Zelo exardescens, D'Aques-  
 favio suo Cancellario die tertia Junii  
 negotium dedit, ut ejus nomine ad  
 Burdigalense Parliamentum inter alia  
 etiam hæc perscriberet: *Sua Majestas*  
*censuit, longe æquius, ac rei naturæ ma-*  
*gis consonum fore, si rejiciatur supplex ille*  
*libellus, quo a judicibus sæcularibus peti-*  
*tur, ut injungantur parochio administrati-*  
*ones Sacramentorum Pœnitentiæ & Eu-*  
*charistiæ pro persona infirma. Discretio*  
*dispositionum necessariarum ad receptionem*  
*horum Sacramentorum reservata est illis,*  
*qui habent potestatem ligandi & solvendi.*  
 — *Et si præscribendus est in hoc genere*  
*ordo, in materia spirituali tanti momenti,*  
*a solo Episcopo requirendus est. Cum igit-*  
*tur Rex præsumat, ab ipsam magna Ca-*  
*méra jam agnosci suam incompetentiam in*  
*tali materia, credidit, reduci omnia posse*

Sæc. XVIII. ad reflexiones generales, contentas in Epis.  
A. C. 1731. stola Parlamenti. De cetero debemus tenere  
fide firma Catholica, quod sanctum Alta-  
ris Sacramentum nil habeat rei tem-  
poralis, sed totum sit spirituale — &  
quod pro sua magnitudine & excellentia  
non liceat litigare in foro contentioso inter  
laicos, neque in causa possessionis, neque  
alia actione —

Quoniam vero Burdigalense Parla-  
mentum in sua epistola affereret, Bul-  
lam *Unigenitus* esse duntaxat legem di-  
sciplinæ, legemque mere œconomicam,  
hinc Rex per præfatum Cancellarium  
rescripsit: „Nonnisi ad Eccleiam per-  
tinere, determinare, & docere, quis  
sit genuinus character seu natura iua-  
rum decisionum; nec talem materiam  
pertinere ad forum Magistratus, nec  
ab ejus auctoritate dependere, ut  
Constitutioni *Unigenitus* possint appli-  
cari termini improprii ac insufficien-  
tes Regulæ politicæ & œconomicæ,  
disciplinæ, ac præcautionis; neque  
eum posse loqui de hac materia de  
novo, cum Rex conjungendo suam  
auctoritatem cum auctoritate Eccle-  
siae, jam Anno 1730 die 24. Martii  
in sua declaratione ab hoc ipsomet  
Parlamento reverenter & obedienter  
recepta, præceperit omnibus suis sub-  
ditis, ut huic Bullæ deferant venera-  
tio-

„tionem & submissionem, qualis debe- Sæc. XVIII.  
 „tur judicio universalis Ecclesiæ in ma- A. C. 1731.  
 „teria doctrinæ &c.,”

Ubi vero Parlamentum illis, qui  
 Constitutionem non recepere, Sacra-  
 menta denegari haud posse eo ex fun-  
 damento afferuerat, quia nullus pri-  
 vari possit communione, nisi fuerit de-  
 claratus pro excommunicato, ad hoc  
 reposuit Rex: „Auctores hujus epistolæ  
 „scriptæ nomine Parlamenti non fatis  
 „penetrarunt principia hujus materiæ.  
 „Videntur enim confundere velle duas  
 „res valde diversas; nempe recusatio-  
 „nem illis administrandi Sacra-  
 „menta, quos Ministri judicant indispositos,  
 „& poenam excommunicationis. Non  
 „est difficile, monstrare, in quo con-  
 „sistat hæc diversitas. Excommuni-  
 „cationio quidem privat Sacramenta-  
 „rum est excommunicatione. Illa enim  
 „consistit in pæna invitis inficta, qua  
 „vinculatus ob crimen separatur a com-  
 „munione Ecclesiæ, hoc est, a com-  
 „municatione omnium fidelium in cultu  
 „publico & in ordine rerum spiritua-  
 „liam. Alterum vero non tam est  
 „poena, quam denegatio gratiæ, qua  
 „se homo reddidit indignum suo pec-  
 „cato. Dein dependet a reo, tollere  
 „in momento recusationem Sacrame-  
 torum,

Sæc. XVIII. „ torum, si tollat obstaculum; econtra  
A. C. 1731. „ non dependet a reo tollere vinculum  
 „ excommunicationis per sui submissio-  
 „ nem. Vinculum enim hoc tolli ne-  
 „ quit, nisi per potestatem spiritualem  
 „ illius, qui tulit excommunicationem;  
 „ & quamvis reum poeniteat, manet hoc  
 „ vinculum, donec revocetur sententia  
 „ excommunicationis..”

Ita tum Franciæ Rex de Principum  
 jure in Sacra differuit, censuitque,  
 et si haud ignorasset, se suosque Præ-  
 dececessores fuisse & esse supremos Do-  
 minos Territoriales, quorum potestas  
 temporalis circa temporalia immediate  
 a Deo dependeret, & a nulla alia po-  
 testate temporali directe aut indirecte  
 restringi posset.

### §. XII.

#### *Epistola encyclica Ludovici XV. Re- gis ad omnes Regni Episcopos.*

Iterata hac Regis declaracione factiosi  
 omnem honestandæ suæ oppositio-  
 nis prætextum sibi eripi dolebant; pro  
 sua tamen fallendi fœcunditate nodum  
 in scirpo querentes, desperatæ pacis  
 cauſam in ipsos Acceptantes rejicie-  
 bant, palam questi, quod hi Constitu-  
 tionem *Unigenitus* velut *fidei regulam*,  
*symbolum*, ac *professionem fidei &c.* falſo  
 obtru-

obtruderent, & ob inutiles ejusmodi novitates ipsa quoque Sacra-  
menta de-  
Sæc. XVIII.  
negando illos etiam molestarent fideles,  
A.C. 1731.  
quos tamen vel sexus, vel status con-  
ditio, aut ingenii debilitas a discutien-  
dis doctrinæ meritis absolvit. Horum  
querelis quantumcunque frivolis haud  
cunctanter inferviit Parliamentum, quod  
Regi exposuit, Constitutionem nulla-  
tenus esse Regulam fidei, ac propterea  
illos, qui eidem sese opponerent, ne-  
quaquam Sacramentorum usu privan-  
dos esse. Quamvis Rex probe nosset,  
reipsa nullum esse discrimen inter dog-  
maticum universalis Ecclesiæ judicium  
& inter Regulam fidei, nihilominus,  
ut novis altercationibus fomitem, &  
declinandæ subjectionis prætextum  
Appellantibus submoveret, hoc anno  
die vigesima septima Julii ad omnes  
Regni Præsules sequentem dedit epi-  
stolam :

*Ludovicus Dei Gratia Galliæ Rex &c.*  
*Noftis, eos qui fe Bullæ Unigenitus op-*  
*ponunt, ut fideles a subjectione illi debita*  
*avertant, inter varia argumenta urgere*  
*iftud principaliter, quod a fautoribus Bullæ*  
*vocetur Regula fidei; sic enim vocatur in*  
*paucis nonnullis scriptis in Gallia publica-*  
*tis. Itaque hoc tempore plurimum expedit,*  
*ut evitetur expressio hæc non necessaria,*  
*nam occasionem dederit contentionibus æque*  
*peri-*

Sæc. XVIII. periculis ac inutilibus: id certe ansam  
 A.C. 1731. præbuit, ut contra omnem veritatem &  
 verisimilitudinem spargeretur, Episcopos  
 Regni velle Bullam proponere sub hac de-  
 finitione, ac si esset Symbolum ac professio  
 fidei. — Confidit autem sua Majestas de  
 vestra prudentia, non fore a vobis indefi-  
 nite ad omnes fideles extendendas eas præ-  
 cautiones, quas juxta declarationem edi-  
 tam, Anno 1720. prudentia & charitas  
 tantum vult applicari circa eos, qui suis  
 discursibus vel scriptis promeruerunt, ut  
 haberentur pro inobedientibus erga decisio-  
 nes Ecclesiæ. Sperat proin, a Vobis non  
 tolerandum, ut Clerici, Zelo indiscreto  
 acti interrogent personas, quibus conditio  
 sui status, professio, sexus, ac ipsa inca-  
 pacitas non permittit, ut se intromittant  
 in discussionem doctrinæ; siveque eos inqui-  
 tent circa quæstiones excedentes eorum ca-  
 ptum &c.

Præterea Rex die septima Septem-  
 bris cunctos, qui dogmatico huic Ec-  
 clesiæ judicio sese opposituri essent,  
 tanquam rebelles ac seditiosos novo e-  
 dicto declaravit, simulque juxta nu-  
 peræ declarationis tenorem omnibus  
 & singulis circa hasce controversias de-  
 nudo silentium imposuit. vetuitque, ne  
 alterutra pars alteram *hæresis* nota per-  
 stringere, aut aliis convitiis impetere  
 præfumeret. Præterea Parlamento,

ne deinceps se in Religionis controversias ingereret, rursus severissimo editio die trigesima Julii inhibuit, decem vero ex illis Advocatis, qui Parisiensem Archiepiscopum probrofo scripto impetrant, exilio multavat.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1731.

### §. XIII.

#### *Parisiensis Parlamenti edictum circa temporalem Regis potestatem.*

Hac severitate Parisiense Parlamentum adeo non terrebatur, ut etiam eadem adhuc die edictum Ecclesiæ Ministris valde injuriosum promulgare prælumeret; iniquissimo enim ferebat animo, quod imposita silentii lege falsam in Sacram messem mittere, & Sanctuarii jura sibi arrogare prohibetur. Percipiamus ergo præcipuos hujus editi articulos: Declarabat I. quod temporalis potestas immediate a Deo solo & a nulla alia potestate dependeat, nec ab ulla alia directe aut indirecte restringi queat. II. Quod Ecclesiæ Ministri, sub quocunque, etiam cujusdam doctrinæ, prætextu limites inter Sacram & profanam potestatem a Deo præfixos transgredi aut interpretari non præsumant, & quod Canones, & Ecclesiæ Constitutiones non aliter vim legis Regni obtineant,

nisi

Sæc. XVIII. nisi in quantum Regia auctoritate fir-  
A. C. 1731. matæ sunt. III. Quod profanæ pot-  
stati ac jurisdictioni competit exten-  
nam vim adhibere, & Regis subditos  
coercere. IV. Ecclesiæ Ministri Regi,  
& in *casu abusus* de jurisdictionis exer-  
citio necnon de potestate judiciaria,  
quam a Rege acceperunt, imo etiam si  
in ipso potestatis sibi a Deo conceitæ  
usu, quidpiam communi tranquillitatí,  
aut fundamentalibus Regni legibus &  
statutis noxiis deprehenderint, Par-  
lamento sub Regia auctoritate rationem  
reddere teneantur. V. Quod decreta,  
edicta, & sanctiones circa ejusmodi  
leges a Parlamento auctoritate Regia  
fancitæ, debita forma integra promul-  
gentur. VI. Quod nullus, cujuscun-  
que status aut dignitatis directe aut  
indirecte quasdam doctrinas hisce re-  
gulis adversas proferre, scribere aut  
docere præsumat, sub severissimis pœ-  
nis Cum autem Parlamentum hoc  
edicto sibi leges & statuta, quorum  
explanationem ipsemet Rex sibi reser-  
vaverat, condendi auctoritatem arro-  
garet, eapropter Regius Senatus non  
modo ipsius edictum omnino nullum  
esse declaravit, illudque ex Parlamenti  
tabulis eradi præcepit, sed insuper e-  
tiam quosdam Parlamenti Deputatos  
Versalias ex Regis jussu citavit, ut  
ibidem

ibidem temeritatem suam severæ re-  
prehensionis pœna luerent.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1731.

### §. XIV.

#### *Montpessulanus Episcopi edictum a Cle- mente XII. Papa damnatum.*

Jam anno priori Capitulum Cathedrale & Canonici, aliquique Ecclesiastici Ecclesiæ Montispessulanæ publica solemniq[ue] formula Constitutionem *Unigenitus* sincero animo receperant: Inde vero Carolus Colbert de Croysy Montpessulanus Episcopus, juratus hujus Bullæ hostis tam impotenti exarserat ira, ut promulgato edicto liunc subjectionis actum non modo damniaret, sed etiam suis fidelibus prohiberet, ne ipso inconsulto præfatæ Constitutioni fæse subjicerent. Hæc ubi intellexerat Clemens Papa, hujus Episcopi edictum proscriptis die decima septima Augusti edita desuper Constitutione sequenti:

„Quamvis jamdiu in animæ nostræ „amaritudine intelleximus, Carolum „Joachimum Episcopum Montispessu- „lanum, animo sanæ Doctrinæ, ac Ec- „clesiasticæ unitati infensissimo, mani- „feste refragari Constitutioni fe. me. „Clementis P. P. XI. Prædecessoris No- „stri, quæ incipit: *Unigenitus Dei Fi- „lius &c.* Anno Incarnationis Domi- „, nicæ

Sæc. XVIII. „ nicæ 1713. sexto idus Septembris  
 A. C. 1731. „ promulgatæ, imo posthabitæ, plane-  
 „ que contemptis auctoritate & judicio  
 „ Apostolicis tam ejusdem Clementis  
 „ Prædecessoris, quam illius Successo-  
 „ rum fe. re. Innocentii XII. ac Bene-  
 „ dicti etiam XIII. Romanoru[m] Pon-  
 „ tificum Prædecessorum pariter No-  
 „ strorum, qui plura ipsius Caroli Joa-  
 „ chimi Episcopi scripta, quibus eam-  
 „ dem Constitutionem Apostolcam mul-  
 „ tifarie incessere ac impetere niteba-  
 „ tur, condigna perstrinxere censura,  
 „ novis identidem actis ac scriptis in-  
 „ publicum sparsis, pertinacis suæ in-  
 „ obedientiæ & erroris, in quo misere-  
 „ versatur, luculenta nimis dedisse testi-  
 „ monia: quæ quidem omnia & sin-  
 „ gula nobiscum reputantes graviter  
 „ in corde Nostro improbabimus: Di-  
 „ stulimus tamen adversum ea pro pa-  
 „ storialis officii Nostri sollicitudine ali-  
 „ quid palam statuere, ea spe fiducia-  
 „ que detenti, ut agnita tandem a dicto  
 „ Carolo Joachimo Episcopo veritate,  
 „ fractaque animi sui obstinatione, ad-  
 „ spirante Domino possemus, uti Nobis  
 „ summopere in votis erat, resipiscerent  
 „ paternæ dilectionis affectu complecti,  
 „ & cum eo charitatis vinculis rursus  
 „ conjungi. Verum spem, & patien-  
 „ tiā nostrā frustratā elusamque

„ COIN

„comperimus, quemque anxie expecta- Sæc. XVIII.  
 „bamus ad unitatem & veritatem re- A. C. 1731.  
 „versurum, magis in pertinacia & er-  
 „rore obduratum experti sumus. Nobis  
 „siquidem nuper innotuit. quod cum  
 „non ita pridem dilecti filii Capitulum  
 „& Canonici, aliæque personæ Eccle-  
 „siasticæ Cathedralis Ecclesiæ Montis-  
 „pessulanæ, Deo corda eorum tangente,  
 „in unitatis ac obedientiæ spiritu simul  
 „congregati, publico solemniisque actu  
 „memoratam Constitutionem Aposto-  
 „licam pure & simpliciter recepissent. ac  
 „sese illi submisissent; tantum absfuit,  
 „ut dictus Carolus Joachimus Episco-  
 „pus id probaret, suaque accessione  
 „ratum haberet, ut edito contra Man-  
 „dato eundem actum, ac si Episcopalis  
 „Jurisdictionis & obedientiæ sibi de-  
 „bitæ lœsivus esset, proscribere, nul-  
 „lumque declarare, ac insuper, ne  
 „quisquam suorum subditorum se in-  
 „consulto prædictam Constitutionem  
 „Apostolicam deinceps recipiat, pro-  
 „hibere, incredibili ausu præsumperit,  
 „neficiens, oves non teneri sequi Pastorem,  
 „dum eas ad prærupta deducere, vel  
 „pascua venenata ipsis exhibere moli-  
 „tur. Quapropter, ne lenitas ac lon-  
 „ganimitas nostra, cui hucusque pacis  
 „studio induxit, ab æterno ac su-  
 „premo judice redarguatur, Aposto-  
 Hyst. Eccles. Tom. LXXIII. Ii , lict

Sæc. XVIII. „lici Ministerii nostri partes adimplere  
 A. C. 1731. „volentes, auditis desuper nonnullo-  
 „rum ex Venerabilibus Fratribus No-  
 „stris S. R. E. Cardinalibus, plurium-  
 „que in Sacra Theologia Magistrorum,  
 „qui rem mature ac diligenter discus-  
 „serunt, sententiis, de eorumdem Car-  
 „dinalium consilio, præfatum Caroli  
 „Joachimi Episcopi Montispeffulanici  
 „mandatum, cui titulus est. *Ordon-*  
 „*nance de Monseigneur de Montpellier*  
 „*contre la deliberation de son Chapitre*  
 „&c. penitus & omnino nullum, ac  
 „irritum, nulliusque prorsus roboris  
 „& momenti esse, ac perpetuo fore,  
 „Apostolica auctoritate tenore præsen-  
 „tium declaramus: Actum vero, quo  
 „capitulum & Canonici, aliæque per-  
 „sonæ Ecclesiasticæ dictæ Cathedralis  
 „Ecclesiæ sese memoratæ Constitutioni  
 „Apostolicæ submiserunt, ut præfertur,  
 „ab eodem Carolo Joachimo Episcopo  
 „invalidæ, & inique reprobatum fuisse  
 „decernimus. Ad hæc, licet explo-  
 „ratum sit reliqua omnia acta & scripta  
 „per ipsum Carolum Joachimum Epi-  
 „scopum, vel ejus nomine adversus  
 „prædictam Constitutionem, ac ejus  
 „receptionem, præstitamque illi a fi-  
 „delibus obedientiam, aut alias contra  
 „Pontificias sanctiones, novissime e-  
 „dita, ac evulgata Apostolici itidem  
 „cen-

„censuram judicii promerita, eaque <sup>Sæc. XVIII.</sup>  
 „notanda ac perstringenda esse: Nihilo- <sup>A.C. 1731.</sup>  
 „minus reservantes Nobis illorum fin-  
 „gula damnare, ac debita censura per-  
 „cellere, pro nunc supradictum Man-  
 „datum tanquam falsum, temerarium,  
 „erroneum, Apostolicis Constitutioni-  
 „bus, sanctæqne Sedi injuriosum, &  
 „ad schisma, & hæresim tendens, &  
 „aperte schismaticum, eadem auto-  
 „ritate harum serie damnamus & re-  
 „probamus, ac legi seu retineri pro-  
 „hibemus, illiusque impressionem, de-  
 „scriptionem, lectionem, detentionem,  
 „& usum omnibus Christifidelibus, e-  
 „tiam specifica & individua mentione,  
 „& expressione dignis, sub pœna ex-  
 „communicationis per contrafacentes,  
 „ipso facto absque alia declaracione  
 „incurrenta, a qua nemo a quoquam  
 „præterquam a Nobis & Romano Pon-  
 „tifice pro tempore existente, nisi in  
 „mortis articulo constitutus, absolu-  
 „tionis beneficium valeat obtinere,  
 „omnino interdicimus. Volentes, &  
 „auctoritate præfata præcipientes, ut  
 „quicumque Mandatum hujusmodi pe-  
 „nes se habuerint, ilud statim ac præ-  
 „fentes literæ eis innotuerint, loco-  
 „rum Ordinariis, vel hæreticæ pravi-  
 „tatis Inquisitoribus, tradere atque  
 „consignare teneantur; hi vero sibi sic

Sæc. XVIII. „traditum illico flammis aboleri cu-  
A. C. 1731. „rent.,“

Paulopost idem Pontifex die vigesi-  
ma secunda Augusti atro stigmate no-  
tabat *Parisi Diconi vitam* in Belgio  
Foederato typis editam, quam etiam  
Parisienfis Archiepiscopus anni sequen-  
tis die trigesima Januarii proscriptis.

### §. XV.

#### *Parisienfis Parlamenti sententia con- tra hanc Pontificis Confi- tutionem.*

**U**traque hac Pontificis Constitutione,  
iteratisque Regis mandatis Pari-  
siense Parlamentum jurisdictioni, quam  
sibi in Sacra arrogabat, lethale vulnus  
infligi senferat; quapropter novum au-  
toritati robur, ut adderet, die vigesi-  
ma octava Septembris utrumque Papæ  
decretu[m] ceu irritum nullumque de-  
claravit, ac temerario prorsus ausu om-  
nibus Archiepiscopis, Episcopis, cete-  
risque Ecclesiasticis inhibuit, ne quas-  
cunque Bullas, Brevia, aliasque lite-  
ras a Romana Curia transmissas, ni-  
prius Regia concessione ad Parlamenti  
tabulas relata munitæ essent, accepta-  
rent. Cunctis quoque Bibliopolis &  
Typographis severe vetuit, ne ejus-  
modi literas & decreta p[re]l[ato] subjice-  
rent,

rent, aut divenderent. Hoc ausu  
 majorem adhuc Regis indignationem  
 sibi accersebat Parliamentum; die igi-  
 tur nona Novembris, cum rursus suas  
 Sessiones finitis feriis inchoare vellet,  
 binas literas Regio sigillo occlusas re-  
 perit. Quid funesti in iis contineretur,  
 probe prospiciebant Parlamenti Præ-  
 fides, quapropter inter se deliberabant,  
 an illas referare expediret: plurimo-  
 rum autem judicio conclusum, illas  
 omnino intactas esse relinquendas. Hoc  
 comperto eis ex Regis mandato in-  
 junctum, ut eorum, qui literarum re-  
 serationi obstitissent, nomina manifesta-  
 rent, & simul super nupera Regis de-  
 creta deliberationem instituere haud  
 præsumerent. Illi vero ad declinan-  
 dam poenam nil aptius censebant, nisi  
 ut una omnes ad Regis alloquium ad-  
 mitti curarent, suam agendi rationem  
 pro viribus vindicaturi. Placuit cunctis  
 hoc consilium, nec opportuna deerat  
 occasio; noverant enim Regem sine  
 arbitris Marly, & Fleuryum Cardina-  
 lem Issyaci agere. Igitur numero cen-  
 tum quinquaginta die vigesima nona  
 Novembris eo se conferunt, atque in-  
 ter eos supremus Præses Cardinalem  
 de tota rei serie certiore reddit. Præ-  
 ter omnem tamen spem nuntiatum est  
 Præfidi, nolle Regem cum Parlamento

Sæc. XVIII.  
 A.C. 1731.

Sæc. XVIII. loqui. Supervenerat ex improviso Tre-  
A. C. 1731 mesius Dux Regis Cubicularius, quem,  
ut alloquii gratiam Parlamento impe-  
traret, Præses impense sollicitabat,  
cui tamen Rex indignabundus repo-  
suit: *Hos, ut huc venirent, non vocavi,*  
*nec habeo, quod cum illis loquar, abeant,*  
*unde venerunt.* His subjunxit Cardinalis,  
*nōn me latent, quæ unus alterve vestrum*  
*contra me oblocutus est, injuriam mihi il-*  
*latam illis condono, semperque Parlamen-*  
*tum debita veneratione prosequor:* His  
verbis se peti ratus Abbas Pucellus,  
protervius, quam cautius respondit,  
*ubi est hæc venerationis? certum est,* Parla-  
mentum a nullo Ministro unquam, sicut  
hodie, magis fuisse oppressum; *Hoc fatum,*  
reposuit Cardinalis, Parlamentum sibi met  
in caput suum accersivit: cui Abbas, si  
cum Rege agere licuisset, is absdubio de  
æquitate nostræ cauſæ convictus fuisset.

Hac ratione cunctis ad sua remis-  
ſis, die trigesima Novembris ad Par-  
lementum duo Regis edicta transmi-  
tebantur, quorum primo Parliamenti  
Patribus, donec aliter decerneretur,  
Conventus habere interdictum, altero  
autem die prima Decembris ad crea-  
dam Parlamento novam molestiam Ad-  
vocatis permisum est, ut rursus par-  
tium cauſas agere possent. Rege in-  
teriorim Versalias reverso Antonius Por-  
tail

tail Præses scriptotenus explorabat, <sup>Sæc. XVIII.</sup>  
 an alloquii copia esset speranda, cui A.C. 173<sup>1</sup>.  
 tamen responsum, quod Cancellarius  
 Regis mentem proxime Parisiis expli-  
 caturus esset. His nil territus Præses  
 Versalias contendit, cui tamen Cardi-  
 nalis Fleuryus Regis nomine significa-  
 vit, ipsum quidem ad alloquium esse  
 admittendum, ea tamen lege, ut de  
 præteritis nullam ficeret mentionem:  
 nec Parlamentum a Rege benignum  
 expectare posset responsum, nisi prius  
 debitam præstaret obedientiam, & ab  
 inchoatis motibus abstineret: interim  
 vero comitia agere non præsumeret.  
 Cum ergo de alloquii copia conclama-  
 tum esset, Parlamenti Patres die octava  
 Decembris insuperhabito Regis inter-  
 dicto convenere, & sequens decretum  
 ad acta retulerunt: *Tempori cedendum  
 est, & opportuna occasione Regi exponen-  
 dum, quod Parlamentum nunquam leges  
 ferendi auctoritatem sibi arrogarit, sed  
 commissum sibi jus Regia jura tuendi exer-  
 cuerit, hacque de causa antiquis Regni le-  
 gibis, utpote Regiæ potestatis firmamentis,  
 fideliter insistere, inviolate custodire, ac de  
 rebus ad Regis obsequium & Regni com-  
 modum spectantibus consultare studuerit &c.*

Tandem vero Parlamenti Patres  
 Versaliis ad alloquium admissi fuere,  
 ubi Cancellarius Regis nomine eos al-

Sæc. XVIII. locutus sermonem suum his verbis ab.  
A. C. 1731. solvit: *Cuncta, quæ a prima Septembris  
die ad acta retulisti, quantocius delete,  
si vero deinceps Regi obtemperare neglexe-  
ritis, suæ indignationis molem experiemini.*

## §. XVI.

*Historia de fictis Appellantium  
miraculis.*

**C**um ergo Quesnellistæ nec in Regis favore, nec in potentum patrocinio, minus vero in caussæ iustitia spem reliquam haberent, fraudibus atque imposturis rem agere, & saltem improvidis fucum facere decernunt: Præprimis autem eis placuit, veterum hæreticorum exempla imitari, qui ad propagandam sectam nil aptius esse censabant, quam in vulgus spargere, plures suæ factionis homines singulari sanctitatis fama celebres numerari, atque ab ipso Deo eorum errores sanitatum gratiis, mortuorum suscitatione, aliisque prodigiis per ipsos hærefis Autores aut præcipuos ejus patronos perpetratis comprobari. Enimvero Quesnellistæ, jamdudum suorum sanctitatem crepabant, parum tamen adhuc sparso hoc rumore proficiebant; deerant enim in suis miracula; fingenda igitur erant. Nec hoc difficile; prævie enim divulgabant

gabant, Diaconum nomine Franciscum  
 de Paris, qui anno hujus sæculi vi-  
 gesimo octavo deceperat, jam pluribus  
 abhinc annis a Constitutione appellasse,  
 & suæ oppositioni immortuum prout  
 sancte vixisset, ita & in sanctitatis fa-  
 ma deceperat, ac post ejus mortem cre-  
 bra patrari miracula, Viri merita ipso  
 Deo indies prodigiis attestante. Præ-  
 cipuum, atque altiori clamore divul-  
 gatum erat prodigium de quadam puella  
 crurium & oculorum usu destituta. Hanc post novendiales preces ad præ-  
 tenti hujus sancti tumulum fusas visum,  
 pedumque usum recuperasse spargebant:  
 Ut vero huic prodigiose sanationis  
 commento major accederet auctoritas,  
 hoc factum dissertatione typis impressa  
 tot circumstantiis, totque conductitiis  
 testibus munitum publicabant, ut non  
 paucorum credulitatem mirifice falle-  
 rent. Mox ad S. Medardi cæmete-  
 rium, ubi Parisius Abbas sepultus ja-  
 cebat, accurrit turmatim Viri ac fœ-  
 minæ, quas vel novitatis studium, vel  
 credendi levitas aut factionis amor at-  
 traxerat: Ex his nonnulli, superstitione  
 aut falsa imaginatione fascinati, vel  
 auro corrupti se in suis necessitatibus  
 adjutos dicebant. Varius pro sentien-  
 tium varietate hac de re rumor vola-  
 bat, & ingens inde animorum pertur-

Sæc. XVIII. batio, altercatio frequens. Ea res  
A. C. 1731. Parisiensem Archiepiscopum commovit,  
ut factum ex forma juris serio exami-  
nari juberet. Audiuntur prævio jure-  
jurando testes quamplurimi, inquiritur  
sedulo in omnes rei circumstantias,  
examinatur puella, ipsique ejus Paren-  
tes & consanguinei. Manifesto tandem  
apparuit, totum hoc non nisi palmarem  
esse Appellantium fraudem, subdolum  
commentum artificiose ad decipiendos  
fideles incautos excogitatum. Detegi-  
tur, testes auro corruptos, puellam  
nunquam visu privatam fuisse, eam-  
que diu etiam post novendialia, uti  
antea, ita tunc eadem in ambulando  
difficultate laborasse. Eapropter Pari-  
siensis Archiepiscopus die decima quinta  
Julii promulgato edito falsum hoc sup-  
positumque esse miraculum declaravit,  
vetuitque, ne deinceps in sua Diæcesi  
ullum miraculum sine legitima auto-  
ritate promulgaretur, minus vero im-  
postorum ullus Cultus Abbatii Parisiæ  
aut ejus sepulcro tribueretur, vel Missæ  
in ejus honorem celebrarentur. Dam-  
navit insuper panegyrin seu difser-  
tationem de conficto hoc prodigo editam  
ut pote imposturis ad decipiendos fide-  
les excogitatis turgidam, Pontifici &  
primorum Pastorum Cætui injuriosam,  
& erroribus jamdudum ab Ecclesia  
damnatis scatentem.

Pasto-

Pastoralis hæc sollicitudo ipsius quo-  
que Regii Senatus excitavit vigilan- Sæc. XVIII.  
A. C. 1731.  
tiam; mox enim Regis jussu in eos,  
qui se ad Parisii tumulum sanatos jacti-  
tabant, inquisitum, deprehensumque,  
quosdam turpiter deceptos, alios ne-  
quiter decepisse, omnes de impostura  
convictos. Eapropter ex Senatus sen-  
tentia horum non pauci exilio, alii se-  
veris admodum pœnis mulctati sunt,  
omnibus vero cæmeterium adire inter-  
dictum, ac illud denique occlusum, &  
satellitibus munitum est. Horum sup-  
plicio ceteri Appellantes adeo non sa-  
pere incipiebant, ut etiam spreta tunc  
Ecclesiastica tum Regia auctoritate to-  
tam suam rabiem in legitimum suum  
Pastorem exonerare, eumque Clero ac  
populo invisum reddere certarent. Eo  
fine Parisiis eodem ferme die tres in-  
fames libellos sub titulo: *vita Domini  
Paris Diaconi* in vulgus sparsere. Ho-  
rum Auctores in schismatis & erroris  
patrocinium afferebant, Ecclesiam ab  
Episcopis ad excidium promoveri, Ap-  
pellantes, utpote vera Ecclesiæ mem-  
bra, tam ab Ecclesiastica quam Laica  
potestate ob fidei puritatem non minus  
acerbe quam injuste vexari, ac pro-  
pterea paratos se esse ad subeundum  
pro veritate martyrium, præcipue si  
periculum capitis ob defensionem ali-  
cujuſ

Sæc. XVIII. cujus Sancti intentaretur. Præterea A. C. 1731. libellorum Auctores statuebant, pro ad-  
 discenda fidei nostræ Regula nec ad Sedem Apostolicam nec ad Pastorum Cætum esse recurrendum; fidei enim veritates haud amplius per Apostolorum, eorumque Successorum ministerium cunctis Nationibus innotescere, illam duntaxat esse veram fidei doctrinam, quæ ex sepulcro Abbatis Parisii disceretur, proin ad hunc pro obtainenda a Deo vera intelligentia esse recurrendum. Nempe nil magis commune est hæreticis, quam fidei suæ certitudinem in errorum suorum Auctoribus collocare. Porro fanaticos hosce libellos ab Archiepiscopo Parisiensi fuisse damnatos, eorumque lectionem indicta anathematis pœna omnibus prohibitam, jam supra memoravimus.

### §. XVII.

#### *Continuatio ludicræ scenæ ad Parisiū tumulum.*

Appellantes ad Pastoris sui vocem surdi, unice intenti erant, ut in suo Parisio novum sectæ Thaumaturgum ubique proclaimarent; haud exiguum enim factionis suæ incrementum ab eo sperabant Viro, qui in vita sua genuinum veri Quesnelistæ characterem

rem expressit, & tamen post mortem miraculis inclaruit. Studiose igitur in ejus vitæ Historia inculcabant, quod Parisius singularem modestiam, morum severitatem, disciplinæ rigorem, solitudinis studium, & laxæ doctrinæ aversionem præsetulerit: Nec oblitiscebantur ejusdem Praecones memorare, quod multis ante obitum suum annis, etiam Paschali tempore a frequentanda S. Communione abstinuerit, necnon ex Conscientiæ teneritudine Constitutio-  
nem *Unigenitus* acerrime infectatus fit, generoso minarum contemptu suam appellationem innovarit, & morti proximus intrepide declararit, quod in suo proposito constans usque ad extremum vitæ halitum perseveraturus esset. Hanc vivendi rationem tenuisse Parisium, solerter annotabant Appellantes, quæ cum exacte eorum responderet principiis, extremos adhibuere conatus, ut illam miraculis quoque comprobata-  
tam esse fingerent: Per gradus tamen credulæ plebi hanc opinionem instilandam esse censebant; primo igitur post Parisii mortem rudiores ex omni ætate & sexu ad frequentandum Thau-  
maturgi sui sepulcrum incitabant, postea ad occultandam nequitiam novennas devotiones institui curarunt: demum frequenti, ac promiscuo hominum con-  
cursu

Sæc. XVIII. cursu sic conciliato, facile erat, quos.  
A.C. 1731. dam dato auro & argento corrumpere,  
ut se gravi quadam ægritudine oppres-  
tos fingerent, seque ad Parisi tumulum  
a morbo liberatos mentirentur. Tam  
prosper artificiosæ deceptionis succe-  
sus quosdam sectæ Presbyteros anima-  
vit, ut psalmorum cantum ad novi sui  
sancti sepulcrum utriusque sexus voci-  
bus successive alternarent: Non deerant  
maximo numero mendici, qui conducti-  
tia opera se gravissimis morbis affectos  
dictitabant, & miras membrorum con-  
vulsiones simulabant. Videbantur tam  
furioso corripi entusiasmo, ut ratio-  
nis impotes cunctis membris contre-  
miscerent, sese vehementissimo impetu  
in terram projicerent, caput & oculos  
incredibili celeritate agitarent, & ver-  
mibus haud absimiles caput in gyrum  
usque ad pedes intorquerent, mox  
vero sese præcipiti impetu ope cuius-  
dam trochlearum sub vestibus occultatæ  
in altum extollerent, ac demum su-  
dore ubertim effuso suæ infirmitatis  
lenimen sentire mentirentur. Alii ca-  
pite in murum alliso manus & pedes  
vi extendi, pedibus eonculcari, & ca-  
pite deorsum suspendi petebant, non  
pauci vel pugno vel vola manus verbe-  
rari, alii dorsum, stomachum, lum-  
bos, & femora fustibus dedolari postu-  
labant,

labant, fingentes, se hac ratione ex Sæc. XVIII.  
morbi sui vehementia nonnihil recreari. A.C. 1731.  
Ad histrionicos hosce ludos quotidie ac  
singulis horis confluxerant pene innu-  
meri, & tota ferme Parisina Civitas  
prodigiorum, quæ jactabantur testem  
agere videbatur: Ipsa etiam Ecclesia  
S. Medardi in publicum gesticulatorum  
theatrum transformabatur, in quo Re-  
ligioni indignissime illusum, & vera  
illius miracula in derisionem & con-  
temptum versa fuere. Porro Clemens  
Papa vitam Diaconi Parisii cunctosque  
libellos, quibus ejus sanctitas & mira-  
cula asserebantur, die 22. Aug. per  
S. Inquisitionis decretum proscriptis,  
præcepitque sub anathematis poena,  
ut extractum e tumulo ejus cadaver  
in occulto loco sepeliretur.

### §. XVIII.

#### *Varium judicium de prætenis hisce prodigiis.*

Singulari animi lætitia in jactitatis  
Parisii miraculis exultabant quidem  
Jansenistæ, ostentantes, caussæ suæ  
æquitatem ipsius Cæli suffragio com-  
probari: non tamen omnes Appellan-  
tes & Jansenistæ hisce gesticulatoribus,  
qui Convulsionistæ vocabantur, applau-  
debat; quinimo ex Jansenistis præci-  
pui

Sæc. XVIII. pui numero sexaginta edito scripto pa-  
A. C. 1731. iam declarabant, quod cum fanaticis  
hisce hominibus nil commune haberent,  
nec eos ad ludicros hosce jocos inci-  
tarint: Alii vero insolitas illorum con-  
torsiones, & motus velut Divini Spir-  
itus afflatum respiciebant; & jamdu-  
dum ante Parisii obitum enthuſiaſticos  
eiusmodi Jansenistas, qui ſe *Illuminatos*  
dicebant, Inventore Abbatे Becheran-  
tio, exſtitifſe gloriabantur. Inde ac-  
cidit, ut Convulsionarii in censum Jan-  
ſenistarum & Appellantium promiscue  
venirent, quamvis in duas potiſſimum  
clafes Convulsionistæ partirentur: &  
eorum nonnulli *Mitigistæ*, alii *Melan-  
gistiæ*, Ultrajecti ad Rhenum orti, & in  
varios adhuc errores alios prolapsi dice-  
rentur. Inter ipſos etiam Appellantes  
ſchisma exortum eſt; ex his enim nu-  
mero triginta miraculorum veritatem  
quidem in edita Consultatione propug-  
nabant, ipſas vero convulsiones vel  
diaboli ope, vel phantaſtica vi fieri  
afferebant. Unde *Consultantes* voca-  
bantur: Hæc ipſa tamen diversitas,  
reique novitas anſam præbuit, ut de  
hisce Sectariis eorumque lusibus varia  
judicia, & crebra ſcripta in lucem  
protruderentur. Mirabantur non pauci,  
homines ratione præditos ad tantam  
prolabi poſſe infaniam, ut agnitos  
erro-

errores imposturis, ac inferni suppetiis, Sæc.XVIII.  
illicitis ac sacrilegis mediis incredibili A.C. 1731,  
pertinacia defenderent: ast diuturna  
experientia compertum haberi ajebant,  
quod homines seditioso & fanatico spiritu  
semel agitati ad quævis audenda, at-  
que ad abominanda scelera projecti  
sint, & quo longius a veritatis lumine  
per propriam culpam aberrant, eo  
profundius in densissimas seductionis,  
superstitionis & fascinationis tenebras  
demergantur. Alii prætensa hæc mi-  
racula ascribebant vel corruptæ Phan-  
tasie, aut occultæ vi naturæ, vel pie  
fascinatæ imaginationi, vel Jansenista-  
rum fraudibus, ac denique maligno  
Spiritui; saepe enim contingit, teste  
S. Augustino tract. 7. in cap. 1. Joan.  
n. 6. ut mali Spiritus seducant per lig-  
turas, per præcantationes, per machi-  
namenta inimici, & misceant præcan-  
tationibus suis nomen Christi. Ex ipsis  
quoque Protestantibus nonnulli horum  
prodigiorum falsitatem detegebant,  
atque inter alios Ultrajectensis nomine  
Des Voeux edidit dissertationem in mi-  
racula reliquiis Parisii attributa, quæ  
nullum veri characterem habere ostendit,  
subjunxitque undecim epistolas  
de miraculis, ubi veri miraculi nota  
in genere, & in specie desiguat, ea vero,  
quæ a Jansenistis Parisio attribuuntur,  
*Hist. Eccles. Tom. LXXIII.* Kk me\*

Sæc. XVIII. merito esse rejicienda demonstrat: Scrip.  
A. C. 1731. psit etiam Joan. Laurentius Mosheimius *inquisitionem in veritatem miraculorum Francisci de Paris sæculi nostri Ihamaturgi*, cuius hæc verba probe notanda occurunt. *His fraudibus (sædis nimis prodigiis, visionibus & miraculis Jansenistarum) ita illorum acuitur improbitas, qui libidinum suarum amore omne, quod sacrum & Divinum dicitur, spernunt, ut certissima Jesu Christi ejusque Legatorum miracula nihilo firmiora & veriora illis commentitiis esse, publice dictitent, idque olim fortasse contigisse, quod ipsi hodie rident, levissime suspicentur.*

Præterea Campbellus editis dissertationibus de miraculis, & Vernetus in tractatu de veritate Christianæ Religionis, & Auctor tractatus dogmatici de falsis ævi nostri miraculis conficta hæc prodigia, convulsiones, ceteraque ejusmodi nugas solide impugnabant, eo ex capite, quod in omnibus hisce ludricis sanationibus circumstantiæ obversarentur, quæ Dei providentia indignæ, rationi repugnantes & honesto fine destitutæ, ac unice ordinatae essent, ut Janseniani errores stabilirentur, & fideles a submissione Ecclesiæ decisionibus debita abstraherentur: ejusmodi autem miracula utpote vel diabolica vel conficta ac falsa sine ulte-

ulteriori examine rejicienda forent. Sæc. XVIII.  
Pariter Lilienthalius aliique fanaticam A.C. 1731.  
hanc stultitiam soleat impugnabant.

Non deerant tamen Parisinæ fatuitatis Vindices, quos inter præcipuus erat Maupasius, qui contra Dominum de Voeux tractatum scripsit *de miraculis*: prodiit etiam anno sequenti libellus, cui titulus: *Collectio miraculorum, quæ ad tumulum Abbatis de Paris perpetrata fuere*: Præter hos plures alii in defendendis ludicris hisce jocis calamos suos exercuerunt, non alio successu, nisi ut ipsimet saniores Jansenistæ pertimescerent, Parisii sepulcrum brevi fore Jansenianæ factionis tumulum.

### §. XIX.

#### *Fatum Montgeronis celebris Fanatici.*

Abuter Lectoris patientia, si cuncta jocularia commenta, prætentas fanationes, & convulsiones, quas per viginti ferme annos ad invocationem sui Parisii factas fanatici deprædicabant, recensere aggrederer. Adjunxisse sufficiat, quod dementia, superstitione atque abusus eo præcesserit, ut cæmeterii portam muro obstruere, & interposita Regis auctoritate confluentes repellere, pertinaces exilio ac carceribus multare & privata eorum con-

Sæc. XVIII. venticula dissipare, necesse fuerit. Præ  
A. C. 1731. ceteris vero poenæ severitatem expe-  
riebatur singularis notæ Enthusiaſta, quem cum status sui dignitas & sin-  
gularis eruditionis fama plurimum com-  
mendaret, quo periculofior erat in ce-  
teris exempli pravitas, eo gravius sup-  
plicium criminis atrocitas de eo de-  
poscebat. Erat is Carre de Montgeron  
Parlamenti Parisiensis Senator, ingenii  
acumine præstans, in conversando affa-  
bilis, ab omnibus in honore habitus;  
cetera Vir dissolutæ vitæ, nulliusque  
Religionis. Hic die septima Septem-  
bris hoc anno novitatis fama accitus,  
ad cæmeterium S. Medardi accessit,  
ibidemque maximo numero homines  
flexis genibus ad sepulcrum Parisii Ab-  
batis procumbentes reperit: Et ecce!  
repente, quo instigante incertum, ani-  
mum suum sanctitatis fama inclare-  
scendi desiderio accensum sentit, pie-  
tatem exterius simulat, & se, citius  
Divo Paulo, in novum hominem esse  
conversum jactitat. Facto hoc initio  
se convulsionistis aggregat. & ipsus in  
ludicro hoc theatro primarium Enthu-  
siaſtam agit. Contigit sequenti anno,  
ut ex Regis mandato ipse cum ceteris  
Parlamenti Senatoribus ad Alvernæ  
Alpes relegaretur, ubi nulla temporis,  
honoris, fortunæ, quietis & libertatis  
habita

habita ratione. ( Tantum habet virium <sup>Sæc.XVIII.</sup> in Religione fanaticus ) firmo animo <sup>A.C. 1731.</sup> statuit, omnia, quæ spargebantur, Parisii miracula in unum volumen contrahere, nova fingere, eorum veritatem pro viribus comprobare, ac denique ipsimet Regi insanum hoc opus porrigerere: Intra exiguum temporis spatium justæ molis volumen absolvit, Parisiis sex millia exemplorum propriis suis sumptibus excudi curat, & præfixa ad Regem nuncupatoria epistola titulum libro inscribit sequentem: *Veritas miraculorum per intercessionem Domini de Paris patratorum contra Senensem Archiepiscopum.*

Porro die vigesima Junii nigro habitu, & palliolo indutus, Versaliis Regem adit, eique librum consignat, in quo præclaras veritates, clandestinas contra Regiam auctoritatem machinationes, & multa alia ad Regis obsequium, & Religionis incrementum necessaria detegi ajebat. His perceptis Rex librum Villaregio Duci tradidit, Fleurio autem Cardinali paulopost adventanti manifestavit, sibi ab incognito Viro hunc librum fuisse consignatum. Loquentem interpellat Heraultus supremus politicæ rei Praefectus: *En,* inquit, *En Parisii miracula! hujus libri a Montgerone scripti quinque millia exemplorum*

Sæc. XVIII. *rum hodie intercepi, eoque fine Versalias*  
A.C. 1731. *veni.* Hoc dicto Rex Montgeronem  
comprehendi jussit, qui tamen distributis aliquot exemplis jamjam Versaliis  
ad exilii sui locum recesserat. Paulopost tamen missis eo Satellitibus ad  
Bastiliæ carceres abductus est, incas-  
sum viginti duobus Parlamenti Sena-  
toribus pro eo die secunda Augusti de-  
precantibus. Tandem vero Rex illum  
e custodia ad Abbatiam S. Andreæ  
prope Avenionem abduci mandavit,  
ea tamen lege, ut de Parisii miraculis  
in perpetuum sileret. Illuc igitur die  
nona Octobris milite stipatus venit,  
ubi tamen Archiepiscopi jussu S. Sy-  
naxis usu interdictus est, eadem pœna  
Vivarii, quo demum abducebatur, a  
Parocho multatus: Ejus vero librum  
non modo Rex sed ipsum etiam Parla-  
mentum proscripsit, ac retineri seve-  
rifissime inhibuit, quinimo petente Ora-  
tore Gallico omnia illius exemplaria  
tam in Galliis quam in Belgio typis  
excusa Bibliopolis in Provinciis Fœde-  
ratis erepta, atque in Franciam trans-  
missa fuere: Doctissimus quoque Pater  
La Taste Benedictinus inauspicatum  
hunc Montgeronis partum egregie con-  
futavit, edito libro, cui titulus: *Se-  
nator deceptus seu viðima Jansenianæ fa-  
ctionis;* paulopost tamen in hujus Fa-  
natici

natici defensionem duo alii prodierunt libelli, ac insuper habito Regis mandato ipsummet Montgeronis opus iterato prælo excusum est, cujus tamen omnia ferme exempla a Heraulto rursum intercepta fuere. Ceterum per viginti ferme annos adhuc viguit hæc miraculorum fama, quam insania invexit, fanaticismus fovit, dolus auxit, & pertinacia defendit, tandem vero sanæ rationis imperio sensim ac penitus evanuit, haud absimilis quibusdam torrentibus, qui in primo cursu augentur, & pedetentim in fabulo evanescunt.

Porro ea, quæ hac in re retulimus, auctoritate & testimonio Sapientissimi Pontificis Benedicti XIV. confirmare, haud abs re erit: En ipsius verba ex celeberrimo ejus opere de Beatif. Lib. IV. Part. I. cap. 7. n. 20. & seqq.

Notum est, annis præteritis ex hac vita deceisse quemdam Diaconum nomine Parisium, & ejus Corpus traditum fuisse sepulturæ in cæmeterio sancti Medardi Civitatis Parisiensis. Prodiit ejus vita, & in variis locis edita typis est. Quam infensus fuerit ille Constitutioni *Unigenitus*, ab Authore non dissimulatur. Appellationes ad Generale Concilium plures interpositæ, & nova in ultimo vitæ agone appellatio excogitata tamquam veræ fidei signa

Sæc. XVIII.  
A. C. 1730.

Sæc. XVIII. extolluntur. Non modo ab Authore  
A. C. 1731. vitæ populi frequentia ad ejus Funus,  
& innumera propemodum concurren-  
tium multitudo ad ejus Sepulchrum  
describuntur, sed multa præterea edita  
sunt volumina miraculorum, & prodi-  
giorum, quæ ejus invocatione patrata  
dicebantur. Faventes appellantibus  
a Constitutione *Unigenitus* ad Generale  
Concilium supplices libellos exhibue-  
runt Archiepiscopo Parisensi, ut juri-  
dicam cognitionem caperet de præ-  
dictis prodigiis, & miraculis, eaque  
referri in acta juberet. Non modo in  
libellis exhibitis, sed etiam in aliis scri-  
ptis late demonstratum est, cultum pri-  
vatum impediri non posse, & tales  
esse eum, qui exhibebatur erga Dia-  
conum Parisium, licet in publico ex-  
hiberetur. Præterea non destiterunt  
multa affere pro statuenda veritate affer-  
torum miraculorum & ut demonstrare-  
tur, sanationes excessisse vires naturæ.  
At plures in Galliis Præfules doctrina  
& Zelo fidei Catholicæ præclarissimi  
hifce conatibus obstiterunt, inter quos  
principem locum obtinuerunt Archiepi-  
scopi Parisiensis, & Senonensis. Me-  
dici scriperunt, & facta prorsus asserta  
miracula demonstrarunt; &, quatenus  
sanationes veræ fuissent, nihil in  
eis intersuisse, quod vires naturæ supe-  
raret.

raret. Theologi, quorum verba in <sup>Sæc. XVIII.</sup>  
 hoc eodem capite retulimus, invictis A.C. 1731.  
 hoc ipsum præstiterunt argumentis,  
 Christianissimus Rex ex avita pietate  
 ac religione suum non destitit potentissi-  
 sum suppeditare auxilium Archiepi-  
 scopo Parisiensi. & claudi jussit Cæme-  
 terium sancti Medardi, cum ex Medi-  
 corum attestationibus recte novisset,  
 ratione & veritate carere, quæ de Dia-  
 cono Parisio prædicabantur; uti appa-  
 ret ex ejus *Edictis die 27. Januarii 1732.*  
*& die 17. Februarii 1733.* Sanctissimus  
 quoque Pontifex Clemens Papa XII.  
 prævio consilio Congregationis Sanctissimæ Inquisitionis, vitam Diaconi Pa-  
 risii proscriptis tamquam continentem  
 propositiones, & assertiones falsas, pia-  
 rum aurium, ut est formula, offensi-  
 vas, scandalosas, authoritatitum sanctæ  
 Sedis Apostolicae, summiq[ue] Pontifi-  
 cis, tum Ecclesiæ & Episcoporum,  
 præsertim Gallicanorum, injuriosas,  
 temerarias, impias, Hæreticis faven-  
 tes, erroneas, atque etiam schismati-  
 cas & hæreticas, & hæretico spiritu  
 plenas; uti colligitur ex *Decreto edito*  
*die 22. Augusti 1731.* *& die 29. diidi Mensis*  
*affixo, & publicato, & per Literas Apo-*  
*stolicas in forma Brevis die 29. Jun. 1734.*  
 consimili censura proscriptis Edictum  
 Episcopi Antissiodorensis referens &

Sæc. XVIII. approbans quoddam assertum miracu-  
A.C. 1731. lum, quod in sua Diæcesi patratum  
dicebat intercessione supra memorati  
Diaconi Parisii.

Totus & universus rerum gestarum contextus eo unice collimabat, ut Homo Apostolicæ Sedi refragans, schismaticus, hæreticus, acerrimus impugnator Constitutionis, quæ incipit *Unigenitus*, pertinax Jansenistarum affecia, falsis ipsi attributis miraculis, imaginem solidæ virtutis & Sanctitatis præferebat. Sancte ergo & prudentissime supra memorati Episcopi Gallianoi abstinuerunt ab inquisitionibus juridicis, & sancte ac prudentissime infano, & temerario cultui obstiterunt. Licet enim ex alibi dictis publicus tantum Cultus prohibetur erga non Beatoctatos, aut Canonizatos, nec publicus sit Cultus, qui exhibetur in publico, sed qui exhibetur auctoritate Ecclesiæ, & fama aut insignis virtutis, aut miraculi viam aperiat inquisitioni juridicæ ab Ordinario assumendæ; hæc tamen, & similia sibi vindicant locum, cum agitur de Dei Servo, qui pie in Domino obiit, qui dum viveret, non populari, nec fictitio rumore, sed solida virtutum fama præfulsit. Quod si res sit de homine, de cuius Fide & Religione suspicio sit, tantum abest,

ut

ut cultus privatus erga eum permitti possit, vel ut de assertis ejus miraculis instituenda sit inquisitio, ut contra debeant Episcopi omnem Cultum, licet privatum, amovere, & ab omnibus abstinere, quæ indebito cultui proxime, aut remote favere possint, juxta exempla, a nobis allata lib. 2. cap. 8.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1731.

Post primam hujus operis editionem, quidam Montgeronus, qui gloriatus est, se a Deistarum insania ad Jansenistarum disciplinam prodigiose fuisse conversum, id est a Carybdi, ut ajunt, in Scyllam incidisse, pugnans pro Jansenistarum doctrina, veritatem miraculorum a Diacono Parisio perpetratorum magna jactantia & facundia conatur vindicare in Opere a se vulgato. Quidam alias ex Protestantium secta de Voeux Amstelodami Anno 1740. typis edidit Criticam generalem Librorum dicti Montgeroni super miraculis Diaconi de Paris. Opus in epistolas divisum est, & epist. 8. & 9. fatis apte & solide ostendit, miracula a Montgerono narrata, tamquam facta intercessione prædicti Diaconi, aut esse mendaciorum & falsitatis plena, aut, si quid veri habent, id omne non Divinitus, sed naturaliter contigisse. Ceterum præfationem operis, & alias epistolas si percurras, plura occurruunt

hæ-

Sæc. XVIII. hæretica dogmata, ob quæ jure ac  
A. C. 1731. merito liber fuit a Sacra Indicis Congregatione proscriptus. Intolerabilis autem mendacii, impiæque falsitatis nota inurendum est id, quod legitur *epist. 7. pag. 223.* Regulæ omnes, quæ ad examinanda miracula a Pontificibus præscribuntur, & cum veritate ad amissim consentire prædicantur, hujusmodi sunt, ut falsis etiam miraculis (quemadmodum probari facile posset, si locus hic esset eas excutiendi) mirum in modum possent accommodari. Si enim forte, quæ in hoc nostro opere adducta sunt, Author perlegisset, profecto non scripsisset, regulas a Romana Sede præscriptas pro discernendis miraculis posse falsis accommodari, idque probari facile posse.

Præterea prætensa illa Parisii miracula nil aliud quam sacrilegam Appellantium fraudem ac imposturam fuisse, luculenter ex ipsa eorum inquisitione magis seria apparuit; constitit enim, eorum, qui se fanatos mentiebantrū, auro corruptos, vel morbum finxisse, vel sanitatem simulasse, moxque finita scena ludicra iisdem infirmitatibus laborasse, quo circa ingenioso hoc carmine a quodam Poeta hisce miraculorum nundinatoribus illusum est:

Cernite Parifii, quæ sint miracula,  
nempe

Sæc. XVIII.

A. C. 1731.

Quæ fana exivit, mox redit  
ægra domum!

Parifii, sectam contemnite, Pari-  
sienses

Hic etenim sanus, qui fuit,  
æger erit.

### §. XX.

#### *Historia de Sanguisugis seu de Vampy- rismo in Sclavonia. &c.*

Jam ab aliquot annis haud incertus  
per orbem volabat rumor de Vam-  
pyris seu Sanguisugis. Hos in variis  
Regionibus extitisse, qui negaret, te-  
merarius foret; id enim tristis expe-  
riencia, juridica & frequens inquisitio,  
necnon legitima comprobant exempla  
& testimonia: qua autem virtute, &  
an singulares, qui narrantur, effectus  
inter Divinæ providentiae, & naturæ  
arcana, vel inter perturbatae & cor-  
ruptæ infirmorum phantasie, vel inter  
populi nimis creduli commenta aut epi-  
demici fanatismi symptomata, vel dia-  
boli illusiones sint reponendi, decidere,  
præsumptuosum esset: sicut enim, in-  
quit Plinius, *multa fieri non posse, prius-  
quam facta sunt, judicantur, ita multa  
quoque, quæ antiquitus facta, quia nos ea*  
*non*

Sæc. XVIII. non vidimus, neque ratione affequimur, ex  
A.C. 1731. iis esse, quæ fieri non potuerunt, judica-  
mus. Quæ certe summa insipientia est.  
Historicus vero tutissima incedit via,  
si suspenso suo judicio rem. prout con-  
tigisse, Viri fide digni testantur, refe-  
rat. Igitur Vampyrios dicunt illos ho-  
mines, qui post mortem jam aliquam-  
diu sepulti, e suis tumulis exurgere,  
atque ex viventium corporibus sangu-  
inem sugere, eosque sensim trucidare, sic-  
que trucidatos, vicissim in Vampyros  
convertere creduntur, haud aliter ac  
canis rabidus venenum suum effundit  
in illum, quem momordit. Ejusmodi  
homines frequentiores erant in Sclavonia,  
unde etiam nomen *Vampyr*,  
quod Sclavonico idiomate sanguisugam  
significat, exortum est. Existimant  
nonnulli, jam in ipsis Strygibus, lamiis,  
Magis, & veneficis Vampyriorum speciem  
sæu vestigium reperiri, eoquod veterum  
opinio fuisset, quod hujus generis ho-  
mines ex viventium corporibus sangu-  
inem sagerent, eosque trucidarent, de  
quibus Poeta sic cecinisse videtur:

Carpere dicuntur lactantia viscera  
rostris,

Et plenum poto sanguine guttur  
habent.

Verum hi, si tamen vel unquam  
existitere, multum a Vampyriis hujus  
sæculi

sæculi differunt: Jam Anno 1693 in Polonia & præcipue in Russia ejusmodi Vampyrios fuisse grassatos, publicis literis afferebatur. Hi pleno meridie usque ad seram noctem comparebant, & hominum imo quandoque etiam animalium sanguinem tam furiose fugabant, ut ex eorum narribus, ore & auribus sanguis copiosissime efflueret, & tumba, in qua Vampyrii cadaver jacuerat, in humano cruento natare videretur. Noctu etiam hi Vampyrii molestabant homines præsertim eorum affines & cognatos, quos arcto complexu stringentes, exsucto sanguine extenuarunt, ac tandem interemerunt. Jam tum remedii loco vel Vampyriorum corda pugione transfossa, vel caput a truncu abscissum est. De his tamen Vampyriis haud constat, eos, qui ab his vexati fuere, in Vampyrios postea degenerasse. Recentiora autem de his firmiusque comprobata exempla ad hunc annum suppeditat Hungaria, Sclavonia, & Servia Turcica. Et quidem Madraygæ Hungariæ oppido quidam ex Heyduquis seu Heydonibus, nomine Arnoldus Paul Anno 1728. a quodam Vampyrio saepius graviterque vexatus, mortis periculum hoc (ut fertur) remedio evasit, corpus nempe suum hujus Vampyrii sanguine fricabat

&amp;

Sæc. XVIII.

A. C. 1731. & de pulvere sepulcri, in quo hic Vampyrus jacuit, comedebat: Siem mortem eluctatus, uno post anno obiit, sed & ipse Vampyrismo infectus, multos alias fugendo infestavit, eisque mortem consivit. Ne ergo oppidum adhuc pluriū cæde foedaretur, Arnoldi sepulcrum quadragesimo post ejus obitum die apertum est, cumque ejus cadaver omnia Vampyri signa præferebat, remedio tum usitato ipsius cor palo transverberatum est, quo facto mortuus, acsi adhuc viveret, horrendum edidit clamorem.

Hoc item Anno 1731. septendecim diversi sexus & ætatis homines intra trimestre Vampyrismi crudelitas morte sustulit. Hujus stragis Auctorem non nulli credebant juvenem Heydonem nomine Milonem, alii vero culpam conjectare in Arnoldum Paul jam ante quinque annos demortuum ac in cineres redactum; de illo referebant, quod non modo quatuor homines, quorum corpora unacum Arnoldi cadavere fuere combusta, sed etiam animaia fugendo interemerit. omnesque, qui horum animalium carnes comedissent, pariter in Vampyrios fuerint transformati. Hujus rei novitas universum Orbem summa admiratione defixum tenebat. Exquirebantur consilia omnium ferme

Ger-

Germaniæ Universitatum & Academiarum ; tota insuper rei series Romam ab Episcopis & Parochis ad summum Pontificem perscribitur, sed nullum de super obtinetur responsum : Interim Comes de Cabreras a supremis Belli-ducibus deputatur, ut in rei veritatem sedulo inquirat : ad ipsius testimonium frequens eaque legitima a Viris fide dignissimis instituitur inquisitio, & qui-  
 dem ipsemet Carolus VI. Imperator Ca-  
 rolo Alexandro Wirtenbergico Duci,  
 tum Serviæ Gubernatori negotium  
 dedit, ut per quosdam probatæ fidei  
 Deputatos exacte in rei veritatem in-  
 dagaret, & hausta factorum notitia  
 desuper referret. Dux igitur ex Civili  
 ac militari Ordine quamplurimos in-  
 culpatæ vitæ Viros morum integritate,  
 & prudentia spectatos, Philosophicis  
 disciplinis probe instructos, partium  
 studio alienos, ac diuturna rerum ex-  
 perientia probatos selegit, eosque ad  
 veritatis proferendæ Religionem jure-  
 jurando adegit. Hi ergo unaomnes  
 supremo Regni Auditore, quodam Lo-  
 cumtenente, & viginti quatuor militi-  
 bus stipati Albam Græcam veniunt, &  
 ad illud contendunt oppidum, in quo  
 famosus quidam Vampyrius inter suos  
 affines ingentem stragem edidisse atque  
 præter Fratrem suum jamjam tres Ne-  
 Hist. Eccles. Tom. LXXIII. Ll potes

Sæc. XVIII.  
A. C. 1731.

Sæc. XVIII. potes suos intra quindecim dies truci-  
A.C. 1731. dasse dicebatur. Accurrebant præter  
ipsum Ducem ferme omnes, quotquot  
honoratores in Urbe erant, ut proprio  
oculorum testimonio verax tam insoliti  
spectaculi experimentum capere pos-  
sent. Appropinquante igitur nocte  
properant Deputati ad sepulcrum, in  
quo præfatus Vampyrius tertio abhinc  
anno tumulatus fuerat, reperiunt ibi  
Virum corpore integrum, corde palpi-  
tantem, oculis semiclausis, crinibus,  
corporis cute, unguibus, dentibus,  
tam firmiter adhærentibus instructum,  
ut sanus ac sospes imo & vivere crede-  
retur. Extrahitur e tumba, & quam-  
vis corpus non esset flexibile, nulla ta-  
men nec carnis nec ossium pars deflu-  
xerat. Tandem vero ferrea lancea cor  
transfigitur, profluente magna sanguinis  
& alblicantis humoris copia: demum  
ascia caput amputatur, ubi ex eo copio-  
sus humor sanguini häud absimilis e-  
fluxit: Projicitur rursus cadaver in fos-  
sam, & oppletur calce viva, quo facto  
defuncti Neptis, quæ ex iterato Patrui  
morsu ad mortem languerat, sensim  
convalescere cœpit.

Hæc præsentibus plusquam mille  
trecentis hominibus fide dignis ita gesta  
fuisse, authentico instrumento attestati  
funt Deputati, atque inter eos præci-  
pue

pue L. B. de Beloz olim Wirtenbergicæ Sæc.XVIII.  
 Legionis Tribunus ac Castrorum Præfectus, tunc vero in Legione Baronis A. C. 1731.  
 de la Trenck primus pyrobolariæ Centuriæ Ductor, qui ocularis omnium testis erat. Haud absimilis facti testimonium Kisolouæ, oppido Heidonus in Hungaria reddidere Battuerus ejusdem Legionis Wirtenbergicæ Locumtenens, & Flickstenger primarius Fürstenbergensis Legionis Chirurgus præter tres aliós Chirurgos, & Gouschitzum Stallachiensem Tribunum, qui omnes exeunte Mense Januario suas inquisitiones servato juris ordine factas, & fide dignissimorum testimonio firmatas Viennam ad Consilium bellicum transmisere. Roussatus quoque his aliisque pluribus ejusmodi factis exacte recensitis, subiungit, „nil minus „(Deo sint laudes) quam creduli sumus, & fateri cogimur, quod omnia scientiæ physiæ arcana ad explicanda hæc facta non sufficient, certe fidem nostram denegare haud possumus hisce fattis, cum eorum veritas juridico tot hominum probitate insignium testimonio comprobata sit. „

Tristior adhuc tragœdia hoc anno in eodem oppido Kisolova agebatur: Petrus enim Plogojowitz, ibidem mortuus decem post sepulturam septima-

Sæc. XVIII. nis novem diversæ ætatis hominibus  
A.C. 1731. in somno comparuit, & supinum se su-  
per eorum corpora projiciens, tam  
arcte illos compressit, ut inter ejus com-  
plexus pro mortuis collaborentur. Hi  
omnes, priusquam vita excederent,  
uno ore testabantur, se hanc violen-  
tiā a Petro passos fuisse, ipsa etiam  
defuncti Vidua declarabat, quod ejus  
maritus post mortem suam reversus,  
ab eadem sua calceamenta petierit,  
ipsa vero incredibili terrore perculsa,  
ex oppido ad alium locum secesserit.  
Fama hujus rei divulgata Gradiscani  
tractus in Sclavonia Præfectus unacum  
loci Parocho in rei veritatem, Belgradiensis Curiæ jussu, indagavit, ac in-  
spectione facta testatus est, se in hujus  
Viri cadavere cuncta Vampyrismi signa  
deprehendisse, illud nullum exhallasse  
fœtorem, sed, exceptis naribus ali-  
quantulum corrafis, totum corpus in-  
tegrum fuisse, barbam & capillos,  
necnon antiquis unguibus decisis novos  
ac pelle pristina defluente albicantem  
succrevisse, cetera faciem, manus,  
pedes, totumque corpus ita rite com-  
positum fuisse, acsi adhuc viveret, in  
ore tamen liquidum recentemque ha-  
buisse sanguinem: Ex his igitur signis  
juxta persuasionem illius gentis Petrus  
pro vero Vampyrio habebatur, proin  
palo

palo per cor & corpus tranfixo imposi- Sæc. XVIII.  
 tus in rogo comburebatur. Hæc ita se A.C. 1731.  
 deprehendisse Præfector & Parochus  
 ad Belgradiensem Curiam perscripsere.  
 Plura ejusmodi facta, quibus veritatis  
 fides per legitimam auctoritatem, &  
 concordem, constantemque testium  
 assertionem saepius facta est, tanquam  
 non facta negare, temerarium foret,  
 sed quid de eorum caussis, effectibus,  
 & remedii opposi solitis? Jam anno  
 1693. die nona Januarii ex Polonia  
 ejusmodi casus Parisinæ Facultati pro-  
 ponebatur de quadam puella, quam  
 phantasma Matris suæ jam pridem de-  
 mortuæ effigiem repræsentans tam  
 crudeliter torquebat, ut macie & do-  
 lore confecta supremum obiisset diem,  
 nisi aperto Matris sepulcro caput ca-  
 daveri amputatum, & cor, ex quo in-  
 gens sanguinis copia effluxit, fuisset  
 apertum: Ad hunc igitur casum Sor-  
 bonæ Doctores hoc tulere judicium:  
 „Nos infra scripti censemus, tam hos,  
 „qui faciunt has executiones, quam  
 „illos, qui petunt visitari sepulchra ad  
 „eum finem, peccare gravissime, &  
 „quod confessarii debeant admonere  
 „similes personas, & explicare eis ma-  
 „lum, quod faciunt in his occasionibus,  
 „& eis denegare absolutionem, si per-  
 „severent in perversa hac praxi: hoc

Sæc. XVIII. „ fundatur in duabus rationibus , una  
 A. C. 1731. „ desumitur ex honore debito corpori-  
 „ bus defunctorum : alia ex facto parti-  
 „ culari , de quo agitur . „

„ Primo magnus semper delatus est  
 „ honor & respectus corporibus defun-  
 „ torum , ita ut religione ducatur eos  
 „ semper haberi in honore , & velle , ut  
 „ sepulchra eorum sint inviolabilia . Cod.  
 „ de sepulchro violato lib. 9. t. 19. ubi  
 „ assignatur poena contra violatores  
 „ sanctitatis sepulchrorum , dicitque eos  
 „ esse Sacrilegos & procedendum esse  
 „ contra illos ut tales , quando audent  
 „ invertere & asportare aliquid ex mo-  
 „ numentis ubi corpora fidelium re-  
 „ quiescunt . Pergit audacia ( sunt verba  
 „ Codicis ) ad busta defunctorum & ag-  
 „ geres consecratos : cum & lapidem hinc  
 „ mouere , & terram everttere , & cespitem  
 „ evellere proximum sacrilegio majores nostri  
 „ semper habuerint . Quibus primo consulen-  
 „ tes ne in piaculum incidat contaminata re-  
 „ ligio defunctorum . hoc fieri prohibemus  
 „ poena sacrilegii cohibentes . Major est au-  
 „ dacia & secundum vim Legis to-  
 „ tius , meretur majorem poenam quan-  
 „ do visitantur sepulchra , non ad illa  
 „ destruenda , vel ad auferendum ali-  
 „ quod ornamentum , sed ad amputan-  
 „ dum caput defunctorum jacentium  
 „ in illo sepulchro . „

, In

„ In jure Canonico, qui amputant Sæc. XVIII.  
 „ partem unam vel plures corporis de- A C. 1731.  
 „ functi, sunt excommunicati ipso facto;  
 „ & Papa Bonifacius VIII. qui fecite  
 „ hanc legem ac detestanda extrav. de se-  
 „ pult. vult, ut absolutio ejus sit reser-  
 „ vata, sanctæ Sedi Apostolicæ, dicit  
 „ esse impietatem & crudelitatem sic  
 „ tractare corpora defunctorum. De-  
 „ fundorum corpora sic impie ac crudeliter  
 „ non trahentur.

„ Verum est quod hoc capitulum loqua-  
 „ tur de iis, qui in frustra concidunt cor-  
 „ pora defunctorum extra Patriam, ut  
 „ facilius ea transferantur; certum  
 „ quoque est quod casus propositus non  
 „ habeat prætextum tam favorabilem,  
 „ & consequenter mereatur, ut cum  
 „ majori justitia condemnetur; & certe  
 „ hujus Canonis motivum non est aliud  
 „ quam hoc: ratio generalis quod opor-  
 „ teat respectum deferre corporibus de-  
 „ functorum. Et Glossa sic nos docet:  
*Catholice fidei humana natura est erube-  
 scenda, & ideo etiam post mortem corpus  
 humanum non recipit assimilationem.*

„ In authentico ut defuncti, tit. 15.  
 collat. 5. sic erat prius his verbis: *qui  
 enim hominis naturam non erubescit, dignus  
 est & pecuniis, & gloria & aliis omnibus  
 condemnari.* Dicitur de illis qui mortuo  
 „ injuriā inferunt: Possunt videri supra

Sæc. XVIII. „ eandem materiam plures alii Cano-  
 A. C. 1731. „ nes, quos refert Antoni. 3<sup>ta</sup> part.  
 lib. 35. tit. 12. & in Canon. panit. 8.  
 tit. 4. lib. 7.

„ Secundo finis intentus in his vi-  
 „ fitationibus sepulchrorum cum exe-  
 „ cutione reddit caussam pejorem, quia,  
 „ ut fertur, hoc fit ad vitandam vexa-  
 „ tionem Dæmonis, & recuperandam  
 „ sanitatem, manducatur panis cum  
 „ illo sanguine factus, qui defluit ex  
 „ cadaveribus, vel dum amputatur ca-  
 „ put defuncto in sepulchro jacenti.  
 „ Unde ratio præsumendi est, quod hoc  
 „ fiat per pactum cum Dæmone, &  
 „ unum maleficium expellatur alio, quia  
 „ ille panis sanguine mixtus, sicut e-  
 „ tiam amputatio capitis naturaliter  
 „ non possunt restituere sanitatem per-  
 „ sonæ morti proximæ, & expellere  
 „ Dæmonem eam vexantem. Non  
 „ potest etiam dici, quod tunc fiat a  
 „ Deo miraculum. Sola narratio eo-  
 „ rum, quæ facta sunt Matri hujus Puel-  
 „ lœ, de qua agitur, satis ostendit,  
 „ quod Deus non inspiraverit hunc mo-  
 „ dum, neque virtutem aliquam super-  
 „ naturalem alligaverit tali modo ad  
 „ procurandam prædictæ filiæ sanita-  
 „ tem. Supponendum est ergo, esse ta-  
 „ citum pactum cum Dæmone, & di-  
 „ cendum est, quod Dæmon ipsem et

, re-

„recedat ad præsentiam talis a se in-  
„spirati maleficii. „

Sæc. XVIII.

A. C. 1731.

„Gerson in opusculo quodam facto  
„contra doctrinam cujusdam Medici  
„de Montpellier dicit, quod Facultas  
„Parisiensis sic argumentata Sess. 4.  
„propositio: *omnis observatio, cuius ef-*  
fectus *expeccatur aliter quam per rationem*  
*naturalem, aut per divinum miraculum, de-*  
*bet rationabiliter reprobari, & de pacto*  
*Lamonus expreſſo vel occulto vehementer*  
*haberi ſuſpetta.* Sic determinavit sacra  
„Theologiae Facultas Universitatis Pa-  
„risinæ. „

„Hæc cum ita ſint, non licet unum  
„maleficium pellere alio. S. Thomas  
„in 4. diſt. 34. aſt. 3. & Decretum Fa-  
„cultatis Parisiensis, quod refert in fine  
„operum ſuorum Magister Sententiarum  
„art. 6. quod licitum ſit aut etiam per-  
„mittendum maleficia maleficiis expel-  
„lere. *Error,* unde duæ ſunt ſequelæ;  
„& damnandam eſſe hanc praxim, cum  
„ſit ab utroque jure rejecta, & etiam  
„lege Divina, quæ dicit, non eſſe fa-  
„cienda mala, ut eveniant bona. Se-  
„cundo quod ſi facto piorum & peri-  
„torum Medicorum consilio non poſſit  
„oſtendi aliqua cauſa naturalis hujus  
„effectus, neque juvari & sanari ali-  
„quo remedio naturali, relinquenda ſunt  
„omnia Providentiæ Divinæ; melius

L 15

„eſt

Sæc. XVIII. „ est enim hæc mala pati cum patien-  
A. C. 1731. „ tia, & etiam exponere se morti, quam  
„ offendere Deum. In hac occasione  
„ posset haberi recursus ad alia media  
„ ad defendendum se ab hac vexatione  
„ Diaboli; & hæc sunt notata in capite  
*si per Sortiaras. 33. q. 2. si per Sortiaras*  
*atque maleficas occulto sed nunquam injusto*  
*Dei judicio permittente, & Diabolo præ-*  
*parante, &c.* Hortandi sunt quibus  
„ ista eveniunt, ut corde contrito &  
„ spiritu humiliato, Deo & Sacerdoti  
„ de omnibus peccatis suis puram Con-  
„ fessionem faciant, & profusis lacry-  
„ mis, & largioribus eleemosynis, &  
„ orationibus & jejuniis Domino satis-  
„ faciant, & per Exorcismos ac cætera  
„ Ecclesiasticæ medicinæ munja, Mi-  
„ nistri Ecclesiæ tales quantum Domi-  
„ nus annuerit, sanari procurent. Hæc  
„ quoque est mens Bartholomæi de  
„ Spina Magistri quondam sacri Palatii  
„ in *Traff. de Strigibus c. 33.* qui enim in  
„ hujusmodi maleficiis & in aliis cu-  
„ randis observarent ea, quæ docet ca-  
„ put, *si per Sortiaras 33. q. 2.* facile  
„ per misericordiam Dei curarentur.,,

*Deliberatum in Sorbona 1693.*

G. FROMAGEAV.

C. DE PRECELLES

THOMAS DURIERAZ.

Alii

Alii Sorbonæ Doctores asserebant, <sup>Sæc.XVIII.</sup>  
 consuetum Vampyrismi martyrium a <sup>A.C. 1731.</sup>  
 Dæmone fuisse inventum atque edo-  
 ctum, atque ex se nullam habere ad  
 minuendam vel tollendam vexationem  
 efficaciam aut virtutem, sed in illis,  
 qui tale remedium adhibent, saltem  
 tacitum cum dæmone pactum supponi.

Hi vero, qui abstrusa quæque ad  
 Philosophiæ bilancem dimetiri solent,  
 mali, quod Vampyrismum vocant,  
 originem & effectus in caussis mere  
 naturalibus reperiisse existimant, melius  
 forte probantes, quod res ita fieri po-  
 tuerit, quam quod ita facta sit. Ut  
 ergo Vampyrisi prodigia explicitent,  
 observant, pauperes istos homines  
 præcipue in Sclavonia & Servia crudi-  
 bus oppido cibis & pane ex avena, &  
 arborum corticibus cocto vesci, inde au-  
 tem sanguinem condensari, pectoris op-  
 pressionem fieri, & in phantasia vel per  
 melancoliam, vel superstitionem & per  
 præjudicia corrupta, funestas & tetbras  
 ideas nasci ipsa quoque experientia esse  
 compertum, ejusmodi homines sibi  
 persuadere, acsi nunc strangularentur,  
 nunc ab incubo spiritu opprimerentur,  
 & si forte aliqua mulier hoc malo af-  
 fecta juxta corruptam phantasiæ re-  
 præsentationem sibi defunctum appa-  
 ruisse, atque ex ejus corpore sanguin-  
 em

Sæc. XVIII. nem fuxisse, vicinis affirmaverit, haud  
A. C. 1731. sane mirum, si postmodum se eadem  
passos fuisse credant alii melancolici,  
qui tota die metu, ne & ipsi a tali spi-  
ritu opprimantur, agitati, ex hac ipsa  
imaginatioe tam violentam sanguinis  
revolutionem sibi caussent, ut macie  
confecti sensim moriantur: non raro e-  
nim quosdam vel ex nimio terrore aut  
lætitia subita morte corruisse. En juxta  
ipos physicam caussam Vampyrismi  
tam activi, quam passivi!

Eadem facilitate ceteros miroisque  
fane Vampyrismi effectus explicant:  
Corporum enim integritatem attri-  
buunt virtuti terræ, in qua existimati  
Vampyrii jacuere, terra enim ajunt  
illi, variis oleosis & bituminosis parti-  
culis, diversisque saliis præcipue sal-  
nitro gravidata non modo corpora a pu-  
tredine præservandi, sed & sanguinem  
fluidum & rubro colore tintum red-  
dendi vim habet, nec insolitum est,  
quod & in defunctorum corporibus  
sanguis tam vehementem exerceat fer-  
mentationem, ut ruptis venis per na-  
res, os & aures tota vi erumpat: præ-  
sertim si particulæ nitrosæ ac sulphureæ  
radiis solaribus calefactæ sese in corpora  
recens sepulta insinuant; tunc enim  
sanguis rarefit, fermentat, solvitur  
& fluidus redditur. Aliunde etiam  
terra

terra in cæmeteriis aptior est ad pro-Sæc.XVIII.  
ducendum sal volatile, & oleosum, A.C. 1731.  
quod vitrilico acido mixtum proge-  
nerat sensim in ipsa defuncti tumba  
salnitrum: Denique addunt, in Regno  
naturæ non adeo insolitum esse, quod  
in pluribus hominum cadaveribus, in  
quibus ingens humiditatis copia reman-  
sit, præcipue in partibus, quæ spiri-  
tus vitales non expetunt, uti sunt barba,  
ungues & capilli, aliquod incremen-  
tum sæpius deprehendatur. Ceterum  
hæc exactius discutere, & ad limam  
Philosophiæ revocare, Historici non  
est.

Haud tamen inutile erit, his om-  
nibus subjungere ea, quæ longe doctif-  
simus ac celeberrimus Pontifex Bene-  
dictus XIV. Lib. IV. de Beatif. Part I.  
c. 21. n. 4. de Vampyris differit. „Quic-  
„quid, scribit ipse, de hisce Vampyris  
„narratur, narratur non tantum uti  
„verum, sed etiam uti confirmatum  
„fide publica Magistratum. At, ut-  
„cumque sit de repertis Cadaveribus  
„incorruptis, utcumque de sanguine  
„ab illis profluente, utcumque de in-  
„cremento unguium, & capillorum,  
„utcumque de Vampyris capite trun-  
„catis, eorumque corporibus combu-  
„stis, & in aquam dispersis; quorum  
om-

Sæc. XVIII. ; omnium fides sit penes eos, qui testi-  
A. C. 1731. ; monium reddiderunt; vis stat in mor-  
,, tuorum resurrectione, & actis eorum,  
,, quæ certe hucusque probata non sunt;  
,, quin potius a viris emunctæ naris  
,, habita sunt, & habentur tamquam  
,, deceptæ phantasiæ figmenta. Quare  
,, Scriptor eruditus hebdomadæ 18. pag.  
,, 139. ait: *Quod vero ad fidem attestan-*  
*tium attinet, de ea nequaque est dubitan-*  
*dum, neque magis, quin revera ejusmodi*  
*Cadavera invenerint, non vero ea ipsa Ca-*  
*davera noctu e tumulis suis surgant, alios*  
*que sanguinis exsugendi ergo invadant.*  
*Hanc ob causam mihi dubium manet; quia*  
*omnia, quæ traduntur, ex eorum relatione*  
*habentur, qui a talibus Manibus afflicti*  
*sunt, neque ex eorum assertis satis constat,*  
*utrum vera Cadavera, seu defunctorum*  
*corpora viderint, an potius spectra & phan-*  
*tasmata ipsis apparuerint. Ipsos peculia-*  
*rem vidisse personam inde patet, quia eam*  
*dem nominare atque depingere sciverint,*  
*eademque ipsa in Sepulchro deprehensa fuit*  
*hoc modo, quem species facti affirmat: an*  
*vero haec ipsa singularis persona, hoc est,*  
*anima cum corpore suo unita visa fuerit,*  
*valde dubito. Et concordant Scriptores*  
,, hebdomadæ 24. pag. 191. & hebd-  
,, madæ 28. pag. 219. qui Vampyrorum  
,, resurrectionem, & actiones illis im-  
pictas

„pietas meris accensent imaginationi-  
„bus, metui, atque terrori.,, Sæc. XVIII.  
A. C. 1731.

## §. XXI.

*Historia de emigratione Rusticorum  
Salisburgenium.*

Haud infimum in Historia Ecclesiastica locum sibi vendicat apostasia atque emigratio Salisburgenium Rusticorum: Hanc autem ab alto repetere, haud incongruum erit.

Hi ergo primum Rebellionis suæ tyrocinium posuere Anno 1525. quo Alpestres correptis armis in Archiepiscopum legitimum Dominum suum necnon in Clerum ac Nobiles sævire cæperunt, & Metropoli occupata & circum regione vastata Archiepiscopum ipsum in arce per trimestre obfessum tenuerunt. jactato novi Evangelii defendendi obtentu; cum enim Sacerdos quidam Matthæus nomine, qui Lutheri dogmata pro concione spargebat, Archiepiscopi jussu caperetur, & rebellis Stöckl capite plecteretur, inde rustici Stiriensibus Lutheranis adjuti fœdæ tempestatis ansam arripuere, suo exemplo

Sæc. XVIII. plo confirmantes, quod Lutherani Evan-  
A. C. 1731. gelii theffera sit tumultus & rebellio  
in legitimos Dominos. Sedata agre-  
stium seditione quies quidem & publica  
felicitas restituta est, ulcus tamen Lu-  
theranum sub cute latens paulatim in  
funestam pestem excrevit; cum enim  
in Stiria & Carinthia Novatores sectæ  
suæ exercitium a Carolo Archiduce  
extorsissent, atque Ecclesiis sacrisque  
bonis per nefas direptis plures novitii  
Verbi Præcones ubique circumcursi-  
tarent, e vicinis hisce Provinciis pede-  
tentim lues Salisburgum quoque in-  
fluxit, & non modo Minerarios & Al-  
pium incolas sed etiam cives, integ-  
rasque familias corrupit. Obstatit ta-  
men adhuc Wolfgangi Theodorici Præ-  
fusis vigilansissimi Zelus, qui die ter-  
tia Septembris Anno 1588. promulgato  
edicto præcepit, ut illi, qui a fide Ca-  
tholica perfide defecissent, intra unius  
Mensis spatum ad eam reverterentur,  
aut solum verterent, jure civitatis om-  
nibusque libertatibus in Provincia Sa-  
lisburgensi perpetuo spoliandi. Sectam  
publice abjurarunt non pauci, ceteris  
vero patria abeuntibus civitas & Pro-  
vincia a lolio expurgata est, deinceps  
& Religione fervens, & opibus af-  
fluens. Ut autem etiam ruri pristina  
fidei unitas redderetur, Archiepiscopus  
Anno

Anno 1596. Tobiam Doctorem Hensche-  
 lium ad Wagrainenses ablegavit, cuius <sup>Sæc. XVIII.</sup>  
A.C. 1731.  
 follicitudine multi ad fidem reversi  
 sunt, aliis errori suo immortuis. Sicut  
 autem sectarum semini proprium est,  
 ut semel ferræ insitum raro funditus  
 evelli queat, ita Anno 1602. coloni  
 Superioris Austriae aliquie pro Lutherò  
 conjurati Salisburgenibus confines in  
 oppidis quibusdam Archiepiscopo sub-  
 jectis novos excitarunt tumultus, qui  
 tamen Antesignanis promerita poena  
 multatis tempestive fedati sunt, &  
 Prædicantes, quorum petulantia ac  
 temeritas usque ad publicum Princi-  
 pis sui contemptum excreverat, ex  
 omnibus Provinciis Salisburgensi Diæ-  
 cesi subjectis abacti, & demum Templa  
 & ritus Catholicis restituti fuere.

Postquam vero Carolus Archidux  
 metu & curis anxius, in quatuor Sty-  
 riæ oppidis liberum Augustanæ con-  
 fessionis exercitium ea cautela indul-  
 serat, ut ultra quam ipse viveret, hæc  
 concessio vim non haberet, nec ad Ca-  
 roli posteros propagaretur, hac indul-  
 gentia Lutherani audaciores facti pro  
 arbitrio in duodecim oppidis Tempa,  
 & Scholas ejjectis Catholicis ædifica-  
 runt, erectisque officinis typographicis  
 libros quamplurimos veneno infectos  
 excuderunt, quos in ipsos etiam Co-  
*Hist. Eccles. Tom. LXXIII. Mm Iono*

Sæc. XVIII. lonos dispersere. Horum tamen im-  
A.C. 1731. pudentia nonnihil repressa est, edito  
decreto, quo Prædicantes intra dies  
quatuordecim Græcio reliquisque Pro-  
vinciarum oppidis facessere iussi sunt,  
inde sperato uberrimo Religionis incre-  
mento; ex quo enim Lutherani præ-  
cones ex oppido Schladmingano ex-  
pulsi fuerant, alpestres rustici dudum  
hoc veneno imbuti, jam sine pravitatis  
Ductoribus rarissime & non sine metu  
ad Ministellos valde remotos excurrere  
poterant, unde factum, ut nonnisi per  
somnia quædam Lutheri dogmata  
multis peregrinisque erroribus permixta  
in mente retinerent, nec alio uteren-  
tur Præcone. quam obvio quovis ru-  
stico characterum nonnihil perito, qui  
in privatis conventiculis quædam ex  
Lutheri aut Spangenbergii postilla bal-  
butiente lingua prælegerat: cetera au-  
tem tam in Catholicorum quam Luthe-  
ranorum instituto rudes, in hoc solo  
obfirmati erant, quod Romani Catho-  
lici esse nollent, & ad cænam sibi ca-  
licem vino repletum apponi expete-  
rent. Hos ergo, cum illos potius in-  
scitia & obstinatio, quam malitia in  
errore retineret, Marcus Sitticus Sa-  
lisburgensis Archiepiscopus circa An-  
num Domini 1613. ad saniora reducere  
statuit, ac primo quidem ad Rastatentes  
&

& Wagraineres ablegavit Patres Capucinos Apostolico Zelo plenos: Verum horum operam ludebant rusticis; Catholicæ enim fidei dogmata vel audire renuerunt, vel etiam rationum luce convicti & capti animum ad obsequium flectere recusarunt, utque conceptum veritatis semen suffocarent, frequentius ad Ministellos vicinos concurrerunt, a quibus in sua pertinacia confirmati, vitam & sanguinem pro suis deliramentis profusuros se declarabant. Ea tum erat temporum iniquitas, ut ob manifestum cruentæ rebellionis periculum insoliti hi excursus a Magistratibus & Prætoribus prohiberi haud posse.

His intellectis Archiepiscopus hos subditos, quos non veritatis amor, sed Religionis oppositæ odium in sectæ suæ fanaticismo detinuit, pœnarum severitate coercere decrevit, nec id immrito; cum enim eorum cultus non jam Religio, sed factio Principum auctoritati inimica esset, nec ipsis alia ex causa Catholicam fidem abhorrerent, nisi ut sectam tuerentur, quam ipsimet dunt taxat veram credebant, quia nova esset, ipsisque calicem ad bibendum & Papam ad convitiandum præberet. Hinc Fanatica eorum inscitia, cum ratione fari haud posset, necesse erat, ut se-

Mm 2 verio-

Sæc. XVIII.  
A. C. 1731.

Sæc. XVIII. verioribus reprimeretur remedii. Ar-  
A.C. 1731. chiepiscopus igitur Anno 1615. duos e  
Senatu Deputatos ablegat ad Rasta-  
tenses, qui Principis sui nomine illos  
ad obediendum primo monitis, dein  
minis inducerent. His autem nil pro-  
ficientibus præfigitur bimestris termi-  
nus, intra quem aut festam aut solum  
verterent: interea vero Sacerdotes  
Apostolici nulli parcebant labori, ut  
rudes ex errorum tenebris ad veritatis  
lucem pertraherent, & seductorum  
pertinaciam frangerent. Nec suis par-  
tibus defuere Prætores, qui obstinati  
vetabant, ne quid opificii tractarent,  
nec, nisi Catholicam fidem professi  
essent, a Parochis ad ineundum ma-  
trimonium, aut defuncti ad loca Sacra  
admitterentur: Profuit adeo hic rigor,  
ut evoluto bimestri ex Rastatenibus  
nonni si tres familiæ, & ex Wagrai-  
nenibus duntaxat sexdecim emigra-  
rent. Nec minus prospere actum est  
in Alpibus, ubi præter Viros Aposto-  
licos etiam milites potius ad terrorem,  
quam ad vim adhibebantur; paucis-  
fimi enim exilium præelegerunt,  
qui cum suis liberis & uxoribus  
egressi, partim in Austriam, par-  
tim in Moraviam ad Anabapti-  
stas emigrarunt, plerique tamen eo-  
rum facti poenitentes ad patriam re-  
vera

versi sunt. Gravior erat labor apud Metallurgos, quorum numerus ingens in Gasteinensi valle erat: Hi enim veneno per noxios libros intimius hausto nec Sacerdotum monitis permoti, nec interminata exilii poena territi, sectæ suæ libertatem audacter petebant; nec eam ipsis denegatum iri credebant, cum haud facile suppeterent alii, per quos fodinarum labor pari peritia peragi posset: Ast repulsam passi, ac militis alendi tolerandique metu perculsi, abjecta pertinacia fidei doctrinis imbuī, eorumque nomina in reverorum censum conscribi tanto numero petebant, ut eorum decem millia (non computatis infantibus) recenserentur, duntaxat sexcentis patria excedere paratis. Ne vero Zizania ægre eradicata succrescerent, in libros noxios inquisitio suscepta est, in eorumque locum substituti libri Catholici, auctus Parochorum numerus, habitæ frequentiores Conciones, fidei Christianæ institutiones, ac variæ Divini cultus exercitationes. Nihilominus anno Christi millesimo sexcentesimo octogesimo primo inter Agrestes metallorum fossores præcipue Tessareckenses veneni simulata fidei professione occultati vim exercabant, impellentibus Acatholicis, apud quos ipsis æstivo tempore operas

Mm 3 suas

Sæc.XVIII.  
A.C. 1731.

**Sæc. XVIII.** suas locabant. Horum igitur consue-  
**A. C. 1731.** tudine veteres suos errores novis au-  
 gebant, ex qua mixtura immane mon-  
 strum est evatum, cuius halitu ne probi  
 inficerentur, Maximilianus Gandolphus  
 Archiepiscopus Viros Apostolicos, ubi  
 necessitas magis urgebat, emisit, ni-  
 hilque non egit, ut noxia subtraberet  
 pabula; non inutili conatu; nam per-  
 multos ad fidem reduxit, ac reliquis  
 imposita emigrandi necessitate coercitis  
 Provinciam a sectæ fæcibus expurgavit.

### §. XXII.

#### *Nova Salisburgensium Rusticorum sedatio.*

**E**nimvero restituta fidei concordia per  
 plures annos in Salisburgensi Prin-  
 cipatu refloruit; nonnulli tamen ex  
 rusticis erant, qui sectam, quam ob  
 exilii metum ore detestabantur,  
 animo adhuc fovebant, & simulato  
 Catholicæ Religionis exercitio gnaviter  
 occultabant: Id haud incognitum erat  
 vicinis novi Evangelii Præconibus, a  
 quibus clam sese intrudentibus velut a  
 sua origine, denuo sectæ venenum in  
 rudes populos uberius sese effudit: La-  
 tebat tamen adhuc ignis sub cineribus,  
 nec in apertas erupit flamas, subinde  
 tamen unus alterve fanatico abreptus  
 e pa-

e patria emigrabat. Ea res gravioris, Sæc. XVIII.  
 novique motus suspicionem movit; unde A. C. 1731.  
excitata Prætorum vigilantia depre-  
 hensum, eos quoque, qui exterius sese  
 Catholicos dicerent, in diebus Domi-  
 nicis ac festivis ad concionem quidem  
 adfuisse, ea tamen finita continuo tur-  
 matim de sacris ædibus fuisse dilapsos,  
 neglecto Divino officio: quod insolent-  
 tiæ genus, ut corrigerent Missionarii,  
 primo privatis institutionibus egerunt  
 tantumque profecere, ut nonnulli pro-  
 fessionem fidei publice in Ecclesiis e-  
 derent, dein Prætores addidere pœ-  
 nam, ut, qui ante finem rei Divinæ  
 de Templo absisteret, certo pondere  
 ceræ in usum Ecclesiæ pendendæ ca-  
 stigaretur, quo remedio sæpius adhi-  
 bito vix ullus nisi re Divina penitus  
 persoluta, e Templo egrediebatur: Nec  
 tamen propterea Missionarii suspectorum  
 ædes minus sedulo pervestigarunt, lib-  
 rosque noxios, utpote sectæ fomenta,  
 quotquot reperire poterant, eis eripuere:  
 Prætores quoque eos, qui vel Eccle-  
 sias frequentare neglexerunt, vel die-  
 bus prohibitis carnis vescebantur,  
 certo æris pondere multabant. Id  
 ægerrime ferebant duo rustici Joannes  
 Lerchner & Vitus Bremen, qui a Præ-  
 tore bis citati non comparuere, sed  
 Anno 1729. coram pleno populo & Ar-

Sæc. XVII. chiepiscopi Deputatis seditiosa voce  
A. C. 1731. exclamarunt: *sumus Lutherani*, postmo-  
dum data utrinque dextera se in sua  
secta constanter perseveraturos jura-  
runt, declarantes, se capitales eorum  
hostes fore, qui secus suaderent. Nec  
his contenti, ambo clam Ratisbonam  
contenderunt, ubi ineunte anno se-  
quenti ope cuiusdam studiosi libellum  
supplicem ad *Corpus* ut vocant, *Evan-*  
*gelicum* die septima Januarii transmis-  
ferunt, falso exponentes, quod Luthe-  
ranæ sectæ libris exscoliati non aliter  
emigrandi copiam obtinere potuerint,  
nisi relictis omnibus bonis novemque  
suis prolibus, ipse etiam Lechnerus  
per aliquot septimanas catenis onus-  
sus in carcere detentus fuerit: His expo-  
fitis aures benevolas dedere Lutherani  
Principum Oratores, qui Salisburgensi  
Legato Baroni de Zillerberg scriptum  
per Saxonum Secretarium Augustum  
Herrichum porrexere, in quo pacem  
Westphalicam ab Archiepiscopo vio-  
latam questi petebant, ut hisce rusticis  
sua bona divendere & liberos evocare  
liceret: Hoc scriptum Legatus ex Prin-  
cipis sui mandato acceptare recusavit,  
ac die decima septima Februarii re-  
spondit, Archiepiscopum suum coram  
*competente* Judice suo rationem reddere,  
paratissimum quidem esse, in rebus  
vero

vero suos subditos concernentibus Evangelico Corpori nullam omnino jurisdictionem in se, ut pote Con-Statum competere, potius vero optandum, ut Protestantes turbidis ejusmodi hominibus eorumque querelis plerumque malitiose & falso excogitatis non adeo faciles præberent aures, nequidem discussis cauffæ meritis: de cetero Augustanam confessionem tempore Anni normalis nullibi in Salisburgeani Principatu invectam fuisse. Percepto hoc responso Lutherani Oratores die 22. Aprilis ad ipsum Archiepiscopum literas dedere, significantes, se oppressorum gravamina nunquam excipere solitos, nisi tacita sub conditione, si gravamen, saltem quoad substantiam, verum esset; ex privato tamen commodo & ex cæco Religionis Zelo, quo Prætores flagrarent, plerumque constare de gravaminum veritate; Lutheranis Principibus non quidem competere jurisdictionem in Con-Status suos, illis tamen utpote pacis Confortibus dengari non posse, pacis violationibus per amicam compositionem obviandi medium, nec agi de anno normali, cum omni tempore Religionem mutare licetum esset. Verum postea patuit Viti Bremeni falsitas & nequitia; malitiose enim querebatur, quod ei non nisi reliqua

Sæc. XVIII.  
A. C. 1731.

Sæc. XVIII. uxore & liberis emigrandi facultas data  
A. C. 1731. sit, cum constiterit, quod ejus uxor  
 utpote Catholicæ fidei addictissima ad-  
 eo maritum sequi noluerit, ut etiam  
 in patriam reducem ad ejurandam se-  
 ctam impelleret, eoque & rursus ad  
 vomitum reverso, ipsa domi cum suis  
 prolibus in Religione Catholica edu-  
 catis remaneret.

Interim Prætores, cum apostata-  
 rum numerum indies augeri animad-  
 verterent, majora adhuc sollicitudine  
 in eos inquirebant, cumque depre-  
 henderent, potissimos ex illis ignoran-  
 tiæ tenebris immersos nec Lutheranos,  
 nec Calvinianos ex integro, nec Ca-  
 tholicos esse, sed quartum quoddam  
 sectæ monstrum ex variis Sectariorum  
 libris progenitum profiteri, hinc sedulo  
 curarunt, ut cæcutientibus hisce ejus-  
 modi libros, utpote errorum caussas  
 eriperent: Nec magni negotii opus  
 erat, ingentes rancidæ ejusmodi mer-  
 cis acervos cumulare, verosque Ca-  
 tholicos ab infectis secernere; cum e-  
 nim Anno 1728. Benedictus XIII. in-  
 ter Christianos laudabilem, quam Six-  
 tus V. jam Anno 1587. (\*) invexerat,  
 innovasset consuetudinem, qua fideles  
 se invicem salutarent pia hac præemia:

Lau-

---

(\*) Bulla, quæ incipit: *Reddituri.*

*Laudetur Jesus Christus, salutato respon-* Sæc. XVIII.  
*dente: In æternum Amen.* seducti pia A. C. 1731.  
*hac thessera in odium Pontificis uti*  
*recusarunt, cujus essent spiritus, a-*  
*perte testantes: Horum tamen quam-*  
*plurimi exterius adhuc fese Catholicæ*  
*fidei addictos simulabant, quin tamen*  
*festis diebus Rei Divinæ interessent, aut*  
*prohibitis diebus a carnis abstine-*  
*rent, vel alias Ecclesiæ leges observa-*  
*rent, quo circa a Prætoribus pro culpæ*  
*merito plectebantur, eo modo, quo*  
*etiam Pastores Lutherani & Calvi-*  
*niani (\*) illos, qui exterius eorum*  
*sectam profitentur, severe castigare so-*  
*lent.*

(\*) Hanc in rem observanda sunt verba  
*Scriptoris Protestantici, qui in suo libro, cui*  
*titulus: Versuch einer Kirchengeschichte des acht-*  
*zehnten Jahrhunderts 1771. Part. I. Sect. I.*  
*§. 15. pag. 17. scribit, Friederich der Erste,*  
*weng die Bekehrung der Lappländer NB. homi-*  
*nūm gentilitiæ superstitioni addictorum) auf*  
*eine ganz besondere Wege an. Er machte im*  
*Jahr 1723. den 3ten Octobr. eine Verordnung*  
*bekannt, daß jeder Lappländer jährlich durch ei-*  
*nen Schein von seinem Pfarrer bey der weltlichen*  
*Obrigkeit beweisen solle, daß er dem Gottesdienst*  
*beygewohnt, und das heilige Abendmahl ges-*  
*braucht habe. Wer diesen Schein nicht verzeigen*  
*könne, solle in Verhaft genommen, und so lange*

Sæc. XVIII. lent, si præscripta jejunia, preces, &  
A. C. 1731. poenitentias non observant, aut per  
longius tempus ab Ecclesiis eorumque  
cætibus absunt, vel dies Dominicos  
sanctificare negligunt &c. Nihilomi-  
nus Salisburgenses rustici promeritæ  
hujus correctionis impotentes, se in-  
humana severitate vexari, suisque con-  
scientiis vim inferri querebantur, ac  
detracta tandem larva, quid dicerent  
aut crederent nescii, se, Lutheranos  
esse magno numero declararunt. De-  
mum audaciores facti, ceterorum om-  
nium nomine Philippum Stöckel &  
Joannem Schartner aliosque sex Ratis-  
bonam Deputatos miserunt, qui etiam  
hoc anno die decima quarta Maij &  
proximo Mense Junio Acatholicorum  
Principum Legatis libellum supplicem  
calumniis, mendaciisque turgidum por-  
rexere, tria exponentes gravamina,  
I. quod Eucharistiam sub una specie  
su-

zu öffentlicher Arbeit angehalten werden, bis er  
sich bekehre, hier sahe man augenscheinliche Wiss-  
fung. Was der Fleiß der Prediger nicht hatte  
ausrichten können, das brachte die Gewalt in  
kürzer Zeit zu Stande. Si Lapponienses hi-  
populi de his apud quemdam Lutheranum Prin-  
cipem vel apud Corpus Evangelicorum Ra-  
tisbonæ questi fuissent, quæso, quid eis re-  
spondissent?

iuinere, Sanctos invocare, & Templa frequentare II. jejunii diebus a carnis abstinentia jubeantur III. nullam aliam fidem, quam Catholicam sub carceris pena profiteri cogantur.

Sæc. XVIII.

A.C. 1731.

## §. XXIII.

*Rusticorum petulantia.*

Paulopost alii etiam Pagi, posthabito legitiimi sui Judicis ac Principis judicio suos Deputatos ad exteris Judices ablegarunt, a quibus potentissimum sibi auxilium tanta arrogantia pollicebantur, ut coram Archiepiscopi Ministris palam jactitarent, nisi illis plena suæ Religionis libertas concederetur, funesta quæque brevi esse eventura, promissas militum suppetias in eorum opem jamjam accurrere, Archiepiscopi milites, cum paucos haberet, nec Cæfaris copias, cum illas nunquam ad Alpes missurus esset, non esse pertimescendas, actum esse de Salisburgensi Principe, ejusque ditione, ejus milites, qui Werfæ & Radstadii essent, nullo negotio interfici posse, omnes Rusticos, si Princeps vel hiscere ausit, arma in eum sumpturos; unica litera opus esse, & mox Brandenburgicum & Helvetos cum octoginta armatorum milibus praesto futuros, se legationis

Sæc. XVIII. tionis Ratisbonensis exitum præstola.  
A. C. 1731. tuos, & tunc rei aliam faciem brevi  
fore; rem jam esse ad extrema dedu-  
ctam, nec rusticos sine ignominia re-  
trocedere posse, utcunque alea cade-  
ret, vi perfringendum esse, Ratisbona  
nuntiatum esse, quicquid tentaturi fo-  
rent, Principi Salisburgenfi inhiben-  
dum, ne se se opponeret, cruentum bel-  
lum, & internecinam cædem instare,  
si Cæsarei milites numero prævalerent,  
desperationem vires addituram, se haud  
ultra permisuros, ut venditis suis bo-  
nis e ditione ejicerentur, sed potius se  
Catholicorum bona empturos, & hos  
inde ejectum iri, intra viginti quatuor  
horas ingentem rusticorum exercitum  
contractum iri &c. Has pluresque  
alias, quas rusticci jaftabant, minas  
ipsimet Sectarii coram suis Prætoribus  
jurata fide testabantur. Nec soluti in  
minis hæfere rebelles, sed in  
Catholicos jamjam arina pararunt,  
imo etiam Catholicos, ni eis opem  
laturi essent, unacum eorum uxoribus  
& liberis trucidandos edixerunt.

## §. XXIV.

*Gravaminum cognitio Deputatis ab  
Archiepiscopo commissa.*

Interim

Interim Ratisbonenses Legati ad Leo-  
poldum Comitem de Firmian Prin-  
cipem atque Archiepiscopum Salisbur-  
gensem literas dederunt, supplices,  
ut pauperibus hisce rusticis profitendæ  
Religionis libertas indulgeretur, nec  
hi ultra a Prætoribus suis pecuniaria  
mulcta, aliisque molestiis dire vexar-  
rentur. Archiepiscopus, quamvis hos  
subditos apertam rebellionem suam  
novæ Religionis velamento tegere nos-  
set, proin potius in eos promeritis pœ-  
nis animadvertere deberet, maluit ta-  
men rebellis populi sui obsequium man-  
fuetudine & indulgentia redimere,  
quam Majestatis suæ severitate subdi-  
torum sanguinem effundere. Eapro-  
pter die nona Julii Viros fide dignissi-  
mos & probitate conspicuos ad Alpes  
ablegabat, dato negotio, ut in sedicio-  
nis prætextus, & prætensa rusticorum  
gravamina sedulo inquirerent. Hi ergo,  
ne suis partibus deessent, ad singulos  
Pagos excurrunt, subditorum querelas  
excipiunt, onera vel imminuant, vel  
pro re nata penitus tollunt. His vero,  
qui se Confessioni Augustanæ addictos  
esse palam profitebantur, illius exer-  
citum pollicentur, ea tamen lege, ut  
interim Archiepiscopo, legitimo suo  
Principi debitam fidem & obsequium,  
Ecclesiasticis quoque & profanis Supe-  
rio-

Sæc. XVIII.  
A.C. 1731.

Sæc. XVIII. rioribus obedientiam & venerationem  
A.C. 1731. præstarent, deinceps ab omni factione,  
conjunctione aliquaque tumultibus abstinerent, nec Catholicos minis, publicis  
Concionibus aut alio quovis pacto vel  
dolo seducere molirentur, nec quicquam Religioni ac fidelitatis juramento,  
vel quieti & securitati publicæ adver-  
sum attentarent, sed, donec hac in  
re juxta Imperii leges decerneretur,  
quilibet juxta Archiepiscopalis bene-  
placiti tenorem, in possessione suorum  
bonorum tutus remaneret, & omnes se-  
ctariam suam Religionem privatim sine  
Concionibus & periculis conventicu-  
lis, prout se exacte id observaturos,  
libere & unanimi voce polliciti essent,  
profiteri valerent; ac imposterum nullus  
vel ob librorum infectorum lectionem,  
vel ob sectam suam plecteretur: His  
perceptis præcipue Werrienses rustici  
die decima sexta Julii jurata fide spon-  
debant, se nullas concitaturos turbas,  
sed ut antea Ecclesiam frequentatu-  
& deinceps in omnibus se fideles & pa-  
cificos fore. Verum seditioni hi populi  
luculento testimonio comprobarunt,  
quod non Religionis denegatæ exerci-  
tium (utpote eis indultum) sed eorum  
contumacia, obfirmata subjectionis ju-  
gum excutiendi voluntas, & refracta-  
ria rebellio contra legitimum suum  
Prin-

Principem harum turbarum caussa fue- Sæc. XVIII.  
A.C. 1731.  
rit; vix enim Salisburgenses Delegati  
abscesserant, cum illico rebelles hi sub-  
diti tam publicas, quam privatas con-  
jurations, factiones & conventicula  
innovarent, coram numero populo  
seditiosas haberent conciones, in Ca-  
tholicos ferri flaminæque minas jace-  
rent, tam Ecclesiasticos quam profa-  
nos Superiores, imo ipsum etiam Ar-  
chiepiscopum contumeliosis factis &  
verbis proterve laceſſerent, pluresque  
alias petulantias minime tolerandas  
procaciter perpetrarent.

Enimvero rebellium horum subdi-  
torum perfidia justam Archiepiscopi in-  
dignationem provocare videbatur, ni-  
hilominus ut de illius clementia, æqui-  
tate ejusque animo ad eorum salutem  
intento hi eo firmius persuasi redderen-  
tur, Princeps die trigesima Julii ad  
suos Deputatos epistolam encyclicam  
transmisit, eisque injunxit, ut denuo  
singulos hortarentur, ne temerariis  
ausibus, ac petulantii paterna & non-  
nisi ad cuiuslibet bonum collimantia  
Principis consilia eiudarent, sed po-  
tius omnes quiete domi se continerent,  
& quid circa prætenſa eorum grava-  
mina decernendum esset, in pace com-  
politi expectarent, præcipue vero a  
circumvagationibus, conventiculis, tur-  
*Hist. Eccles. Tom. LXXIII.* N n bis-

Sæc. XVIII. bisque seditiosis abstinerent, spe freti,  
A. C. 1731. cuncta gravamina, quam primum fieri  
poterit, discussum iri, & unicuique,  
quæ coram Deo & hominibus justa fo-  
rent, tribuenda: Nec promisso operis  
constantia defuit; proxima enim die  
sexta Augusti Archiepiscopus ex omni-  
bus Dicasteriis Consiliarios tam Eccle-  
siasticos quam Laicos, & Aulæ Mini-  
stros selegit, eisque præcepit, ut ha-  
bito quantocyus conventu propositas  
hinc inde querelas serio perpenderent,  
& inter se de opportunis consultarent  
mediis, quibus subditorum querelæ  
aut penitus tolli, aut saltem imminui  
possent. Cum autem mediorum exe-  
cutio brevem saltem moram deposceret,  
hinc Princeps per suos Deputatos die  
trigesima Julii subditis denuntiari jussit,  
ut habita tantisper patientia quiete vi-  
verent, & de Principis clementia per-  
suasi, scirent, non alio fine milites al-  
pibus fuisse immisso, nisi ut dissidiis  
fors inter se exorituris tempestive ob-  
viam iretur, & singulorum securitati,  
bonorumque indemnitatì cautum esset.  
Insuper die 30. Augusti singulos admo-  
nuit, ut sub gravissimis poenis dein-  
ceps a temerariis ausibus, conjurationi-  
bus, seditiosis Concionibus, minis, se-  
ductionibus, convitiis &c. penitus ab-  
stinerent. & ad certiorem publicæ pacis  
con-

conservationem nec occulte nec publice  
in quocunque loco & sub quovis præ- sæc. XVIII.  
A.C. 1731.  
textu simul plures quam tres conve-  
nirent.

## §. XXV.

*Generalis Rebellium consultatio  
Schwarzachii habita.*

Paterna hæc Principis benevolentia refractariorum animos adeo non flectebat, ut seposita omni fide & reverentia, Archiepiscopi decreta illudarent, & Catholicos precibus, promissis, minis, ac dolosis suggestionibus ad apostasiam sollicitarent: Quinimo eo temeritatis prolapsi sunt, ut Schwarzachii generalia comitia seu *magnum*, ut vocabant, *Senatum* indicerent. In eo decrevere, viginti suorum Ratisbonam esse ablegandos, ibidem hanc caussam diremptum iri, submittendos esse Prædicantes, si vero his Princeps aditum occlusurus esset, aut milites immittere vellet, eis alimenta fore deneganda, & habitetur rufus consilio cunctos arma sumpturos, primo Parochos dein Dominos, postea ceteros fidei novæ adversantes *Papisticos hosce canes* esse trucidandos, & absissa Catholicorum capita pedibus Lutheranorum conculcanda, vel vice versa; denique

Nn 2 tuen-

Sæc. XVIII. tuendam esse fidei libertatem. in rebus  
A. C. 1731. fidei vivendum ad iussa Ratisbonensium,  
nulloque pacto permittendum, ut a pa-  
tria bonisque suis propellantur &c.  
Hæc plura alia adversus Archiepisco-  
pum & Catholicos, totamque patriam  
perniciosa cudebant consilia, atque in  
illorum excidium insolito jurandi  
modo, scilicet digitis lambendo sal,  
genusflexi, erectaque dextera conjura-  
runt. Postmodum tam publicas quam  
privatas consultationes, & seditione  
habuere conventicula, & Prædicanti-  
bus ad rebellionem concitantibus pro-  
nas adhibuerunt aures. Nil frequen-  
tius audiebatur, quam Parochorum &  
Catholicorum ædes esse deprædandas  
subjectoque igne comburendas, potius  
omnes Catholicos esse jugulandos,  
quam exteros milites ad alpes admit-  
tendos & armamentarium vi esse oc-  
cupandum. In ipsum quoque Archi-  
episcopum ac Principem horrenda e-  
vomuerunt convitia, & pudenda diste-  
ria. & quod obsecrènus, sed a moribus  
eiusmodi Proselytorum non abhorret.  
Archiepiscopi edicta stercorum convitio  
dehonestarunt (\*). Porro hæc omnia  
pluraque alia ab hisce factiosis attentata  
testi-

(\*) Vid, Reichs Fama Tomo XI. cap. 3.  
pag. 461. 467. 469. 480.

testibus idoneis & juratis coram suis Sæc. XVIII.  
A.C. 1731.  
Judicibus comprobata Archiepiscopus publicis typis manifestari jussit, ut omnes a studio partium alieni judicare possent, an rebelles hi subditi toties læsæ Majestatis rei, ac publicæ pacis perturbatores Beneficio Emigrationis in pace Westphalica stabilito jure gaudere valeant, & an non potius per sua scelera indignos fese illo reddiderint?

### §. XXVI.

#### *Caroli VI. Imperatoris epistola ad Salisburgenses Apostatas.*

Cum ergo Archiepiscopus ac Princeps Salisburgensis multiplici experimento comprobatum haberet, rebelles hosce subditos nec clementia, nec minis ad officium redigi posse, Caroli VI. Cæsarlis opem implorabat, datis ad eum literis, quibus refractariam suorum seditionem ac contumaciam pluribus exposuit. Obstupuit ad hæc Imperator, ac suarum partium esse ratus, ut eos ad debitum obsequium auctoritate sua reduceret, ipsus ad illos Vienna die vigesima sexta Augusti prescrivit, se ab Archiepiscopo Salisburgensi, Imperii Principe percepisse, ejus subditos, præcipue Alpium valliumque incolas sub Religionis oppressæ præ-

Nn 3 textu

Sæc. XVIII. textu maximo numero tumultus, va-  
A.C. 1731. riisque in locis factiones concitasse,  
sumptisque armis in Principis Admi-  
nistros insurrexisse, mortem, flamas,  
& deprædationes comminatos, in suum  
Principem & Catholicam Religionem  
scommata, convitia, & blasphemias  
effudisse: ac propterea Archiepiscopum  
supplicasse, ut tanto malo auctoritate  
**Cæsarea** obviaretur: His præmissis Im-  
perator addidit, se utpote Romanum  
Imperatorem, supremum Judicem &  
Imperialis hujus feudi Dominum, esse  
obstrictum, ut pax & tranquillitas in  
Imperio conservaretur, & unicuique  
jus suum tribueretur, præsertim vero  
privatæ violentiæ, ac seditiones præ-  
pedirentur, hinc se, omnes, & specia-  
tim illos, qui sub Religionis oppressæ  
aut aliorum gravaminum obtentu con-  
tra Archiepiscopum Salisburgensem ipsis  
a Deo, Cæfare & Imperio constitutum  
Dominum Territorialem spretis naturæ  
& Imperii legibus seditionem & tumul-  
tus auso temerario concitassent, serio  
hortari, præcipere ac mandare, ut ab  
hoc temporis momento quieti perse-  
rent, suo Principi semper debitam præ-  
starent obedientiam, a conjurationibus,  
& factionibus desisterent, & a seditionibus  
verbis, contumeliis, minis, violentiis,  
& Religionis Catholicæ irrfisionibus ab-  
stine-

stinerent, secus non modo Cæsaris & Sæc.XVIII.  
Imperii indignationem ac perduellionis A.C. 1731.  
pœnam incursum, sed & pro culpæ me-  
rito extremam severitatem experturi:  
Denique Imperator eos admonuit, ut  
si contra suum Principem se vel in Re-  
ligione vel aliis vere gravatos senserint,  
scriptotenus apud Cæsarem utpote Ro-  
manum Imperatorem & supremum in  
Imperio Judicem libere, ac tuto sine  
omni timore sua exponerent gravamina,  
firmiter persuasi, Cæsarem pro officii  
sui debito, nulla habita personæ aut  
religionis ratione, quod justum &  
æquum effet, decreturum.

Die quinta Septembbris Imperator  
datis ad Ratisbonensem Augustanæ  
Confessionis Magistratum literis signifi-  
cabat, sibi a Viris fide dignissimis nunti-  
atum fuisse, Salisburgenses tumultus  
inde potissimum exortos, quod quidam  
e patria profugus, & qui Ratisbonæ  
domicilium fixit, cujusdam Prædi-  
cantis & Hortulani<sup>(\*)</sup> opera usus sub-

Nn 4                    inde

(\*) Ipsi met Protestantes fatentur & glo-  
riantur, quod Josephus Schaiter saepius clam  
in suam patriam irrepserit, suosque popula-  
res non modo ad defectionem a fide sollici-  
tarit, sed & multos libros a se conscriptos  
ad eos miserit & ad generalem emigrationem  
plurimum contulerit Vid. Schelhorn orig.  
Ev. Rel. in Salisb. Jöchers Lexic. lit. S.

Sæc. XVIII. inde plures a fide devios Salisburgen-  
 A.C. 1731 ses incolas ad deserendam patriam &  
 religionem pellexisset, hi vero postea  
 alios quoque seduxissent, ac denique  
 plurimis literis Ratisbona Salisburgum  
 missis, & validissimi auxilii, necnon  
 plenæ libertatis pollicitatione facta ce-  
 teros tam proterve sollicitassent, ut  
 inde præsentes seditiones enatæ fu-  
 sent, & rebelles rustici in suis conven-  
 ticulis & propria auctoritate habitis  
 Concionibus literas Ratisbona missas  
 velut Evangelii partem congregatis  
 prælegissent, ceterisque animum ad  
 parem rebellionem inspirassent: Cum  
 „autem, prosequebatur Imperator, tam  
 „in religiosa, quam Westphalica pace  
 „severe cautum esset, ne quis alterus  
 „subditos ad suam Religionem pellicere  
 „aut suæ jurisdictioni subtrahere au-  
 „deret, hinc serio præcipimus Ratis-  
 „bonensi Magistratui, ut suis Präco-  
 „nibus & civibus districte inhibeat,  
 „ne exteris subditos sollicitare, & a-  
 „lienæ subjectioni eripere præsumerent,  
 „hacque ratione præpedirent, ne sub  
 „falso intempestivi Religionis Zeli ve-  
 „lamine ingentium dissidiorum cædium-  
 „que fomitem subministrent, & Nobis  
 „ansam præbeant, in transgressores  
 „tanquam pacis publicæ perturbatores  
 „ac seditiosos Imperialium poenarum  
 „severitate animadvertisendi.“

§. XXVII.

Sæc. XVIII.  
A.C. 1731.*Salisburgensum rusticorum Deputati  
ad Cæfarem.*

Paterna Cæfaris monita apud eos, quibus sub Religionis larva jugum debitæ subjectionis excutere constitutum erat, adeo nil profuere, ut hi eodem Mense Augusto clam viginti & unum factionis suæ homines Viennam ablegarent. Hi a nemine molestati Lincium usque perveniunt, cum autem nullis publicæ auctoritatis literis provisi essent; urbem ingredi prohibiti sunt: quocirca supplicabant, ut eis saltem Cæfareæ literæ, quibus tutum iter Ratisbonam usque præstaretur, tradarentur: Id quoque eorum datum est precibus, ait confecto unius diei itinere a quodam Comite intercepti Lincium reverti jubebantur, ubi comperto, quod in suum legitimum Principem ac Dominum rebelles insurgerent, custodiæ quidem dati sunt, sed omnibus (ut ipsimet fatebantur) charitatis officiis excepti, ac bene saginati post viginti trium dierum moram sub honorifice militum comitatu Salisburgum reducti fuere. Rumore ad Alpes pervolante perinde acsi eorum Deputati Viennæ in vincula conjecti fuissent, mox Sant-

N n 5

Joan-

Sæc. XVIII. Joannenses & Wagranienses rustici declararunt, quod id si certo scirent, mox sumptis armis Catholicorum carnificinæ initium daturi essent; sibi enim a Ratisbonensibus promissas esse Helvetiorum, Brandenburgium & Saxonum suppetias, circa festum S. Martini nullum ex suis Dominis vita superstitem fore, atque pusillum Catholicorum ci-vium manipulum nullo negotio trucidandum, demum Catholicos in sylvis ferarum more circumerraturos, nec civem, nec militem aut quemcunque alium ex Catholicis a cæde imminunem fore &c.

### §. XXVIII.

#### *Ratisbonensium Legatorum responsum ad Cæsaris literas.*

**Q**uantumvis Salisburgensium rebellio Religionis velamento palliata per juridicam inquisitionem, juratosque testes pene innumeros, imo per ultro-neam factiosorum confessionem comprobata fuisset, & ipsemet Archiepiscopus ad præripiendum honestandæ seditionis prætextum privatum eis sectæ exercitum concessisset, ac prætensa eorum gravamiua sustulisset, nihilominus Catholicorum Principum Oratores, qui se *Corpus Evangelicorum* vocant, horum rebel-

rebellium patrocinium in se suscep-  
runt, atque in suis ad Cæsarem literis  
exposuere, Neo - conversis beneficia in  
articulo quinto Pacis Westphalicæ §. 34.  
36. 37. indulta denegari, aut minui,  
privatum Religionis exercitium & emi-  
grandi libertatem per vincula & carce-  
res, bonorum privationem, & prolium  
impuberum ante annos discretionis de-  
tentionem (\*) vix non everti, vel sal-  
tem difficillimam reddi; eorum non  
paucos ob solam Religionis Lutheranæ  
professionem per armatos e patria ex-  
pulsos, libros Lutheranos & Biblia  
fuisse eis erupta, quæ tamen media(\*\*)  
ad Religionem (prout in Imperio cui-  
que vi pacis licitum) immutandam ne-

Sæc.XVIII.  
A. C. 1731.

cessa-

(\*) Si nefas est, impuberes, cum non-  
dum Religionem feligendi facultate gaudent,  
Patre in apostasiam prolapsò in patria detinere,  
non minus nefas erit, eos ad eam redigere  
necessitatem, ut unacum Patre intra solos  
Acatholicos adolescere, & solam ejus Reli-  
gione amplexi cogerentur, quin adhuc ve-  
rum a falso discernere possent.

(\*\*) Quid si in Saxonia rustici de ejuran-  
do Lutheranismo suspecti Catholicos libros  
& Biblia magno numero retinere ac legere  
deprehenderentur, cauantes, haec esse me-  
dis ipsiis per pacem concessa ad immutandam  
Religionem necessaria?

Sæc. XVIII. ccessaria essent. Postea querebantur  
 A. C. 1731. Legati, nulla deprecationis, quam ipsi  
pro rusticis interposuerint, habita ra-  
 tione Salisburgensem Legatum nequi-  
 dem libellum supplicem acceptasse, nec  
 se ab ipso Archiepiscopo responsum tu-  
 lisse: interim multis neo-conversorum  
 millibus emigrandi difficultatem mo-  
 tam fuisse: Archiepiscopum equidem  
 declarasse, illis emigrandi beneficium  
 plene indultum iri, nihilominus tamen  
 ne uni quidem (\*) concessum fuisse,  
 ut superatis Alpium finibus ad suos  
 Consanguineos, minus ad Corpus Evan-  
 gelicum literas aut notitiam dare po-  
 tuissent, eorum quoque circiter viginti  
 Lincio Salisburgum reductos in carce-  
 ribus contabuisse, alios per milites ex  
 suis lectis ad vincula raptatos fuisse &c.

His expositis Archiepiscopi rationes  
 evertere moliebantur. Harum prima  
 erat, hos rusticos, quid crederent,  
 nescire, multaque Augustanæ Confes-  
 sioni adversa propugnare, proin pacis  
 Westphalicæ beneficio indignos pro re-  
 bellibus esse habendos. II. Eos pro-  
 hibitis conventiculis, conjurationibus,  
 vectigalium denegatione, flammarum  
 rique

---

(\*) Göckingus in sua Emigrationis His-  
 toria de pluribus Ratisbonam adventantibus  
 mentionem facit Lib. II. cap. 2.

rique comminationibus, convitiis, pro-  
bris, & calumniosis decretorum lace-  
rationibus &c. rebellionem contra Prin-  
cipem suum ejusque Administros pa-  
lam prodidisse. proin saltem in sedi-  
tionis coryphaeos sedulo inquirendum,  
eosque ad terrorem aliorum severe  
puniendos. III. Illos nullatenus emi-  
grandi facultatem, sed *publicum* Reli-  
gionis exercitium contra statum anni  
decretorii manifestissimum intra ditio-  
nem a suo Principe per rebellionis  
viam extorquere voluisse. IV. Eis  
antea emigrandi copiam fuisse datam,  
qua tamen repudiata illam haud ultra  
concedendam, si tamen coryphæis  
promerita pœna multatatis ceteri debi-  
tam præstiterint subjectionem, de emi-  
grandi modo agi posse. Ad hæc re-  
sponderunt Legati, & quidem ad pri-  
mum, hosce rusticos in Lutheranismo  
ideo rudes esse, eoquod nec Prædi-  
cantes nec Ludimagistros habuissent,  
sed fidem duntaxat ex privata Paren-  
tum institutione & ex aliquot libris di-  
dicissent, eos ad Lutheranorum loca  
abducendos brevi in fide profecturos,  
ac propterea cum salutis periculo diu-  
tius in suo errore inter Catholicos non  
esse relinquendos: de cetero paucos  
forsitan ex Catholicis, si a Prædicantibus  
examinarentur, ægre ad suæ fidei ratio-

Sæc. XVII.  
A.C. 1731.

nem

Sæc. XVIII. nem reddendam, capaces inveniri (\*).  
A C. 1731. Ad secundum, hæc duntaxat a quibusdam fuisse attentata, fors ex erronea opinione, quod post sociorum incarcerationem de eorum credendi atque emigrandi libertate perpetuo actum foret. Ad tertium, publicum Religionis Lutheranæ exercitium petere, nec crimine esse, nec Principem teneri, illud concedere: privatum autem exercere aut emigrare cuique liberum esse, Archiepiscopum autem in suo decreto Neo-conversis præcepisse, ut Ecclesiasticis suis Superioribus parerent, seu quod idem esset, ad Religionem Catho-

(\*) Vix credibile est, quod Lutherani benigna hac excusatione: scilicet illos non bene in Lutheri doctrina esse instructos, absolverent illos, qui se suæ Religioni addictos simularent, & tamen exterius profiterentur Christum Dominum in Cruce desperasse, & damnatum fuisse, Deumque Patrem ac Spiritum Sanctum, non item & Filium profitendum esse, aut dicerent Lutherum, ejusque uxorem Catharinam (sicut de B. Virgine, SS. Petro, Anna, Augustino, & Joanne Nepomuceno Salisburgenses blaspheme enuntiarunt) in infimo inferni angulo hærere, & stercore &c. (pudor calamum excutit).

tholicam reverterentur. Ad quartum: Sæc. XVIII.  
 emigrandi copiam aut serius, aut fors A.C. 1731.  
 non in tempore fuisse datam, ac dun-  
 taxat sub implicita conditione, si se se  
 subjecerint, id est, si ad Religionem  
 Catholicam reversuri essent.

Postea Legati testimonia, quibus  
 temerarii rusticorum ausus comprobati  
 fuere, enervare moliti sunt. I. Quia  
 hæ inquisitiones non ab aliis consecræ  
 sunt, quam ab Ecclesiasticis & Laicis,  
 qui ipsimet hæc gravamina intulere.  
 II. Quia sunt Judices in propria caussa,  
 proin suspecti. III. Quia nulli Prote-  
 stantes ejusmodi inquisitionibus inter-  
 fuerunt, quamvis hi in negotio religio-  
 nis, ubi de beneficio emigrandi agitur,  
 ex pace Westphalica jus quæsumum ha-  
 beant (\*). His expositis Legati nupe-  
 rum Cæsaris scriptum ad Ratisbonen-  
 sem

(\*) Hæ inquisitiones ex speciali Archiepi-  
 scopi mandato saepius non a Pagorum Præto-  
 ribus, sed ab Ecclesiasticis & Laicis ejusdem  
 Consiliariis & Administris institutæ sunt, &  
 testes ad dicendam veritatem juramenti Re-  
 ligione adæcti, vel ergo ipse Archiepiscopus,  
 omnesque ejus Consiliarii mendaces, calum-  
 niatores, & tot illium innocentum oppres-  
 sores inhumanæ, testes perjuri & falsarii fue-  
 runt

Sæc. XVIII. sem Magistratum impugnarunt, exposantes, se non credere, quod quispiam, minus vero hic Magistratus Catholicos Salisburgenses ad defectionem sollicitarit, si vero quidam Præco vel alii suos Amicos jam palam Augustanæ Confessioni addictos Verbo Dei vel litteris *ad patientiam, quietem & obedientiam* excitarint, id pace Westphalica prohibitum non esse; postea veteres suas querelas innovarunt de Erthalenibus, Auffseesianis & Centhrafensibus prolibus. Demum ad tollendos Salisbur-

---

runt, quod vel cogitare, reverentia, & charitas, ac sana ratio prohibet, vel hæ inquisitiones & testium depositiones fuerunt legitimæ & ordine juris factæ, quod Adversarii fateri coguntur, secus pariter de integritate eorum dubitari posset, qui de duorum Emigrantium doctrina die 20. Nov. 1731. & aliorum trium innocentia Memmingæ 3. & 5. Jan. 1732. testati sunt, cum in propria causa Judices, de cæco Religionis Zelo suspecti, talesque, quos tanquam benevolos Receptores sibi deinererit, emigrantium plurimum intererat, esse videantur, & ejusmodi examinibus nullus Archiepiscopi Administer adfuit, qui tamen *in suos subditos* jus quæsitum habuisset.

burgensium motus Cæfari tanquam op-  
portunissimum medium proponunt Lo-  
CALEM *commissionem* ab utriusque Reli-  
gionis statibus suscipiendam: hæc au-  
tem tum superflua videbatur, cum Ar-  
chiepiscopus rebellibus suis subditis  
& seditioſi San - Joannenses die 17.  
Nov. 1731. in suo libello supplici ad  
Archiepiscopum fass̄i fuissent, decretum  
de emigrando poenam esse, quam ipsi  
vel maxime promeriti fuissent, & ipſos  
de sua petulantia ex corde pénitere: id  
autem quod factum effet, infectum fieri  
haud posse.

### §. XXIX.

*Emigrationis terminus ab Archiepi-  
scopo præfixus.*

Crescente indies rebellium petulantia,  
& seductionis periculo res ad eam de-  
ducta erat necessitatem, ut Princeps eis  
vel publicum sectæ suæ exercitium in-  
dulgere, vel emigrationem præcipere co-  
geretur; utrumque perardui negotii  
opus; quippe tot millium a patria ex-  
cessus ærario publico vel maxime no-  
xius, sectariæ autem Religionis liber-  
tas æternæ Catholicorum saluti per-  
quam periculosa; præsertim cum per-  
juratos testes comprobatum effet,

*Hist. Eccles. Tom. LXXIII. Oo Ca-*

Sæc. XVII.  
A.C. 1731.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1731.

Catholicorum quamplurimos minis,  
promissis, alimentorum omnisque opis  
subtractione aliisque mediis ad defectionem  
inductos, alios vero ab hisce re-  
bellibus invitatos ac reluctantates apostatarum  
catalogo fuisse insertos: Maluit  
tamen Archiepiscopus maximam suo-  
rum reddituum jacturam pati, quam ex  
Sectariorum consortio fidelium subdi-  
torum salutem seductionis periculo ex-  
ponere: Statuit ergo, rebellibus emi-  
grandi modum & terminum præscri-  
bere; hancque in rem die trigesima  
prima Octobris edictum promulgari  
jussit, in quo temerariis rebellium au-  
sibus fuse expositis invictam suam pa-  
tientiam, indulgentiam, & tot paterna  
monita ac consilia nequiter elusa que-  
stus, declarabat, quod quidem illos  
tanquam seditiosos & perfidos jam du-  
dum promerita poena castigare potuisset,  
prævalente tamen paterna ejus  
charitate adhucdum per encyclicas  
literas seditiosos hosce ac in ipsum Prin-  
cipem suum, patriamque perduelles  
subditos ad debitam obedientiam, sub-  
jectionem, juratamque fidelitatem hor-  
tari voluerit. His ipsis tamen monitis  
se adeo nihil profecisse memorat, ut  
potius, sicut antea, temeritate haud  
toleranda Principis sui literas contumeliosis  
verbis & factis dehonorare,  
ipfis-

ipsisque Prætoribus aliisque in faciem  
oggere non erubescerent: *Principem* Sæc. XVIII.  
*non esse eorum Dominum, nil sibi cum ipso* A. C. 1731.  
*esse &c.* Inde vero Archiepiscopus  
optime inferebat, vanum fuisse eorum  
prætextum & querebas de oppressa Re-  
ligione, aliisque oneribus, illos re ipsa  
omnino modam a subjectione libertatem  
obtendisse, & Statum in Stato erigendi  
occasione quæsiisse: eo que collimasse  
post iteratum interdictum continuatas  
conjurationes, conventicula, Catholi-  
corum Templa frequentandi inhibitio-  
nes propria auctoritate factas, impias  
& seditiosas Conclaves, convocato e-  
tiam per tympana vel sclopos populo,  
in pluribus ædibus, aliisque locis ha-  
bitas &c. His sub junxit Archiepisco-  
pus: Propter hasce seditiones in le-  
gitimum suum Principem motas, nec  
non propter publicæ quietis perturba-  
tionem, non autem propter Religio-  
nem Coryphæos & præcipuos tumul-  
tuum Auctores fuisse custodiæ datos,  
nec tamen propterea ceteros ad san-  
cta rediisse, sed potius, ut captos in liber-  
tatem affererent, & fideles subditos  
aggrederentur, novas conjurationes  
altero mane iniisse, & quamvis per  
militis ab hostili invasione præpediren-  
tur, passim tamen seditiosa habuisse  
conventicula, saepiusque in suum Prin-

Sæc. XVIII. cipem horrenda effudisse convitia, crea-  
 A.C. 1731. tisque inter se novis Coryphæis sese  
Episcopalium Prætorum mandatis op-  
 posuisse, hisque præsentibus immotam  
 fidem suæ factionis Auctoribus data  
 dextera jurasse: Et tamen (quod longe  
 pejus esset) hos sub ementito oppressæ  
 Religionis & denegatæ emigrationis  
 velamento, aliisque fallis prætextibus  
 Protestantium opem & patrocinium  
 implorasse expositisque pluribus menda-  
 ciis poena dignissimis non modo in finiti-  
 mis Provinciis seditionem, sed & in toto  
 Romano Imperio belli flamas excitare  
 molitos esse:

„Nunc vero, prosequebatur Archi-  
 „episcopus, nec Domini ac Principis,  
 „& Archiepiscopi dignitas, nec com-  
 „missa Nobis potestas permettere vide-  
 „tur, ut publicæ quietis ac securitatis  
 „perturbatores in seditionis suis ausibus,  
 „& supra enarratis sceleribus diutius  
 „impune permaneant, cumque eorum  
 „petulantiae plusquam sexcentis rela-  
 „tionibus, haustis notitiis, juratis in-  
 „quisitionibus, testibus, literis, & ocu-  
 „lari experientia abunde comprobatae  
 „sint, ac insuper memores simus, edi-  
 „ctorum, quibus Prædecessores nostri  
 „tam de fidei rebus, quam de hæresi  
 „suspectis subditis, juxta Imperii leges  
 „prospexere, aliunde vero Nos Domino  
 „Deo

„Deo rationem reddere non audere-  
 „mus, si tanquam Princeps Ecclesia-  
 „sticus in Archiepiscopatu, in quo per  
 „mille duecentos annos nunquam alia  
 „præter Catholicam Religionem vi-  
 „guit, contrariam toleraremus: Ea de  
 „caussa emigrationem adeo non præ-  
 „pedire, ut potius eam promovere  
 „adstringimur, ut a ceteris nostris sub-  
 „ditis, & finitimiis Austriae ac Bavariae  
 „Provinciis seductionis periculum sub-  
 „moveamus: Statutum igitur est, ad  
 „perpetuam stabilemque pacem in Ar-  
 „chiepiscopatu reddendam, & præca-  
 „venda majora mala, refractarios &  
 „seditiosos hosce homines, qui Archi-  
 „episcopatum tot totiesque repetitis  
 „intestinis tumultibus vexarunt, radi-  
 „citus extirpare, præcipue cum jure  
 „timendum, eos deinceps quoque, uti  
 „haec tenus nostram Provinciam crebris  
 „turbis molestaturos, & insuperhabitatis  
 „Pastorum, qui eos sine vi aut coactio-  
 „ne unice mansuetudinis via ad rectam  
 „semitam reducere conati sunt, moni-  
 „tis, & spreta Pastorali nostra sollici-  
 „tudine in sua pervicacia perseveratu-  
 „ros. Quocirca necessarium duximus  
 „promulgato nostro edicto omnibus &  
 „singulis, qui palam vel occulte fese  
 „Augustanae vel Calvinianæ Confessioni  
 „addixerunt, pro nobis sicut & cuilibet

Sæc. XVIII.  
A.C. 1731.

Sæc. XVIII. „ Imperii Statui competente jure refor-  
 A. C. 1731. „ mandi, & emigrationem præcipiendi,  
 „ mandamus I. ut omnes seditionis  
 „ rei, ac uni ex toleratis Religionibus  
 „ dediti sub gravissimis pœnis ex omni-  
 „ bus Salisburgensis Provinciæ locis  
 „ exceedere teneantur, & quidem II.  
 „ Ex his famuli, ancillæ &c. intra octi-  
 „ duum cum suis sarcinis sine spe gra-  
 „ tiæ emigrent. III. Illi, qui in  
 „ Archiepiscopi servitiis sunt, a die pu-  
 „ blicati hujus edicti suis officiis & fa-  
 „ lariis privati sint. IV. Sicut ex ve-  
 „ teri more nullus nisi Catholicus in  
 „ Salisburgensi ditione jure civitatis do-  
 „ natus fuit, ita omnes, qui se sectæ  
 „ addictos declarant, jure civitatis  
 „ & opificii spolientur & emigrare te-  
 „ neantur. V. Ex his bonorum immo-  
 „ bilium possessores utriusque sexus,  
 „ quamvis ob seditionem & alia scelera  
 „ beneficio emigrationis indigni sint,  
 „ nihilominus singulari hac gratia po-  
 „ tiantur, ut pro rata tributi, quod de  
 „ suis bonis pendent, unius, vel duorum  
 „ aut trium mensium terminum emi-  
 „ grationis habeant, intra quem tamen  
 „ sua bona vendant, & interea unum  
 „ famulum vel ancillam suæ sectæ reti-  
 „ nere permittantur. VI. Reservata  
 „ autem nobis pœna in eos, qui hæresi  
 „ in Imperio nunquam toleratæ nomen  
 „ de-

„dederunt, ceteris, qui de seditione <sup>Sæc. XVIII.</sup>  
 „vel rebellione postulati non fuerint, A.C. 1731.  
 „emigrationis beneficium, & si resi-  
 „puerint, veniæ gratia impendatur.  
 „VII. Illi, qui ob temporalium metum  
 „ignari quid crederent, se Lutheranæ  
 „sectæ addixerunt, vel ad palliandam  
 „suam seditionem se fidei Catholicæ  
 „addictos simularunt, nisi intra quin-  
 „decim dies ab instituta Commissione  
 „sui erroris poenitentiam egerint, &  
 „se Catholicos esse professi fuerint, in  
 „hoc edicto comprehendantur, nec  
 „caussari possint, se inscios & invitos  
 „falso ad Lutheranorum catalogum  
 „suisse relatos, nisi inculpati moribus  
 „& jurato testimonio hoc falsi crimen  
 „comprobare possint. VIII. Hos, qui  
 „quamvis nec clam nec publice sectæ  
 „nomen dedissent, de ea tamen suspecti  
 „vel libros prohibitos retinere depre-  
 „hensi sunt, Administri tam Ecclesia-  
 „stici quam Laici juridice, sine omni  
 „tamen vel pecuniaria vel Ecclesiastica  
 „poena interrogent, an sint Catholicci  
 „vel Sectarii, si primum, eos ad incul-  
 „patam vitam, & rejiciendos ejus-  
 „modi libros hortentur, si secundum,  
 „eis conscientiæ libertatem relinquant,  
 „denuntient tamen, ut intra terminum  
 „ab Imperii legibus præfixum divendi-  
 „tis bonis, & persoluta ob emigratio-

Sæc XVIII. „ nem debita præstatione ubique con-  
A.C. 1731. „ sueta e patria excedant. IX. illis  
„ vero, qui Religioni in Imperio tole-  
„ ratæ addicti, nec seditionis nec ha-  
„ resis convicti sunt, Administri omne  
„ auxilium ad commodam emigratio-  
„ nem præstare teneantur, nec de eo-  
„ rum nativitate, opificio, honestis  
„ moribus &c. petita testimonia eis de-  
„ negent, minus vero præter consue-  
„ tum tributum emigrationis quicquam  
„ ab illis exigant, sed eis tutum com-  
„ meatum per omnes Præfectutas præ-  
„ stent. X. Emigraturi omnes ante  
„ discessus terminum sese coram suis  
„ Superioribus fstant, & persoluto emi-  
„ grationis tributo securitati publicæ  
„ literas petant. XI. Administri hu-  
„ jus edicti executionem accuratam ur-  
„ geant, in transgressores post evolu-  
„ tum terminum inquirant, eosque de-  
„ bita poena mulctatos ad emigrandum  
„ compellant. „ Hoc edicto Salisbur-  
gensis Archiepiscopus ac Princeps Pro-  
vinciam suam ab hac sectariorum fæce  
expurgatum, & Imperii legibus hac  
in re satisfactum iri sperabat: Nihilo-  
minus Daniæ Regis Orator Joannes de  
Holze die decima Novembris Salisbur-  
gensi Legato intimabat, ut Archiepi-  
scopum eo induceret, ut hisce rusticis  
aut liberum Religionis exercitium per-  
mit-

mitteret, aut juxta pacis Westphalicae præscriptum liberam emigrandi facultatem daret: San - Joannenses quoque & Lichtenbergenses aliique rustici terminum emigrationis prolongari, humilime ab Archiepiscopo petebant. Horum precibus inclinatus Princeps die 29. Novembr. indulxit, ut terminus prolongetur usque ad festum S. Georgii, & illi, qui intra hoc tempus bona sua divendere non potuerint, eorum curam & administrationem Catholicis usque ad Annum 1734. committere, & filii ac filiae apud suos Parentes, quibus hæc prolongatio indulta est, remanere valeant, præfertim vero gravidæ aut lactantes fœminæ usque ad commodum tempus tolerentur.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1731.

### §. XXX.

#### *Caroli VI. Imperatoris responsum ad Ratisbonensem Legatorum literas.*

Pro emigraturis, ut supra memoravimus, deprecabantur Ratisbonenses Principum Acatholicorum Oratores, quibus Carolus VI. Imperator hoc anno die sexta Decembris rescribi jussit, „pensatis omnibus, quæ Salisburgo relata fuissent, localem commissionem non esse necessariam; nil enim aliud

Sæc. XVIII. „ ab Augustanæ Confessionis Principi.  
 A.C. 1731. „ bus peti, nisi ut hisce rusticis benefi-  
 cium emigrationis ad normam pacis  
 „ Westphalicæ concederetur, nec ipsa  
 „ emigratio valde difficilis redderetur,  
 „ Salisburgensem vero Archiepiscopum  
 „ jam fuisse admonitum, ut hac in re  
 „ nihil eorum prætermitteret, quæ a  
 „ præfatis subditis juxta Imperii leges  
 „ desiderari possent, Cæsarem quoque  
 „ supremi pacis Westphalicæ Executo-  
 „ ris partes gnaviter expleturum, &  
 „ quæ hucusque in favorem Archiepi-  
 „ scopi præstisset, vicinitatis jure &  
 „ pacis conservandæ studio, non autem  
 „ rusticis Imperii legum, & præsertim  
 „ pacis Westphalicæ indulta imminuen-  
 „ di aut subtrahendi animo fecisse  
 „ &c. Hæc Imperator, nec tamen  
 propterea Protestantes cessabant Ratis-  
 bonæ altum clamare, minari, & de  
 pace Westphalica apud Cæsarem queri,  
 omnesque intendere nervos, ut rebel-  
 lionis luce meridiana clarus compre-  
 batæ culpam a factiosis hisce subditis  
 amolirentur. Querebantur etiam, quod  
 Salisburgensis Archiepiscopus Luthe-  
 ranis Principibus, quorum ditiones  
 hi rustici pertransirent, de eorum ad-  
 ventu nec minimam dedisset notitiam,  
 cum tamen his a Salisburgensi Senatu  
 & Prætoribus literæ tutum iter præ-  
 stantes

stantes typis excusæ, quotquot petebantur, datæ fuissent, atque in illis omnes status, & officiales rogarentur, ut hisce emigrantibus non modo liberum transitum concedere, sed requisiti omnem eis opem præstare velint: Ampliora certe Catholici ex Protestantium ditione emigrantes, si forte vel leviter de rebellione *suspici* fuissent, sibi non pollicerentur. Nihilominus tamen ipse met Archiepiscopus Salisburgensis datis ad Carolum Albertum Bavariae Electorem literis liberum commeatum hisce Agrestibus concedi petebat, ut constat ex ejusdem Electoris mandato ad suos Prætores die decima quinta Decembris dato, vi cuius injunctum, ut eis nulla omnino molestia aut contumelia inferretur, sed alimenta, alia que necessaria pro parata pecunia (non petitio transitus censu) suppeditarentur.

### §. XXXI.

#### *Prima Emigrantium cohors Kauffbrum & aliorum delata.*

Tandem ostingenti circiter Salisburgenses rustici, comitante eos Archiepiscopali Commissario Schongauum die vigesima quinta Decembris pervenerunt: Dati fuere ex Archiepiscopi clementia cuilibet pauperi in singu-

Sæc.XVIII.  
A.C. 1731.

Sæc. XVIII. singulos dies ad sustentationem sex crucis  
 A. C. 1731. cigeri: Nihilominus tamen, cum Commissarius eos nonnisi Schongavium usque conducere jussus reditum pararet, hi rustici ad locum Augustanæ Confessioni addictum deduci, tanta importunitate ab eo petebant, ut eidem vim se illatuos minitarentur: Horum igitur violentia expugnatus, die vigesima septima illos usque ad pagum Dierithum comitabatur, inde vero Josephi Gabrielis Kans Pro - Præfecti Schongaviensis jussu per Antonium Büchler Præfecturæ Tabellarium inclinato jam sole Kauffburgum ingressi sunt, nonnullis poenitentia ductis & ad patriam reversis, ceteris omnibus, quid crederent, ignaris, & ob solam contumaciam Lutheranis: Hæc de iis præfatus Tabellarius coram Kauffburense Magistratu testabatur. Porro ex hisce sexaginta tres in urbe remanserunt, a civibus Lutheranis perbenevole excepti: alii numero trecenti viginti sex Memmingam, & centum nonaginta septem Augustam, & denique centum quinquaginta Campidonum abire die 30. Decembr. jussi sunt. Sequenti die trecenti quadraginta quatuor Memmingam pervenere, ad quos die prima Januarii alii centum sexaginta & unus, qui a Campidonensi Præfecto L. B. de Frey-

Freyberg transitu prohibiti sunt, acceſſe: ex his Memmingani Cives nonniſi ducentos quadraginta excepero, ceteros vero circiter ducentos sexaginta Ulmam (Bibaracenses enim nullum ex his rusticis admittebant) abduxerunt. Die autem vigesima prima Martii Memminganus Senatus datis ad Salisburgensem Archiepiscopum literis suppli-  
cabat, ut hisce miseris relictis eorum bona restitui juberet. Ad hæc Archiepiscopus die decima Aprilis rescribi jussit, quod ad compensationem maximorum sumptuum, quos ad fopiendam rebellionem ab eis concitatam ærarium Principis tulisset, jure merito exiguae illorum facultates retineri potuissent, aliunde vero ipsis, si concessa emigrationis prolongatione uti voluissent, integrum fuisset, sua bona plus offerenti pro arbitrio divendere, nihilominus Archiepiscopus die quinta Aprilis ex singulari clementia præcepisset, ut omnia eorum bona divenderentur, & pecunia inde hausta usque ad obulum eis commoda occasione transmitteretur. Denique die secunda Januarii centum quinquaginta quinque exules ad Campidonensem Urbem Acatholicam pervenere, ex quibus nonaginta sex retenti sunt, ceteris Lautkircham missis.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1731.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1731.

## §. XXXI.

*Difficultas Augustæ mota circa horum  
Agrestium receptionem.*

Jam die vigesima nona Decembbris Anno 1731. Kaufburani Senatores Lutherani ad Augustanos perscripserant, circiter quadringentos ejusmodi rusticos Augustam venturos, quos in Urbem (nequidem salutato Senatu Catholicó) recipi petebant. Habita hac notitia Senatus Acatholicus per Schleisnerum famulum Joanni Jacobo de Holzapfel Duumviro Catholicó denuntiavit, se in animum induxisse, ut his exilibus, donec aliorum mitti possent, interim in Cauponum ædibus habitaculum assignaretur, proin rogare se, ut communi consilio statueretur, quatenus hi per Urbis portas libere admittentur. Ad hæc spectatissimus Duumvir reposuit, hanc rem maturioris esse deliberationis, seque cum ceteris secretioris senatus Patribus Catholicis desuper acturum. Eadem ergo adhuc die Catholicí convenere, in hauc abeuntes sententiam, tot hominum plerumque pauperum transitum per Urbes non esse consuetum, & ubi extra moenia æque commode pertransiri potest, non esse necessarium, semper autem in

in urbe mixtæ Religionis ob tumultus Sæc.XVIII.  
 periculoseum, & præsenti tempore Urbi A.C. 1734  
 permolestum, cum mendicos accepta  
 eleemosyna ex Urbe educendos esse,  
 non ita pridem in Senatu statutum  
 fuisset: Has ob caussas Senatus Catho-  
 licus rusticos in Urbem admitti nega-  
 vit, ne tamen religionis odio id fieri  
 videretur, Augustanæ Confessionis Se-  
 natoribus intimatum. Catholicos per-  
 mittere, ut hi exules extra Civitatem  
 in vicinis pagis Oberhusii vel alibi per  
 unius diei moram quieti indulgerent,  
 de expensis cautione prius præstita.

Accepto hoc responso Acatholici  
 habito colloquio die trigesima prima  
 Decembris declararunt, se omne tu-  
 multus periculum provide præventu-  
 ros, seque his misericordiis unius alteriusve  
 diei moram in urbe ideo duntaxat in-  
 dulgere, ut in Ecclesiis sacro Concio-  
 num solatio recreari possent: Catholici  
 quamvis reponerent, quod in publicis  
 Tabernis & in Civitate Augustana ob  
 religionis diversitatem inter tot homi-  
 nes immorigeros, rudesque seditionis  
 ac tumultus periculum nunquam satis  
 præcaveri posset, nihilominus Acatho-  
 lici a sua sententia & petito minime re-  
 cesserunt; quocirca Catholici amore  
 pacis concessiere, ut ex his rusticis ex-  
 tra urbem habitantibus quovis die al-  
 ter-

**Sæc. XVIII.** ternis vicibus & horis centum, proin  
 A. C. 1731. intra quatriduum omnes quingenti mi-  
 litibus stipati urbem & Templum in-  
 gredi possent, ita tamen, ut finita Con-  
 cione ad loca sibi assignata redeant, &  
 ab Urbis ingressu arceantur illi, qui  
 Medicorum judicio contagioso morbo  
 laborant. Verum Acatholici æquas  
 hasce transitus conditiones, quantum-  
 vis Civium ipsorumque Emigrantium  
 securitati proficuas, acceptare recusa-  
 runt, eademque die ducentos triginta  
 sex rusticos, qui tum advenerant, ne-  
 quidem consulto Senatu Catholico per  
 Senatores Acatholicos in vicinis locis  
 collocarunt, & intra paucos dies par-  
 tim occulte, partim personatos in rhe-  
 dis, partim sub specioso eos ad famu-  
 latum conducendi obtentu cunctos in  
 urbem introduxerunt, id ægerrime fe-  
 rentibus Catholicis, utpote quibus par-  
 jus & dominium in hosce pagos & ur-  
 bem esset: Insuper Burtzlerus & Vol-  
 ckius Acatholici milites omnium por-  
 tarum excubiis, falso indicare præsum-  
 pserunt, Joannem de Stetten Augustanæ  
 Confessionis Duumvirum præcepisse, ut  
 simul tres vel quatuor ex emigrantibus  
 libere in urbem admitterentur: De hac  
 autem injuria, & officii sui usurpatione  
 graviter querebatur Nicolaus Frideri-  
 cus de Langenmantel a Westheim præ-  
 toriaæ

toriæ cohortis Centurio, cui in man- Sæc. XVIII.  
datis antea datum erat, ne ex emi- A. C. 1731.  
grantibus ulli sine utriusque Duum-  
viri consensu Urbis ingressum concede-  
ret. Gravior postmodum querela mo-  
vebatur a Senatu Catholico: Hic enim  
innuptos famulatus gratia in urbem ea  
lege admitti concedebat, ut annotato  
eorum numero Prætori indicaretur,  
ubi servitia agerent; cumque præterea  
ipsi Acatholici prius hosce emigrantes  
duntaxat, *donec aliorum mittantur*, per  
*quatuor dies extra urbem ali petiissent*,  
eapropter haud tolerandum Catholico  
Senatui videbatur, quod hi rustici in  
urbe stabilem figerent sedem, & jam-  
jam per duodecim omnino dies ibidem  
morarentur. Ergo Catholici talia ab  
una duntaxat parte contra stabilitam  
communis Regiminis normam & pro-  
priam Acatholici Senatus declaratio-  
nem attentari, iniquissimo ferebant  
animo, & die præfata ab Acatholico  
Senatu ad sequentia quæsita respon-  
deri, unanimi suffragio postulabant:

I. An rustici ad urbem admissi non  
ex illis sint, qui de rebellione in suum  
Principem mota testibus & documen-  
tis convicti fuissent?

II. Quibusnam quivis eorum atte-  
statis, & transitus literis instructus sit?

Sæc. XVIII.  
A. C. 1731.

III. Quo<sup>e</sup> e<sup>j</sup>usmodi homines in Urbe reperiantur, & cujus sint nominis?

IV. An innupti vel conjugati, & quot mares, quo<sup>t</sup> fœminæ adsint?

V. Ubi & apud quos Cives morarentur?

VI. Qua via sibi sustentationem procurent, & an facultatibus ita provisi sint, ut nec nunc nec imposterum Ci-  
vibus & ærario oneri esse possint.

VII. Quis & qualiter de damno, & tumultu ab his alienigenis fors excita-  
tando cautionem sit præstiturus?

VIII. An hi Confessioni Augustanæ  
*in omnibus articulis* consentiant?

IX. Utrum Acatholici cunctos, qui fors adhuc superventuri sunt, pariter *propria* auctoritate in Urbem recipere intendant? Attamen Acatholici ad has quæstiones respondere usque ad vigesimam quintam Januarii diem cun-  
ctabantur, qua demum die Catholicus Senatus responsum dari, denuo pete-  
bat, declarans, nisi protinus, & antequam nova Emigrantium turma Urbi appropinquaverit, respondeant, & tam adventuros quam præsentes rusticos aliorum abduci procurent, Senatum Catholicum compulsum iri, ut mediis æquissimis & Cæsareæ Majestatis menti consonis non modo adventuros, sed & hucusque in Urbe detentos inde arce-  
rent,

rent. His insuperhabitibus a Senatu Sæc. XVIII.  
 Acatholico Deputati eadem adhuc die A. C. 1731.  
 quingentos Emigrantes, qui recens  
 advenerant, inconsulto ac inscio Ma-  
 gistratu Catholico ad loca urbi vicina,  
 Nosocomium utriusque parti commune,  
 & ad jaculatorium hortum conduxere,  
 ibidemque habitationem eis assigna-  
 runt. Cum ergo Catholicus Senatus  
 fundatum suum prohibendi & pari au-  
 toritate gubernandi jus denuo gravi-  
 terque lædi cerneret, Urbis portas  
 claudi jussit, ne hi rustici sub variis  
 prætextibus, & dolis ad maximum Ci-  
 vium gravamen & onus clam rursus in  
 Urbem irrepere possent.

Tandem senatus Acatholicus, ut  
 sibi nuper exprobrata dilueret, die vi-  
 gesima quinta Januarii decretum edi-  
 dit, in quo receptionem horum exulum  
 utpote suæ fidei addictorum *sibi soli*  
 ideo competere propugnabat, quia Ma-  
 gistratus *Evangelicus* in *Evangelicis* re-  
 bus jura in *Evangelicos* privative exer-  
 cere potest. (Quid si autem Magi-  
 stratus Catholicus in Catholicorum re-  
 bus jura in Catholicos privative & sine  
 Acatholici Magistratus consensu exer-  
 ceret, & trecentas circiter Moniales,  
 Religiosos aut Catholicos Sacerdotes  
 recens in Urbem reciperet, quin inde  
*ullum vel unius hominis minus vero civium*

Sæc. XVIII. Acatholicorum gravamen fieret, utpote  
 A.C. 1731. a Catholicis alendos?) Postea Aca-  
 tholici ad Magistratus Catholici quæ-  
 sita, & quidem ad quinque priora re-  
 sponderunt, id constare ex commeatus  
 literis, quas Emigrantes secum attu-  
 lissent, necnon ex nota apud Consulem  
 Lutheranum reposita. Ad sextum fuit  
 responsum, quosdam ex famulitio, a-  
 lios ex Civium Acatholicorum elec-  
 mosynis sustentari, Ad septimum, de  
 hisce rusticis hucusque nil mali timen-  
 dum, potius tamen de famulis Eccle-  
 siasticorum & Nobilem Catholicorum:  
 ceterum de pauperibus & famulis suffi-  
 cienter provisis cautionem non præ-  
 stari. Ad octavum, notum esse, hos  
 rusticos profiteri Lutheranam Religio-  
 nem, an autem in omnibus articulis con-  
 sentiant, dependere ab eorum Institu-  
 tione: credibile tamen esse, eos de sua  
 fide æque instructos esse, ac multi  
 Catholici e plebe de sua religione. De  
 quo tamen quæstio non erat, sed an  
 sectæ non toleratæ errores teneant,  
 quod certe de nullo insimæ etiam con-  
 ditionis Catholico quantumvis rudissi-  
 mo afferi potest: Utrum vero adhuc  
 plures ejusmodi Emigrantes Augustam  
 venturi sint, ad hanc quæstionem re-  
 spondit Magistratus Acatholicus, id  
 ab Archiepiscopi Salisburgensis &  
 Cæ-

Cæsaris dispositione dependere, si vero re ipsa venturi essent, Magistratum, quod æquitati & S. Cæsareæ Majestatis menti consonum foret, facturum.

Sæc.XVIII.  
A. C. 1731.

Perlecto hoc decreto Magistratus Catholicus probe cognoverat, responsum ad quæsita adæquatum vagis ejusmodi verbis declinari, & sub prætextu *juris in Sacra communem Regiminis normam*, & inde profluentia communia Status jura everti; nihilominus tamen justæ indignationi prævalente pacis studio Magistratus Catholicus, tres portas aperiri jussit, eo quod Acatholici declarassent, rusticos proxima die vigesima octava Januarii a territorio Augustano discessuros, interim vero portarum excubidores aucto præsidiariorum militum numero curatos, ne emigrantium ullus urbem clandestine ingrederetur.

Nondum tamen querelarum finis; Acatholicus enim Magistratus needum numerum eorum, quos ex recens advectis Emigrantibus ad servitia assumere vellet, Catholicis communicabat, declarabat tamen, quod adhuc alios paucos, qui vel ob infirmitatem vel ætatem statim abduci non possent, proxima feria quarta sine militari comitatu extra territorii Augustani fines per Augustanæ Confessionis Deputatum

Sæc. XVIII. deportaturi sint. Postea tamen Catho-  
A. C. 1731. licis innotuit, quod Lutherani Cives  
pluribus Emigrantibus promisissent, se  
tam dextre rem acturos, ut clausis e-  
tiam portis ex iis nonnulli in urbem  
introducerentur, imo quod eorum fi-  
lli jamjam Parentes suos valere jussi-  
sent: Enim vero Acatholici contra Ma-  
gistratus Catholicorum voluntatem non  
modo innuptos sed & conjugatos ad-  
mitti petiere, ac declararunt, se ex  
lege charitatis, naturæ & gentium ob-  
stringi, ut, si adhuc alia Emigrantum  
cohors Augustam sit ventura, eis unius  
alteriusve diei moram & quietem in-  
dulgerent, quot autem ex his in ur-  
bem admittendi sint, id se Cæsareæ  
suæ Majestatis decisioni relinquere &c.  
Hæ pluresque aliæ exortæ sunt diffi-  
cultates, quas tamen Catholicorum  
moderatio sustulit; consenserunt enim,  
ut trecenti nec plures Emigrantes pro  
Civiura servitio admissi, quos inter ta-  
men nulli sint conjugati, aut Civitati  
profus inutiles, quiete remanere pos-  
sint, Irecens quoque appulsis, si opus  
fuerit, extra Urbis mænia una dies  
quieti daretur, nec eorum ullus urbem  
ingredi permitteretur, nisi id jubente  
Imperatore, Insuper ad Magistratus  
Acatholici petitionem concessum est,  
ut etiam quibusdam conjugatis mutuo  
Magi-

Magistratus consensu secundarium Ci- Sæc. XVIII.  
A. C. 1731.  
vitatis jus daretur.

Porro trigesima Januarii die altera emigrantium turma post *quinque* ferme dierum moram aliorum abducta est. Inde vero nova querelarum occasio; quamvis enim die vigesima septima & octava ejusdem Mensis Senatus Acatholicus solemniter declarasset, hosce rusticos *sine militari comitatu* esse abducendos, nihilominus hi a pluribus Augustanæ Confessionis Equitibus & quidem armatis fuere stipati, & pridie ante eorum discessum, & ipsa transitus die Prædicantes in horto jaculatorio, & alibi, in quibus tamen locis extra urbem sitis nullatenus in anno normali exercitium Augustanæ Confessionis viguit, Conciones publice ad hosce Emigrantes habuere, proin Catholicis novum Religionis gravamen intulebant, insuper etiam inito calculo non plures numero, quam trecenti abducuntur, cum tamen eorum septingenti triginta septem advenissent; inde vero creditum, computatis viginti octo Papenheimium & Lindaviam missis plusquam centum, vel extra urbem occultatos, vel in Urbe clam contra datam fidem detentos fuisse. Vicissim vero Magistratus Acatholicus contra Catholicum die trigesima Januarii querebatur,

Sæc. XVIII. tur, quod hic in binis decretis verbo:  
A.C. 1731. *Lutherani* usus fuerit, cum tamen hic  
 terminus in scriptis publicis vel decretis  
 non sit usitatus, proin prædicatum in  
 Instrumento pacis Westphalicæ rece-  
 ptum potius esset adhibendum. Ad  
 hæc tamen respondit Magistratus Ca-  
 tholicus, se hoc termino Augustanæ  
 Confessioni addictis injuriam vel offen-  
 sam inferre noluisse, vicissim vero eos  
 die secunda Februarii admonuit, ut  
*prædicatum Augustanæ Confessionis*, ut-  
 pote in Instrumento P. W. aliisque  
 Constitutionibus Imperii publicis ubi-  
 que receptum, in Camera Imperiali  
 præscriptum & in Executionis recessu  
 usitatum nullatenus negligant, nec  
 prædicato *Evangelicorum* sibi PRIVA-  
 TIVE recens arrogato utantur, per-  
 inde acsi Catholicæ non æque Evange-  
 lici forent.

### §. XXXIII.

*Alexandri Sigismundi literæ ad Im-  
 peratorem hac in cauffa.*

Sequenti die Reverendissimus ac Se-  
 renissimus Episcopus & Princeps  
 Augustanus Alexander Sigismundus  
 ad Carolum VI. Imperatorem literas  
 dedit, quibus significabat, Catholicum  
 Magistratum ad eam deductum esse ne-  
 cessi-

cessitatem, ut ob Emigrantes maximo numero affluentes ad præcavenda inter utriusque Religionis Cives dissidia, continua pericula, turbas & tumultus Cæsareæ suæ Majestatis patrocinium opemque imploraret, quatenus prompta ac severa sanctione Acatholico Magistratui inhibeatur, ne imposterum sine Catholicî Senatus consensu ejusmodi emigrantes in urbem aliunde jam pauperibus quamplurimis repletam recipere, nec eis tot quietis dies sine tumultus periculo concederet, sed potius trecentis illis ex benignitate assortitis contentus esset. Hoc idem, ut sacræ Cæsareæ Majestati supplex proponeret, se a Catholicis rogatum fuisse asserebat Episcopus, eorum ergo petitioni ad conservandam tranquillitatem, securitatemque tantopere necessariæ & unice ad pacem & concordiam collimanti obsecundaturus, Cæsari supplicasset, ut petitam sanctionem maturare, hacque ratione imminens malum tempestive prævertere velit &c.

Pariter die decima sexta Februarii Senatus Acatholicus ad *Corpus* ut vocant, *Evangelicum*, necnon ad ipsum Imperatorem datis literis Catholicum Magistratum accusabat, quod violata pace Westphalica Emigrantibus varias molestias intulisset. Porro de mutuis

Sæc. XVIII. hisce querelis Cæsareo - Imperiale Con-  
A. C. 1731. silium suam sententiam ac judicium  
ad Imperatorem transmisit, & Fride-  
ricus Guillielmus Borussiæ Rex die se-  
cunda Februarii Salisburgensem Archi-  
episcopum rogabat, ut neo - converso-  
rum emigrationem concessis commea-  
tus literis, ac redditis eorum bonis  
promovere velit, ipse vero cunctis ad  
Borussicas ditiones transituris omnem  
opem pollicitus est. Eadem die Ca-  
tholicus Magistratus Cæsari exposuit,  
quam enormiter in hac emigrationis  
cauſſa per varias partis Acatholice  
dispositiones privative fibi arrogatas,  
& periculofas circumvagationes contra  
proprias declaraciones in commisſo fibi  
communi Rempublicam gubernandi  
jure & officio fuerit læsus ac turbatus,  
ex altera autem parte quam grave  
onus per importune petitam, & clam  
sub variis prætextibus usurpatam tot  
emigrantium receptionem Urbi Augu-  
stanæ vel eo ex capite acceſſerit, quod  
ex his potissimi fint pauperes, & a po-  
tiori ad civilia vel alia servitia omnino  
inhabiles, proin nonnisi ex eleemosynis  
ad ceterorum, quorum pene infinitus  
Augustæ numerus effet, damnum su-  
ftentandi forent, aliunde vero ob horum  
præsentiam non paucis utriusque Reli-  
gionis famulis, operariis atque ancillis  
victum

victum quærendi opportunitas subtraheretur. His expositis Senatus Cæsari A.C. 1731. infuper ob oculos posuit, quod hæc ipsa calamitas civibus præcipue Catholicis imminens certo ac infallibiliter timendos, & vix non jam erumpentes, & nonnisi portarum occlusione præca-vendos tumultus non modo inter Catholicos cives, ceterosque incolas sed & circumvicos Catholicos rusticos accerferet, si Acatholicus Magistratus præter trecentos illos amore pacis in Urbem admissos, plures ejusmodi exules ad hanc mixtæ Religionis Civitatem assumenturus esset. Quapropter Senatus Cæsari supplicabat, ne Acatholicon precibus devictus, permitteret, ut ob immaturum seftæ suæ Zelum Acatholici novo tot hominum affluxu Urbem & Cives magis adhuc gravare præsumant. Cum autem timeret Senatus Catholicus, ne artificiosa, minusque sincera actitorum relatione Cæsar præveniretur, eidem plenam rei gestæ relationem publicis documentis instructam transmisit, supplex, ut Cæsarea sua Majestas decerneret, quid Catholicis agendum, si forte Acatholici aliis Emigrantibus proxime adventuris ingressum, vel circum mœnia subsistendi copiam dare, hocque sub obtentu eos clam ac sensim in urbem

Sæc. XVIII. ducere præsumerent, aut a sua Majestate ad id facultatem extorquerent,  
 A. C. 1731 Denique supplicabat Magistratus Catholicus, ut Imperator Acatholico incompetenter, & hucusque sibi soli arrogatam gubernandi licentiam hac in re inhiberet, vel maxime ideo, quia vi Instrumenti pacis Westphalicæ Magistratus Acatholitus præter liberum emigrantium transitum nil amplius postulare ac prætendere queat.

Proxima autem die decima quarta Februarii rursus Magistratus Catholicus apud Cæsarem querebatur, quod Acatholitus facta ad Corpus, ut vocant Evangelicum recursu in Catholicum varias, infestas & frivolas culpas congesserit, adeo, ut Saxonie Orator Emigrantes durius habitos, multa obftacula eis opposita, urbisque portas propria auctoritate a Catholicu Magistratu occlusas Senatui exprobrarit, ac funesta inde oritura mala comminatus sit. Insuper die decima octava ejusdem Mensis Magistratus Catholicus denuo Imperatori exponebat, etiam e plebe Acatholica nonnullos datis Ratisbonam literis Senatum Catholicum pudendis mendaciis, probris & calumniis protervum in modum proscidisse, ejusque providas sanctiones ad conservandam pacem securitatemque adeo necessaria-

necessarias in malam partem interpre-  
tatos fuisse, & Magistratum inclemen-  
tiæ erga Emigrantes falso insimulasse,  
ac demum quod Senatus decreta  
ipsem Episcopus Augustanus impro-  
basset, per manifestam calumniam in  
vulgus sparsisse: præterea querebatur  
Magistratus Catholicus, quorumdam  
Civium Lutheranorum proterviam eo  
devenisse, ut eorum quidam ipsum Ca-  
tholicum Duumvirum maxime indignis  
convitiis, maledictis & calumniis nu-  
perrime effusis laceffere ejusque matu-  
ras non minus quam necessarias ordi-  
nationes procaciter traducere non eru-  
bescerent: Ad præcavendas igitur ani-  
morum exacerbationes indeque oritu-  
ros in plebe tumultus Magistratus Ca-  
tholicus Cæfarem rogabat, ut com-  
munia Civitatis jura auctoritatemque  
ab ejusmodi petulantiis, & privative  
arrogato Urbis regimine vindicare,  
necnon severè inhibere velit, ne præ-  
ter trecentos illos ex benevolentia re-  
ceptos alii plures (uti hucusque factum)  
clam variis artibus in Urbem non sine  
maximo Civium onere introducerentur,  
nec ex illico concubitu procreati juve-  
nes Salisburgenses artium Mechanica-  
rum Professoribus contra Opificum le-  
ges obtruderentur.

Sæc. XVIII.  
A.C. 1731.

Inte-

Sæc. XVIII. Interim ex communi utriusque Ma-  
 A. C. 1731. gistratus consensu publico proclamate  
 interdictum, ne Cives vel verbis vel  
 literis de Emigrantium negotio ad in-  
 vidiā alterutrius partis agerent: ni-  
 hilominus ipse met Magistratus Acatho-  
 licus querulas suas ad Cæsarem literas  
 contra Magistratum Catholicum Au-  
 gustæ publicis typis vulgavit, quamvis  
 hujus caussæ series in illis acerbissimo  
 (verba iunt in libello supplici ad Cæsa-  
 rem contenta) aculeato, & longe mor-  
 dacissimo stylo relata, & in sinistrum sen-  
 sum detorta, multis maximi momenti sup-  
 pressis, aliis pluribus vel contra rei veri-  
 tatem admixtis, vel unice ad concitandam  
 invidiam exaggeratis exposita fuisset. Hac  
 de causi Senatus Catholicus die de-  
 cima quinta Martii Imperatori suppli-  
 cabat, quatenus ad vindicandam suam  
 innocentiam ac honorem eidem liceret,  
 genuinam facti relationem typis edere,  
 & præcipuas Magistratus Acatholici  
 criminationes diluere: Cum ergo hic  
 Catholicum argueret I. inclemtiæ  
 erga Emigrantes II. privativæ juris-  
 dictionis sæpius arrogatæ contra Ma-  
 gistratum Acatholicum III. stabilitæ  
 regiminis formæ exinde perturbatæ,  
 & demum penitus evertendæ, contra  
 utriusque partis concordiam, commu-  
 nem quietem ac tranquillitatem. Ad  
 pri-

primum ergo respondit Magistratus Ca- Sæc. XVIII.  
tholicus, se commiserationem ore & A. C. 1731.  
opere ostendisse, eoquod proprio motu  
hos miseros in communes extra mœnia  
domos recepisset, & in communi ter-  
ritorio datis quatuor quieti diebus eos  
*communibus* lectis aliisque necessariis  
instruxisset, in accessum ad Urbis Ec-  
clesias, & trecentorum receptionem  
consensisset, eosque insuper largius  
eleemosynis juvisset, nisi ipsimet Aca-  
tholici de immenso pene eleemosyna-  
rum affluxu gloriantes, oblatum Ca-  
tholicorum subsidium nec acceptassent,  
nec petiissent: Cum vero Acatholici  
Catholicis Senatoribus objecissent, quod  
rusticos conjugatos Urbe exclusissent,  
id lege municipali prohibitum esse re-  
spondit Senatus Catholicus, cum nulli  
sine civitatis jure in urbe tolerentur,  
& ipsimet Acatholici hos rusticos dun-  
taxat ad unam alteramve diem usque  
ad eorum discessum admitti, nullaten-  
nus autem perpetuo in urbe retineri,  
ore & calamo petiissent, quamvis post-  
ea sub obtentu innuptos ad Civium ob-  
sequia admittendi, ex prima emigran-  
tium turma ferme omnes etiam conju-  
gatos, infirmos & inhabiles non sine  
maximo operariorum præjudicio & con-  
tagionis periculo in urbem intrusissent.  
Ceterum a Catholico Senatu his alie-  
nige-

Sæc. XVIII. nigenis nil aliud fuisset denegatum,  
 A.C. 1731. nisi quod sine legum municipalium vio-  
 latione, quietis, & unionis jactura,  
 & Civium damno concedi non potuit.  
 Ad secundum & tertium accusationis  
 caput opposuit Magistratus Catholicus,  
 se potiori jure de læsa regiminis *pari-*  
*tate* querendi caussam habere, eoquod  
 Magistratus Acatholicus inconsulto &  
 inscio Catholicico hos peregrinos in  
 commune Urbis territorium introduxis-  
 set, eis privativa auctoritate commu-  
 nes habitationes assignasset, eorum  
 numerum conscripsisset. eorum com-  
 meatus literas examinasset, milites ad  
 illorum custodiam constituisset, pro  
 regulando eorum ingressu mandata ad  
 Urbis portas dedisset, & quamplurimos in  
 urbem admissos in Civium ædibus  
 collocasset &c. ac quamvis eorum ad  
 famulatum receptio communi consensu  
 ea lege indulta fuisset, ut in pleno  
 Senatu exacta fieret relatio, quot & a  
 quibus hi rustici in civium famula-  
 tum recepti fuissent, & quamvis hæc  
 ipsa relatio plusquam quinquies fuisset  
 postulata, & toties promissa, ad hunc  
 tamen usque diem *contra tam iterato*  
*stipulatam fidem* illa obtineri non potue-  
 rit, donec die vigesima quinta Januarii  
 jamjam quingenti Emigrantes ante Ur-  
 bis portas fuissent.

Cum

Cum autem Magistratus Acatholici propositum tumultus periculum ex Emigrantium receptione timendum hac ratione retunderet, quod ex circumvicinis rusticis Catholicis centeni & centeni supplicantium more certis diebus urbem ingrediantur, quin inde tumultus oriretur, ad hanc paritatem respondit Magistratus Catholicus, has supplicationes multis retro sæculis ante Lutheri incunabula Augustæ fuisse celebratas, proin nequidem per somnium a Magistratu Acatholico prohibendas, hosque peregrinantes recta & duntaxat ad visitanda Tempa tanquam devotionis suæ terminum properare, nec perpetuam in Urbe habitationem intendere, sed peracto pietatis exercitio ex Urbe ad suos non sine maximo civium Acatholicorum emolumento quiete reverti: E contrario autem Emigrantes Augustam, quamvis hæc Urbs nec competens nec necessarius esset emigrationis & subsistentiæ terminus, venire, & cum maximo pauperum, famulorum & civium damno, & tumultus periculo, ut perpetuo in urbe subsisterent, exigere.

Immerito etiam ab Acatholicis expositum querebatur Magistratus Catholicus, quod Emigrantes extra urbem non tam collocari, quam ob illorum *Hist. Eccles. Tom. LXXIII.* Qq nu-

Sæc. XVII.  
A. C. 1731.

Sæc. XVIII. numerum potius compingi debuerint;  
A.C. 1731. id falsum esse reponebant Catholici,  
eoquod in primo Religionis fervore  
Lutherani cives certatim tot ad suas  
ædes attraxissent, ut ceteris superflus  
esset locus, & si non fuerit, id impu-  
tandum esse Magistratui Acatholico,  
qui, id suadentibus Catholicis, hos  
rusticos non item Oberhusium & Pfers-  
heimium abduxissent. Postea Catho-  
licus Duumvir & Ilsungius Nosocomii  
Præfector impactam hanc calumniam,  
perinde acsi iniqua & Christiano & semi-  
prudente ac morigerò homine indigna  
crudelitate usum culcitrarum etiam pe-  
tenti Magistratui Acatholico denegaf-  
sent, a se amoliebantur, per testes  
comprobando, quod simul ac stramen-  
titiae ejusmodi mattæ fuerint petitæ,  
ex Catholici Duumviri mandato statim  
fuerint suppeditatæ. Id cum inficiari  
haud possent Acatholici maligne fal-  
tem promptam hanc voluntatem inter-  
pretabantur perinde acsi id *Catholicus*  
*Duumvir* potius *aliorum* *vituperationem*  
*veritus*, quam *miseratione* *motus* *fecisset*:  
cumque id ipsum Acatholici in suis  
quoque ad Cæfarem literis exposuissent,  
de sinistra & maligna hac inter-  
pretatione Catholicus Duumvir vehe-  
menter expostulabat, ostendens, quod  
solo charitatis Christianæ titulo im-  
pulsus

pulsus consensisset, id inde patere, quia Sæc. XVIII.  
A. C. 1731.  
has culcitra<sup>s</sup> utpote pro solis pestiferis  
huiatibus Civibus specialiter destinatas  
jure denegare potuisset, hi autem alienigenæ nullo *civilegii aut communitatis*  
nexu conjuncti essent. Acrius adhuc  
illum pungebat calumnia, qua Acatholicus  
epistolæ ad Cæfarem datæ Au-  
tor gravem hunc Virum insimulabat,  
perinde acsi tanto in Protestantes odio  
flagraret, ut *etiam Civibus Lutheranis,*  
*si contagione afflitti forent, sine scrupulo*  
*hasce culcitra<sup>s</sup> denegasset.* Iniquissimo  
igitur ferebat animo, quod hic Auctor  
tam scandalosam & malignam opinio-  
nem conceperit de Viro erga ipsos Augu-  
stanæ Confessionis Cives optime me-  
rito, perinde acsi Hic inter hosce ru-  
sticos nec sibi nec Acatholicis alio quam  
communi charitatis nexu conjunctos,  
& inter dilectos Concives suos tam ex  
Divino, naturali & gentium jure, quam  
ex Civitatis legibus quasi devinctos  
nullum discrimin facere nosset, cum  
tamen omnes & singuli de pacifico &  
moderato hujus Duumviri animo &  
charitatis officiis omni data occasione  
etiam erga Acatholicos cives exhibitis  
testari possent &c. ex ejusmodi autem  
calumnia publicis typis in Urbe vul-  
gata nil aliud expectandum esset, quam  
inter plebeios & Cives exacerbatio-

**Sæc. XVIII.** animi, debitæ obedientiæ, veneratio-  
A. C. 1731. nis, & amoris neglegtus, Superiorum  
 contemptus, ac denique seditionis tu-  
 multus &c. Parem quoque indigna-  
 tionem excitavit altera ejusdem Au-  
 toris criminatio, qua Duumviro Ca-  
 tholico imputabat, quod Hic *ex mero*  
*odio nullum ex quingentis rusticis postremo*  
*adventantibus nisi sub hac naturæ, gen-*  
*tium & Imperii juribus contraria condi-*  
*tione, ut deinceps adventuri ab Urbe acerent-*  
*tur, nec quieti dies daretur, contra omnem Chri-*  
*stianam, humanam & ipsis bestiis debitum*  
*charitatem & miserationem admiserit.* Hæc  
 vero calumnia ipsum etiam Augustanum  
 Episcopum & Bavariæ Electorem  
 petere videbatur, eoquod etiam hi  
 juxta hunc convitiatorem ex odio &  
 non ob communem quietem & securi-  
 tatem conservandi studium die 15. Dec.  
 1731. per suum territorium træseun-  
 tibus *nullam omnino moram, aut se se ab*  
*invicem separandi, aut in eorum terris per-*  
*manendi copiam dedissent: cum tamen*  
*nec ex naturali, nec ex gentium aut Im-*  
*perii jure nec ex consuetudine inter Ca-*  
*tholicos & Protestantes recepta id præ-*  
*ceptum fit, nec debita charitas & com-*  
*miseratio ad hoc solum restringatur,*  
*ut a sua fide deficientes vel omnes vel*  
*aliqui in omnes urbes, quas pertran-*  
*feunt, recipientur, aut plures in vel*  
*extra urbem quietis dies necessario eis*  
*con-*

concedantur: potius autem hisce juri- Sæc. XVIII.  
bus plene fit satisfactum, si *salva com-*  
*muni & publica quiete ac securitate eis*  
communia non item singularia chari- A.C. 1731.  
tatis obsequia per eleemosynas aliaque  
subsidia præstentur, præcipue, cum  
pace Westphalica nil aliud præcipiatur,  
nisi *liber transitus* per urbes, per quas  
*transire omnino necessarium est.* Nisi  
vero Magistratus Catholicus provida  
hac conditione immoderatum Religio-  
nis Zelum moderasset, absdubio Sa-  
lisburgenses rustici singulari Luthera-  
norum civium charitate pellecti una-  
omnes Augustam contendissent, & pa-  
lam vel clandestine multa eorum millia  
non sine maximo civium damno, &  
tumultus periculo in Urbem involassent.

Ex his inferebat Catholicus Magi-  
stratus I. se æquissimo jure petuisse,  
ut sibi commeatus literæ, quibus hi  
Emigrantes provisi essent, communi-  
carentur. II. Ut, quam ex religioni-  
bus in Romano Imperio toleratis hi  
transfugæ profiterentur, coram utro-  
que Magistratu non ex errore plebis  
rumore sed vel Emigrantium literis,  
aut fidei confessione aut ex alio fide  
digno testimonio probaretur; cum ta-  
men Magistratus Acatholicus insuper-  
habita Duumviri Catholici petitione  
non nisi *tres ejusmodi commeatus lite-*

Qq 3. ras,

Sæc. XVIII. ras, imo & earum duntaxat transumpta  
A.C. 1731. misisset, & de examine, quod tamen  
nonnisi cum paucissimis characterum  
gnaris emigrantibus habitum fuit, ni-  
hil omnino Magistratui Catholico fuisset  
communicatum, proin nulla certa  
de eorum religione notitia habita sit, nisi  
forte ea exinde constaret, quod hi ru-  
stici tam Kauffburi, quam Augustæ  
frontem signo Crucis munirent, pectus  
tunderent, & in Augustanæ Confessio-  
nis Ecclesiis in genua pro veteri suo  
more procumberent. Atrox igitur ca-  
lumnia Magistratui Catholico ab Au-  
ctore per hoc impacta fuerit, dum Cæ-  
fari exposuit, has commeatus literas  
exhiberi, & Civium ædes, in quibus  
hi Emigrantes habitarent, designari,  
a Magistratu Catholico ideo fuisse pe-  
titum, ut hos miserōs malevolis Civibus  
*Catholicis tanquam furoris sui victimam*  
exponeret, ac propterea ipse nihil, quod  
tamen suarum partium fuisset, pro eo-  
rum defensione disposuisset. Hæc  
Duumvir Catholicus falsitatis convictus  
ex eo, quod habita notitia de Emi-  
grantium adventu mox proposuerit,  
eos ad Augustanæ Confessionis Templa  
conduci posse, adjuncta tamen *pro eo-*  
*rum, omniumque securitate militum manu,*  
*insuper Medicos*, qui de eorum sani-  
tate curam haberent, designaverit,  
pro-

providum tamen hoc consilium Magi- Sæc. XVIII.  
A.C. 1731.  
stratus Acatholicus rejecerit, & ubi Catholicus contra privativam dispositio-  
nem reclamabat, id Auctor ita maligne  
interpretatus sit, perinde acsi in emi-  
grantium defensionem ab Acatholico  
Magistratu facta, Catholicus contra  
Officii sui debitum improbasset.

His fusius expositis Magistratus Ca-  
tholicus alteram & quidem palmarem  
Acatholici accusationem diluit, scilicet,  
quod ipse *Urbis portas non aperiri jussi-  
set*: Hujus mandati æquitatem com-  
probata reddidit I. quia quamvis  
Magistratus Acatholicus pollicitus esset,  
quod prima Emigrantium turma non  
diutius nec perpetuo sed duntaxat uno  
alterove die ad quietem se in Urbe  
retentura esset, postea tamen omnes  
clam in urbem admisisset, & nequidem  
de conditione, religione &c. usque ad  
adventum aliorum quingentorum Emi-  
grantum, notitiam Catholico Magi-  
stratui communicasset. II. Quia de  
altera hac turma plures contra datam  
fidem clam in Civitatem introduxit,  
& Catholico Magistratui hoc in negotio  
tale dedit responsum, acsi solus Magi-  
stratus Acatholicus omnia privative  
ex plenitudine potestatis agere & dispo-  
nere posset, nec desuper alteri parti re-  
spondere teneretur. III. Quia non nisi

Sæc. XVIII A C. 1731. per sex diei horas portæ non fuerint apertæ, (mox autem post factam declarationem referatæ) & id quidem, ne clandestine plures in Urbem irreperent, sed communis tranquillitas conservaretur, ac tumultus & periculus aliquot centum civium excursus ad hos emigrantes præcaveretur. Cum ergo, prosequebatur Catholicus Duumvir, ex his manifestum sit I. cuncta a se disposita ad conservandam Reipublicæ quietem & securitatem collimasse, II. Magistratum Catholicum in suo *partatis*, & communi auctoritate regendi jure per privative arrogatam jurisdictionem fuisse gravissime læsum. III. Hunc multis impactis calumniis, & insertis mendaciis injuriose traductum &c. hinc Cæsareæ suæ Majestati humiliter supplicatum, ut edicto præcavere velit, ne Urbs pluribus quam illis trecentis Emigrantibus deinceps gravaretur, & ob calumniosum suum scriptum Catholicus Magistratus reprehensus, necnon ad communem pacem & concordiam revocatus, cives ad seditionem contumeliosis ejusmodi libellis publice editis deinceps concitare prohiberetur, ac denique Catholicó Magistratu præscriberetur, qua ratione imposterum hoc in negotio agendum esset.

## §. XXXIV.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1731.*Salisburgensis Legati responsum ad  
Saxonici Secretarii querelas.*

Jam supra meminimus, quod Salisburgensis Archiepiscopus per suos Ministros specialiter in caussam motæ seditionis inquireti jussit, pollicitatione interim facta, quod rebelles hi subditi, si a seditionis suis turbis abstinerent, nec ob libros prohibitos punirentur, nec in libero, privato tamen sectæ exercitio perturbarentur: Cum autem his non contenti essent, sed captis licet triginta duobus turbarum coriphæis, ceteri tamen per quatuor omnino menses totam circum regionem terrore, minis, insultibus & violentiis complevissent, atque inverso naturæ, & legum Imperii Ordine subjectionis jugum excutere, suumque Principem sibi subditum reddere moliti essent, Archiepiscopus universo Orbi palpandum manibus dare cogebatur, hos nec propter emigrandi beneficium, quod eis, si moderate fuisset petitum, nunquam denegatum, nec ob Religionis libertatem, quæ eis concessa erat, sed propter publicos tumultus, seditiones & turbas Principis sui patrocinio & tutela excidisse. Eo igitur fine Archiepiscopus in omnibus

Q q 5

septem

Sæc. XVIII. septem Præfecturis, ubi ejusmodi mo-  
A. C. 1731. tus fuere concitati, seditiosa hæc facta  
testibus juratis comprobari, & ad ju-  
dicii acta referri jussit, demum vero  
cuncta hæc juridica constituta, & ex  
publicis Prætorum tabulis excerpta ty-  
pis edi curavit: Inde igitur concordi  
plurimorum testimonio patuit, quod  
hi rustici prohibita & seditiosa habue-  
rint conventicula, neglecto sui Principis  
judicio de imploranda etiam armata  
exterorum ope conjurarint, fœdus in-  
ter se juratum de non emigrando inie-  
rint, populum ad defectionem sollici-  
tarint, Catholicos precibus, dolis, insi-  
diis, flammæ ferrique metu ac minis  
ad suas partes pertraxerint, ac invitatos  
& reluctantes catalogo apostatarum ad  
augendum suorum numerum inscripse-  
rint, sumptis armis armamentarium  
Radstattense occupare decreverint,  
Blasphemias in Christum Dominum,  
B. V. & Sanctos evomuerint, Sancto-  
rum imagines iconoclastarum more  
confregerint, & ipsum suum Principem  
atque Archiepiscopum horrendis in-  
juriis, convitiis & probris lacefiverint  
&c. Genuina & juridica hac relatione  
palam edita sperabat Archiepiscopus,  
fore, ut nullus Elector aut Imperii Prin-  
ceps horum rebellium subditorum pa-  
trocinium in se suscipere velit, minus  
vero

vero eidem in mentem venire potuisset, Sæc. XVIII.  
A.C. 1731. quempiam approbaturum, quod Catholicus Princeps per publicæ quietis perturbatores a suo Superioritatis territorialis jure sibi æque ac aliis Imperii Principibus competente dejicetur, eoquod indubiatum esset, quod quilibet Princeps Catholicos sibi subjectos, si suscitata tam periculosa seditione, horrendis suis petulantiis, & convitiis in ipsum effusis pacem perturbassent, et si in anno normali liberum ibidem suæ Religionis exercitium habuissent, absque omni tamen ejectionis termino, & sine forensi judicio illos e sua ditione propulsandi jus haberet: Sua tamen spes Archiepiscopum fecellit: Plures enim calami, ut hos rusticos a rebellionis macula purgarent, tam apud Cæsarem, quam apud Corpus Evangelicum desudabant, & ipse met Saxonici Electoris Secretarius die vigesima octava Januarii Salisburgensi Legato scriptum tradebat, in quo tam Archiepiscopale emigrationis diploma, quam edita contra rebelles testimonia impugnare moliebatur: Hujus vicissim scripti articulos omnes Legatus Salisburgensis solide refellebat, ostendens I. hos subditos in processu ut vocant, *informativo* de seditione aliquique criminibus per testes potissimum juratos &

con-

Sæc. XVIII. concordes servato omni juris rigore  
A C. 1731. accusatos, & ipsa factorum notorietate  
convictos fuisse, nec eis patrocinari  
obtentam conscientiæ libertatem; hanc  
enim sine excitato tanto ac universali  
tumultu, importuno assultu, mutua  
conjunctione, & nec minis clandestini-  
nis & publicis, severè tamen pro-  
hibitis conventiculis extorquere, sed  
potius modesta apud suum Principem  
insinuatione petere debuissent, eo quod  
Pax Westphalica Art. V. §. 34. non nisi  
quiete & pacifice religionem suam mu-  
tantibus beneficium emigrationis indul-  
geat, præterea emigrationem nulli fuisse  
prohibitam, nec eorum ullum vi ex  
patria ejectum; postea vero transitus  
militibus fuisse obfessos, partim ne  
rebellionis Auctores fuga elaberentur,  
partim quod compertum fuisse, eos  
non Religionis suæ studio, sed Princi-  
pem suum, ejusque Administros ca-  
lumniis & mendaciis denigrandi studio  
Ratisbonam contendisse, perperam e-  
tiam hos rebelles conqueri, quod eis  
inhibitum fuisse, proles suas ad Lu-  
theranorum scholas mittere; eos enim  
tunc adhuc *exterius* Catholicam fidem  
fuisse professos, nunquam autem in  
Imperio hucusque auditum, quod Pa-  
rentibus filios suos impuberes ad exte-  
rorum scholas, ut ibi in *contraria*  
reli-

religione instituerentur, mittere licuif- Sæc. XVIII.  
set. II. Triennii terminum iis duntaxat A.C. 1731.  
in P. W. concedi, qui sine tumultu re-  
ligionem immutarent, & durante trien-  
nio quiete in suis ædibus subsisterent,  
non autem his, qui seditiona impuni-  
tate *publicum* Religionis exercitium,  
cum *integra* suorum bonorum posse-  
fione sibi indulgeri peterent, nec tamen  
unquam emigrare intenderent; secus  
enim sequi, quod Compacifcentes par-  
tes solliciti non fuissent, an facta Religio-  
nis mutatione in Principis ditione pax  
vel turbæ invalescerent. III. Æquis-  
simum fuisse, quod emigrantibus ex-  
pleto triennio ad patriam revertendi  
facultas denegaretur; secus enim di-  
spositionem pacis Westphalicæ impune  
possent eludere, si sub specioso bona  
sua administrandi vel proles suas edu-  
cendi obtentu identidem reverti, &  
per longius tempus ibidem morari ipsis  
liceret; concessum tamen eis fuisse, ut  
vel sua bona venderent, vel *quoties id*  
*ratio postularet*, circiter per tres dies  
ibidem morarentur, nec ob tenuiffi-  
mas eorum possessiones, nec ob exi-  
genda debita vel prosequendas lites  
utpote mox decidendas longiorem re-  
quiri moram: falso autem Archiepi-  
scopi Ministros Ratisbonæ fuisse accu-  
fatos, perinde acsi hæc bona leviori  
pretio

Sæc. XVIII. pretio cum rusticorum damno vendita  
A. C. 1731. fuissent; gratissimum enim Archiepi-  
scopo fore, si vel unicum Prætorem  
&c ejusmodi culpæ reum denominare  
posseant, potius autem certissimum esse,  
quod pluriimi emptores infecta re re-  
cesserint, eo quod exigua hæc bona ca-  
riori pretio vœnum exposita fuissent.  
IV. Æquitati omnino consonum fuisse,  
ut hæreditaria portio filiorum Catho-  
licorum, qui jam puberes sunt, & ad  
annos discretionis pervenerunt, reser-  
varetur, ne a suis Parentibus ob mu-  
tata religionem aliorum migrantibus  
derelicti mendicare cogantur. V.  
Immerito querelam moveri, ac si do-  
micio parentibus emigrationis ter-  
minus vel nimium angustus, vel nullus  
fuisset indultus, incolatus enim jus  
dependere a jure Superioritatis terri-  
torialis, & eos, qui domicilium fixum  
non haberent, proprie non esse sub-  
ditos, sed *parvi temporis subditos vo-*  
*cari*, eosque contra *Magistratus volun-*  
*tatem mansionis jus nullum habere, sed quo-*  
*cumque tempore juberi posse, ut emigrarent:*  
hos vero ceteris prius e patria fuisse  
abductos, eo quod petulantiores, ma-  
gisque periculosi fuissent; quod autem  
eorum temeritas in verbis & minis ste-  
tisset, id non eorum bonæ voluntati,  
sed providæ Magistratus dispositioni  
ad-

adscribendum. VI. Manifesta ejuratæ fidelitatis & seditionis indicia esse pri-  
 vatas plurium millium conjurations, concursus, consultationes, foedera & auxilia contra Principem ejusque Mi-  
 nistros quæsita &c. VII. Spectatis omnibus eorum seditionis ausibus ad oculum comprobatis instrumentum pa-  
 cis W. exæcte fuisse observatum, nisi quis hos rusticos velut de *re bene gesta* laudare, & Principi publicam quietem & pacem invidere vellet, præcipue postquam hic idem suum emigrationis diploma in multis ex innata clementia temperasset. VIII. Quatuor, & non trium duntaxat Præfecturarum subdi-  
 tot terminum prolongari petiisse, & quamvis se hanc gratiam ob suas pe-  
 tulantias non fuisse promeritos ipsimet fassi essent, ab Archiepiscopo tamen etiam ceteris hoc fuisse indultum, eo fine, ut & ipsi ad saniora reverterentur: de cetero ipsos hosce rebelles in suo libello supplici die 16. Jun. 1731. pe-  
 tiisse, vel liberum Religionis exerci-  
 tum in patria, vel emigrandi facul-  
 tam, hac ergo eis non modo con-  
 cessa, sed & emigrationis termino cle-  
 menter prorogato, quod quererentur, non habere: Ex his inferebat Legatus, attenta P. W. litera & Compaciscentium intentione constare, hosce fa-  
 ctiosos

Sæc. XVIII.  
A.C. 1731.

Sæc. XVIII. etiosos Beneficio nonnisi pacificis sub-  
A.C. 1731. ditis in P. W. concessso *vel in totum vel*  
~~saltem in tantum~~ sese indignos reddi-  
disse, & tamen quinquaginta duos  
rebellionis Antesignanos adhuc in car-  
cere detentos non ultra culpæ meritum  
castigatum iri, de cetero autem Ar-  
chiepiscopo Salisburgensi utpote im-  
mediatolmpierii Principi jus reformati  
in Sectarios, præsertim rebellionis alio-  
rumque criminum reos abnegari haud  
posse, proin ei semper integrum fuisse  
illos editionibus suis exterminare juxta  
ipsa Protestantium principia, qui hæ-  
resin merum errorem intellectualis,  
non autem crimen publicum pro foro  
externo poenæ obnoxium quidem sta-  
tuunt, tradunt tamen, quod si illius  
circumstantiae aliam delicti speciem  
superinducant, v. g. seductionem alio-  
rum, excitatos seditiones publicosque  
tumultus, formalem Principis contem-  
ptum &c. tunc e patrio solo libere ex-  
pelli possint: Id quoque eo certius esse  
erga illos, qui Anno 1624. publicum  
vel privatum suæ Religionis exerci-  
tium nulla anni parte habuerunt, &  
primum post pacem Westphalicam, de-  
mum a Principis religione desciverunt;  
his enim integrum emigrandi liberta-  
tem non suffragari, proin Dominum  
territorii non teneri, eos contra suam  
volun-

voluntatem tolerare, sed posse pro ar-  
bitrio suo ejusmodi subditis emigratio-  
nem imperare, hacque ratione jus re-  
formandi in eos exercere, juxta Inst.  
Pac. Osnabr. Art. V. §. 36. vers. aut a  
*Domino territoriali &c.* Hennigesum  
quoque ad verba *Patienter tolerentur &c.*  
observare, necessitatem omnimodam  
Territoriali Domino minime impositam  
esse tolerandi ejusmodi subditos, eo-  
quod §. 36. *illis facultas etiam data sit*  
*imperandi subditis migrationem.*

Sæc.XVIII.  
A.C. 1731.

Pariter plura alia, quæ in horum  
rebellium favorem & Salisburgensis  
Archiepiscopi ac Catholicorum inju-  
riam sparsis ubique libellis etiam im-  
peratori porrectis divulgata fuere, fal-  
sitatis convicta refellebantur, & qui-  
dem i. criminabantur, eos qui Con-  
fessioni Augustanæ se addixissent, sum-  
ma importunitate, ut ad fidem Catho-  
licam redirent, fuisse adactos: id fal-  
sissimum esse demonstratum est, eo-  
quod Archiepiscopus ipsem in suo emi-  
grationis diplomate die 31. Octob. 1731.  
disertis verbis præcepisset, eos, etsi  
ultra ad fidem redire peterent, nonni-  
sub maximis cautelis esse recipiendos,  
eoquod experientia teste ab ejusmodi  
hominibus nil nisi tumultus & seditio-  
nes essent timendæ. Insuper ipsos Emi-  
grantes tam in Archiepiscopali Com-  
Hist. Eccles. Tom. LXXIII. Rr mis-

Sæc. XVIII. missione, quam Memmingæ & Hallæ  
A.C. 1731. die 5. Jan. & 7. Jul. spoute fasos esse,  


---

se libere & sine ullo impedimento aut mo-  
lestia fuisse dimissos, se onni humanitate,  
& benignis verbis denuo Ecclesiam frequen-  
tare rogatos &c. E contrario autem  
Lutheranos rusticos præcipue cum  
rursus in patriam irrepissent, variis  
artibus, seditionis verbis, additis etiam  
minis rudiores Catholicos ad defectio-  
nem sollicitasse, eis libros prohibitos  
obtrusisse &c. II. Spargebatur, hosce  
rusticos immodicis multis pecuniariis  
fuisse vexatos, si libros Lutheranorum  
retinuisse, diebus præceptis Ecclesiam  
neglexisse, vel prohibitis diebus non  
jejunasse deprehensi fuissent: ostende-  
batur, hos non ob præfata delicta,  
sed ob rebellionem & contemptas Prin-  
cipis leges fuisse castigatos; jam enim  
a pluribus annis fuisse statutum, ut  
qui se vel Calvinianæ vel Lutheranæ sectæ  
adicunt, sine coactione in conscientiæ li-  
bertate relinquantur, & intra emigrationis  
terminum venditis bonis suis a patria ab-  
scendant, nullus autem vel ob libros prohi-  
bitos minus propter religionem castigetur:  
his vero poenis (prout in quavis reli-  
gione fieri amat) eos duntaxat fuisse  
multatos, qui fidem Catholicam ex-  
teriorius profitebantur, & tamen fidei præ-  
cepta palam violassent. III. Protestantes  
altum

altum inclamabant, his neophytis terminum triennii in P.W. concessum, fuisse denegatum: ad hoc responsum est,

Sæc.XVIII.  
A.C. 1731.

pacem id concedere sub hac conditione

Art. 5. §. 12. si tales sua officia cum debita subjectione peragant, & nullis turbis ansam præbeant: potissimos autem ex his rusticis terminum ad festum S. Georgii lubentissimo animo acceptasse, alios Ratisbonæ supplicasse, ut ante evolutionem triennii terminum, quamprimum fieri posset, dimitterentur. IV. Incolas aspero hyemis tempore fuisse ejectos, & quidem vi, armata manu, & explosis in eos sclopetis. Responsum, ex Werfensibus seditionis quosdam vim militibus intulisse, lapidibus impetiisse, eos vulnerasse, eorum Tribunum arrepto collo aggressos fuisse &c. vim ergo vir repellere, necessarium fuisse. ita tamen, ut sclopis non oneratis & sine ulius vulneratione repellerentur: certissimum autem esse, quod Catholicus Venator a quodam rustico rebelli globis trajectus altera die occubuerit, & alias Lutheranus rusticus nomine Georgius Thurner Prætoris Ministrum duris verbibus exceptum ter ad terram afflixerit. V. Ratisbonæ vulgatum, eis nequidem ad compingendas sarcinas, debita solvenda &c. sufficiens tempus fuisse indultum. Rr. octidui tempus

Rr 2 fuisse

**Sæc. XVIII.** fuisse concessum, ad tenuissimas eorum  
 A. C. 1731. facultates &c. superabundans, eos  
 quoque de instanti emigrationis termino fuisse aliquot ante diebus admonitos, ex relictis eorum bonis, etiam minima Archiepiscopi jussu fuisse eis transmissa; quæ autem Bartholomæus Pilz de sexaginta florenis sibi a Prætore ablatis edixisset, inde falsitatis convinci, eoquod tota hujus incolæ substantia ægre septem florenos excederet. VII. Clausis alpium faucibus libertatem emigrandi fuisse interceptam, R. cuilibet Principi seditionis tempore territorii fines claudere licitum esse, Archiepiscopum tamen lubentissime concedere, ut ejusmodi rebelles vel seorsim vel turmatim Provinciam suo discessu expurgarent. VIII. Infantes suis Parentibus ereptos, vel unacum innuptis emigrare fuisse coactos. R. id falsissimum esse, infantibus enim diserte intimatum, ut si vellent, vel id eorum Parentes peterent, apud eos domi remanerent, ac ex iplis emigrantium catalogis constare, quamplurimos utriusque sexus Infantes ultro cum suis Parentibus Augustam, Memmingam &c. adventasse. IX. Rupertum Winter septuagenarium, & gravi infirmitate oppressum ad sumendam S. Synaxin vi coactum, erepto Lutheri libro  
 e lecto

e lecto extractum unacum sua uxore Sæc. XVIII,  
 currui impositum, pedibus constrictum A. C. 1731.  
 per dimidiam leucam ad Werffensem  
 Curiam ad instar bestiæ raptatum,  
 carceri mancipatum & denique centum  
 florenorum mulcta fuisse punitum. Cu-  
 mulata hæc mendacia diluebantur,  
 I. ex eo, quia apud Catholicos nemini  
 Sacra Synaxis vi sacrilega obtruditur  
 II. in toto Salisburgenſi Principatu  
 summa pecuniarum mulcta duntaxat  
 ad quinque florenos & quindecim Cru-  
 cigeros ascendere potest. III. Dimis-  
 sus Winterus nunquam de hac crude-  
 litate & damno conquestus est, potius  
 Anno 1731. die 9. Junii juridice desu-  
 per interrogatus, hujus commenti te-  
 meritatem detestatus est, declarans,  
 quod ob imminens vitæ periculum iplus  
 a suo Parocho S. Synaxi refici petiif-  
 set, Lutheri liber integro bimestri ante  
 infirmitatem sibi eruptus fuisset, & sine  
 ulla vi, carceris aut pecuniarum mulcta  
 Werffiam unacum uxore sua curru-  
 vectus e Prætoris Curia impune domum  
 reversus esset. Hæc ille ad calumnian-  
 tum ignominiam. X. Præterea Ra-  
 tisbonæ spargebatur, Josephum Lan-  
 gegger Anno 1729. per decem Menses,  
 Rupertum vero Frommer in tenebricoso  
 carcere manibus & pedibus arcte ca-  
 tenis ligatum, & Joannem Clammer

Sæc. XVIII. ob unicum libellum diuturno carcere  
A.C. 1731. afflictos fuisse, cum tamen prior non-  
nisi *per quinque dies*, alter duntaxat in  
consueta civium custodia, & post at-  
tentatam fugam carceri datus fuerit,  
tertius ob diu recusatam sceleris con-  
fessionem & plurium librorum vendi-  
tionem ultro sibi carceris molestiam  
prolongarit: denique divulgatum, Geor-  
gium Steiner, quia ejus filius fuga fuis-  
set elapsus, ostidui carcere, & triginta  
florenorum multa ex filii sui patrimo-  
nio extorta fuisse punitur, id falsum  
esse ostendebatur, eoquod Archiepi-  
scopi jussu publicis typis cautum fuis-  
set, ut *integra hæreditas* paterna post  
Patris obitum filio reddatur, & ipsi-  
met Emigrantes fassi sint, se nullis in-  
juriis, sed multis beneficiis cumulatos  
fuisse, ipsumque Archiepiscopum emi-  
granti Bartholomæo Hoiaæ triginta qua-  
tuor florenos benigne dono dedisse, ac  
se propterea summam erga eum grati-  
tudinem demonstraturum &c. XI. Ca-  
tholicum Sacerdotem, eoquod Ham-  
baci Lutheri sectam professus ceteros  
ad imitationem admonuisset, captum  
Ratisbonam fuisse abductum. absdubio  
ad Romanam Inquisitionem raptandum:  
Hujus commenti falsitas detegebatur,  
facta enim inquisitione deprehensum,  
de hoc facto nec Hambaci, nec Ra-  
tisbonæ

tisbonæ vel obscurum indicium ex-  
stare.

Sæc. XVIII.  
A.C. 1731.

Ceterum hæc & plura mendacia partim ab Emigrantibus ob lucri & amplioris benevolentiae spem, partim ab ipsis, qui Lutheranorum liberalitate pellecti sese Emigrantes singebant, passim spargebantur, & sine veritatis indagandæ cura benevolis auribus excepta publicis etiam typis divulgabantur: Ita etiam quidam nomine Joannes Andreas Bluhm Ortenburgi coram Springero Prædicante se Werffæ ortum, Salisburgi Theologiæ morali vacasse mentiebatur, subjungens, se Anno 1731. emigrantium caussam contra quosdam Studiosos propugnasse, & tandem de verbi ad verbera prolapsum apud Magnificum Academiæ Rectorem fuisse accusatum, perinde acsi de Archiepiscopo injuriose locutus illum iniustitiæ, totumque Clerum, ceu tanti mali Auctorem, avaritiæ insimulasset &c. hacque de caussâ se omnibus Academiæ juribus spoliatum, per sex hebdomadas ab Urbis Magistratu fœdo in carcere inclusum, demum vero clam fuga elapsum se singebat. Ut vero artificiosi hujus commenti scopum eo felicius consequeretur, se bonis avibus Ortenburgum venisse ajebat, & fervens Lutherum sequendi desiderium coram

Sæc. XVIII. præfato Prædicante simulabat. Ab  
A. C. 1731. hoc ergo aliquamdiu bene saginatus  
Ratisbonam unacum commendatitiis  
missus est, ibidem marcidas suas mer-  
ces venditurus. Benevolas etiam ibi  
aures huic fraudum Architecto præbe-  
bant A. C. Oratores; cum autem Sa-  
lisburgi in rei veritatem sedulo inqui-  
reretur, jurata Aulici Consiliarii &  
Urbis Syndici de Becken, necnon Re-  
ctoris Magnifici fide constitut, nunquam  
ab immemorabili tempore ullum Joan-  
nem Bluhm vel ob Religionem vel aliud  
crimen custodiæ fuisse datum, & nul-  
lum hujus nominis ex Studiosis viginti  
retro annis Salisburgi Scholas frequen-  
tasse. Ejusmodi nempe dolis & men-  
daciis nititur tota calumniarum in Ca-  
tholicos sparsarum machina! Haud  
absimilis structuræ erat, malitiose ex-  
cogitatum illud commentum, quo Kauff-  
burenses literæ ad Corpus Evangelici-  
cum die 21. Maij mittebantur, quæ  
publicis quoque Ratisbonensibus no-  
titiis prælo excusis nuntiabant, qua-  
draginta illos ob rebellionem captos die  
15. Maij Kauffburum adventasse, pro-  
pudiosis transitus literis munitos, per-  
inde acsi non modo Salisburgensi di-  
tione, sed *toto Imperio* proscripti fuis-  
sent: Cum autem ejusmodi commea-  
tus literæ nunquam Salisburgi fuisser-  
tra-

traditæ, Legatus fraudem & calumniam subodoratus, a Kaufburenſi Magistratu Acatholico vel ejusmodi literas vel authenticum earum transumptum ſibi ſubmitti petiit. Tum vero mox mendacii ad Archiepifcopi invidiam fabri- catimachina diffiliit; Magistratus enim ſeſe excuſabat, quod non a ſe ad Corpus Evangelicum, ſed fors a privato ad privatum talia fuiffent perſcripta, horum autem Emigrantium commeau- tis literas ad manus non amplius ha- beret, utpote quas Boruſſicus Deputa- tus unacum quadraginta illis olim ca- ptis fecum abſtuliffet. Desperata plane cauſa, cui nonniſi mendaciis, calum- niis & falſitatibus robur addi, neceſſe eſt.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1731.

### §. XXXV.

#### *Hujus controverſiæ continuatio.*

Horum nihilominus Emigrantium cauſam potenter tuebantur An- gliæ, Daniæ, & Boruſſiæ Regum Ora- tores, qui ſuorum Principum nomine tam Cæſaream Majestatem quam Sa- lisburgensem Archiepifcopum ſummis precibusurgebant, ut non modo Sa- lisburgense emigrationis negotium ad Imperii leges confidere, ſed & cetera Religionis gravamina præſertim in Hungaria tollere & utriusque Confefſio-

Sæc. XVIII. A.C. 1731. nis Sætatoribus plenum liberumque Religionis exercitium concedere velint. Præterea ipsemet Fridericus Guilielmus Borussiæ & Christianus VI. Daniæ Rex die vigesima tertia Octobris Anno 1731. & anti sequentis die prima & nona Martij minas addebant, fore, ut Acatholici Imperii Principes erga Catholicos, eorumque Ecclesiæ & Monasteria in eorum ditionibus sita jure retorsionis omnem severitatis rigorem, & acerrimas vexationes adhibitur sint: Hanc ergo calamitatem, ut a se averterent, Catholicarum Communitatum Deputatis injunctum, ut operam suam omnesque nervos apud Archiepiscopum eo intenderent, ut Salisburgenses Lutherani haud ultra in suæ Religionis exercitio turbarentur: Nec Borussorum Zelus in minis stetit: quo circa Halberstattiensi Ecclesiæ Clerus die decima quarta Aprilis datis ad Salisburgensem Archiepiscopum literis impense rogabat, ut Cleri & Catholicorum Halberstattensium oppressiones clementia in subditos Salisburgenses profusa redimeret: His quoque Archiepiscopus die decima quarta Aprilis rescripsit, se jam sub primis rebellionis auspiciis eo intendisse, ut hoc in negotio nihil Imperii & pacis Westphalicae legibus & juri gentium adversum atten-

attentaretur, sic quoque nunc id sibi <sup>sæc. XVIII.</sup>  
 cordi esse, ac propterea, se, ne de odio <sup>A. C. 1731.</sup>  
 Religionis inculpari posset, rebellibus  
 & obstinatis suis subditis, hac licet  
 gratia indignis, liberam emigrationem,  
 & plenam de omnibus suis bonis di-  
 sponendi facultatem clementer indul-  
 sisse, proin concessis jam omnibus,  
 quæ vi præfatæ pacis jure exigi pos-  
 sent, haud præsumendas esse infestas  
 ejusmodi retorsiones &c. præsertim  
 cum die 7. Martii jamjam Cæsari inti-  
 masset, quod in emigrationis negotio  
 paterna Imperatoris monita ac consilia  
 sibi per Cancellarium Joannem de Gen-  
 tillotto insinuata exakte executurus esset;  
 Enimvero Carolus VI. Imperator  
 7. Aprilis die datis ad eundem Princi-  
 pem literis sibi plene satisfactum esse  
 testatus, admonuit, ut suis subditis  
 Augustanæ Confessioni addictis, cum  
 ipsimet ante triennium emigrandi fa-  
 cultatem petiissent, illam non modo  
 concedere, sed & cetera Juris & pacis  
 Westphalicæ beneficia impendere, &  
 rebellionis Antesignanis adhuc ca-  
 ptis liberationis gratiam concedere ve-  
 lit: Addebat tamen Imperator nullo  
 se, in iis, quæ Imperii Principi & Do-  
 mino Territoriali circa castigandos re-  
 belles suos subditos jure competenter,  
 normam præscribere, sed duntaxat  
 velle,

Sæc. XVIII. velle, ut tam his quam reliquis Au-  
A.C. 1731 gustanæ Confessionis subditis, perinde  
 acsi conditio ante triennium emigrandi  
 non fuisset adimpta, querulandi ansa  
 præriperetur.

## §. XXXVI.

*Singularis clementia Archiepiscopi  
erga Emigrantes.*

**E**nimvero Archiepiscopus pro innata  
 sua clementia die 5. Maij per suum  
 Legatum cunctis Ratisbonensibus Prin-  
 cipum Acatholicorum Oratoribus signi-  
 ficari jussit, se semper pacis Westpha-  
 licæ decreta accurate servasse, ac in-  
 super omnibus suis Præfectis præce-  
 pisse, ut omnes alpium fauces Emi-  
 grantibus atque emigraturis semper a-  
 pertæ essent, & duntaxat iis, qui  
 sponte cum suis e patria excedere vel-  
 lant, emigrandi terminum præfigerent,  
 nullum vero contra suam voluntatem  
 ad discessum cogerent, proin sperare  
 se, Catholicos prorsus innoxios in Aca-  
 tholicorum Principum terris agentes  
 ob rebellium pertinaciam haud qua-  
 quam vexatum iri. Insuper idem Ar-  
 chiepiscopus die decima Aprilis omni-  
 bus Curiarum Præfectis injunxit, ut  
 cunctos, qui in quoramdam emigran-  
 tium ære nominibus essent, vel quic-  
 quam

quam aut depositi vel alio titulo retinerent, ad nomina creditoribus per solvenda, necnon ad præstandam plenam satisfactionem indictis severissimis pœnis, compellant, relictas vero suppellestiles plus offerenti publice vendant, & suis Dominis tradant &c.

Sæc. XVIII.  
A.C. 1731.

Cum ergo Archiepiscopus quiete viventibus *privatum Religionis suæ exercitium* benigne indulgeret, captos rebelles sine pœna in libertatem afferret, emigrantibus plenam cum omnibus suis bonis quandocunque vellent, abeundi facultatem concederet, neminem ad emigrandum cogeret, & decem Præfecturarum subditi rebelles exeunte Mense Februario ultro declarassent, ut si *publicum sectæ suæ exercitium* non indulgeretur, ad proximum S. Georgii festum emigrare mallent, idque eis Archiepiscopus libenti animo indulgeret, totam hanc controversiam cum perfecta etiam Acatholicorum satisfactione diremptam fore, credebant omnes æQUITATIS STUDIOSI: præter omnem tamen expeſtationem die 31. Maij Acatholici Ratisbona ad Cæſarem dederat literas, in quibus querebantur, incolas adhucdum inclementer expelli, aliis ultra emigrare cupientibus transitum occludi, sua bona abducendi occasionem præripi, fatalem emigratio-

nis

Sac. XVIII. A. C. 1731. nis terminum S. Georgii non prolongari, Salisburgensis Legati declarationem captiosis verbis concipi, mortuis Parentibus Filios quatuordecim annorum minores vi retineri, alias clam abduci, canticibus & precibus vacantes durissimis pecuniarum mulctis gravari, &c. Has pluresque alias querelas omnino frivolas esse neverant Catholici Oratores, ac propterea die 13. Junii habita inter se consultatione declararunt, manibus palpari posse, quod Salisburgensis Princeps ampliora hoc in negotio indulserit, quam ipsa Westphalica pax præscribere videretur, merito autem a suis subditis petierit, ut concessis semel pacis præfatæ beneficiis etiam ipsi ea, quæ ab hac præscribuntur, accurate adimplerent, certissimum autem esse, quod hi rebelles privato Religionis exercitio vi pacis concessso haud contenti contra Principis sui mandatum, *publice* suam sectam maximo numero exercuissent, sicut ergo Acatholici haud tolerarent, si in suis ditionibus Catholici publicum Religionis exercitium, sibi *nec ex dispositione P. W.* *nec ex patro convento* competens contra Principis sui mandatum vi & propria auctoritate sibi vendicare vellent, ita nec Catholico Principi imputandum esse, ut in sua ditione publicum

blicum sectæ, quæ nequidem in anno <sup>Sæc. XVIII.</sup>  
normali ibidem viguit, exercitium re- <sup>A.C. 1731.</sup>  
bellibus subditis concederet.

Porro Imperator ex omnibus ultro  
citroque agitatis & transmissis rei gestæ  
relationibus probe agnoverat, plurima  
ex odio in Catholicos conficta, ultra  
modum exaggerata, & debitæ mode-  
rationis fines in prosequenda contra  
Archiepiscopum querela transgressos  
fuisse: Eapropter die decima sexta Maij  
Frobenio Ferdinando Principi de  
Fürstenberg Cæsareo in Ratisbonensi-  
bus Comitiis Commissario injunxit, ut  
cum Archiepiscopus non modo Imper-  
atori, sed & Augustanæ Confessionis  
Oratoribus in Emigrationis negotio  
plene satisfecisset: Ipse apud eosdem  
Oratores omne studium eo converteret,  
ut hi suos Principes rogent, ne contra  
innoxios Catholicos eorum subditos  
contra fas interminatam. & imperii  
legibus tam severe prohibitam retor-  
sionem, seu ut vocant, *repressalia ex-  
querentur.*

Eadem quoque die Imperator præ-  
fatum Archiepiscopum & Principem  
hortatus est, ut ceteros etiam decem  
vel duodecim rebellionis Antesignanos,  
quos in concitatæ seditionis testimo-  
nium ipse captos retinere voluit, pa-  
riter ad humillimas Oratorum preces  
libe-

Sæc. XVIII. liberos dimitteret, ut sicut præsens  
A.C. 1731. *Emigrationis negotium nunc exacte ad pa-*  
*cis Westphalicæ normam confectum fuit,*  
ita etiam Archiepiscopus ejusque Prin-  
cipatus omnem Cæsareæ gratiæ & pro-  
tectionis certitudinem sibi polliceri  
posset.

Nondum tamen apud Augustanæ  
Confessionis Sectatores querelarum fi-  
nis; die enim trigesima prima Maij  
Archiepiscopum apud Cæsarem insimu-  
labant, perinde acsi amicabilem com-  
positionem abrupisset, & multa paci  
Westphalicæ adversa contra Emigran-  
tes statuisset. Ipse etiam Fridericus  
Sueciæ Rex die 23. Junii querulas hasce  
ad Cæsarem literas dedit:

„Quo magis sincerum & constans Sa-  
„cræ Regiæ Majest. ac Coronæ Sueciæ  
„propositum est, sua ex parte tam pu-  
„blicæ per Europam pacis, quam in Im-  
„perio Romano Germanico tranquil-  
„litati conservandæ firmandæque inde-  
„fessam, qua fieri unquam licet, na-  
„vare operam, & quo majori S. R.  
„Maj. & Corona Sueciæ in haud in-  
„terruptam perennemque Maj. Vestræ  
„Cæsareæ & Serenissimæ Domus Au-  
„striacæ felicitatem fertur adfectu. ea  
„attentione S. Reg. Maj animo spectan-  
„dam censet occasionem quamlibet,  
„eventumque, unde vel turbarum  
„for-

„forsan in Imperio Romano Germano-Sæc.XVIII.  
 „nico seges, vel Cæsareæ V. Maj. ac A.C. 1731.  
 „Serenissimæ Domui Austriacæ, ali-  
 „quod ex ambiguo rerum suboriri pos-  
 „fit discriminen „

„Quantum violentiæ, persecutionis  
 „oppressionisque diversis in Germaniæ  
 „locis, a Principibus iis Romano-Ca-  
 „tholicis, qui præ nimio in Sedem  
 „Romanam studio, sua ipsorummet ve-  
 „riora commoda non, prouti par esset,  
 „cordi habent, jam diu perpeſſi fue-  
 „rint Evangelicæ addicti religioni,  
 „quasque adeo ad comitia Imperii de-  
 „tulerint querelas, tam a corpore ibi-  
 „dem Protestantium, quam Potesta-  
 „tum Evangelicarum variis literis Ma-  
 „jestati Vestræ Cæsareæ expositas,  
 „benigniori etiamnum retinet me-  
 „moria.. „

„Et quamvis Cæsarea Vestræ Maje-  
 „ſtas pro ſuo non minus in iuſtitiam  
 „amore, quam ſummi in Imperio Ca-  
 „pititis, judicisque auſtoritate, hiſce  
 „injuriis ſæpius dehortando obviam  
 „ire commota fit, dolendum tamen  
 „maxime eſt, tantum abeſſe, ut æ-  
 „quifſima hæcce, atque ad Evangelii  
 „corum in Imperio ſalutem tendentia  
 „Maj. Vestr. ſtudia, ſperato gaudeant  
 „effectu, ut potius Romano-Catholi-  
 „corum Principum quidam, poſtha-  
*Hift. Eccles. Tom. LXXIII.* Ss bitis

Sæc. XVIII. „bitis ejusmodi dehortamentis, conti-  
A. C. 1731. „nuatam in subditos Protestantes vim,  
„atrociore indies cumularint iniquitate.

„Hos inter in primis est Reverendiss.  
„simus Archiepiscopus Salisburgensis,  
„qui irritis, queis ipsum Cæs. Vesta  
„Maj. dehortata est, necnon Corporis  
„Evangelicorum ac potestatum Prote-  
„stantium neglectis repræsentationibus  
„amicis, contra tenorem constitutio-  
„num legumque Imperii fundamenta-  
„lium, eo nunc in sibi subjectos Evan-  
„gelicos processit inclemenciam, ut,  
„post diu toleratam sævissimæ persecu-  
„tionis miseriam, cum bonorum tan-  
„dem jactura, patria domoque multa  
„mortalium nulla excedere coacti sint.

„Et quoniam, ni efficaci atque Im-  
„perii constitutionibus convenienter  
„modo mature coercentur durissimum  
„hocce institutum, metuendum sane  
„est, ne & publicæ saluti tam necessa-  
„ria in Imperio concordia turbetur, &  
„varia hinc denique enascantur in-  
„commoda. Proinde iussu speciali  
„S. R. M. Domini mei Clementissimi  
„Maj. Vestræ Cæs. hæc me omnia hu-  
„millime exponere, & qua par est,  
„veneratione contendere oportuit, ut,  
„pro supremi, quod Cæs. Vest. Majest.  
„possidet, judicii munere, necnon  
„Zelo, quem semper testata est ad  
„tuen-

„tuenda Imperii jura laudatissimo con- Sæc.XVIII.  
 „grua iisdem ratione, æquum tot A.C. 1731.  
 „Evangelicorum circa religionem que-  
 „relis finem, quantocius imponendum  
 „curet, præcipue ut jam diu adflictis-  
 „simis Salisburgensibus clementer sub-  
 „veniatur, quo legum saltem Imperii  
 „ac pacis Vest. fruantur beneficiis,  
 „quam ob causam Maj. Vest. Cæs.  
 „non solum iterato fortiusque Reve-  
 „rendissimum Archiepiscopum dehor-  
 „tari, sed & ubi frustra, sicuti antea  
 „fuerit, ea exequi haud gravabitur  
 „confilia, quæ ad Justitiam obtinen-  
 „dam, inque auctoritatis Imperioriæ  
 „robur Maj. Vestræ Cæs. Imperii con-  
 „stitutiones, tali utique suppeditant  
 „casu. „

„Hac porro occasione Maj. Vestræ  
 „Cæsar. haud minus submisso referen-  
 „dum est, quod cum ad aures Sacræ  
 „Rom. Majestatis Domini mei Clemen-  
 „tissimi, certior etiam attulerit fama,  
 „subditos Maj. Vestræ in Hungaria  
 „Evangelicos, tam aliis adversis quam  
 „juramenti, quod ipsorum conscientiæ  
 „ac religioni repugnat, formula mi-  
 „nitatos, Clementissimum Maj. Vestr.  
 „Cæs. implorare auxilium, sacra Regia  
 „Majestas autem nulla dubitet, quin  
 „omnibus rite perceptis circumstantiis  
 „Cæs. Vestra Maj. pro sua magnanimi-

Ss 2 „tate

Sec. XVIII. „tate atque erga subditos fideles amore,  
 A. C. 1731. „prona certe consentiat ut, ne in exer-  
 „citio religionis libero, a Maj. Vestræ  
 „Cæs. ac Majoribus ipsius gloriosissi-  
 „mis impetrato, atque concessis pri-  
 „vilegiis, & conventionibus, tum acti-  
 „bus aliis publicis stabilito, confirma-  
 „toque ulla eorum conscientiæ vis in-  
 „feratur, sacra. Reg. Maj. & Corona  
 „Sueciæ haud secus ac potestatum  
 „Evangel. aliæ, majorem in modum  
 „hiscœ quoque suffragandum rata, spe  
 „proinde ducatur certissima, Maj. Vest.  
 „Cæs. quæ Sacra Reg. Maj. eidem  
 „nunc declaranda voluit, pro documento  
 „habitaram, desiderii ipsius votique  
 „sinceri, tam ut incommoda vitentur  
 „quælibet, quam Maj. Vest. Cæs. &  
 „Sereniss. Domus Austriacæ gloria sa-  
 „lusque illibato semper floreat incre-  
 „mento.,,

„Sic ubi autem S. R. M. hoc in of-  
 „ficiis Caroli VI. Maj. detulerit, id  
 „vero ut pignus amicitiæ singulare ac  
 „mutuo imprimis demerendum studio  
 „Sacr. Reg. Maj. magna cum voluptate  
 „acceptura est. Cæterum gratiæ ac  
 „favori Maj. Vest. Cæs. memet enixe  
 „atque humillime commendo.,,

## §. XXXVII.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1731.

*Rebellium delicta juramento ac testibus comprobata.*

Insuperhabita Archiepiscopi clementia Salisburgenses rustici ad obsequium revocari haud poterant; hi enim, qui nondum emigraverant, contra iterata Principis mandata privatas conjuraciones & conventicula iniere, in quibus publice Conciones convocatis vicinis habebant, libros prohibitos alta voce prælegebant, & cantilenis suis sectam libere profitebantur: Alii vero sub obtentu, quod relicta sua bona procura-re, vel proles suas abducere vellent, ad suos reversi Catholicos maxime ru-diores ad defectionem sollicitarunt, li-bros erroribus turgidos eis obtrusere, & perniciosum literarum commercium foventes in ipsam etiam Catholicam fi-dem contumeliosa verba effuderunt. Eapropter Archiepiscopus transmisso in omnes decem Præfecturas mandato die prima Augusti inhibuit, ne rustici imposterum talia attentarent, secus pacis Westphalicæ beneficio privandi, & severe puniendi: privatim tamen cuiilibet cum suis intra domos suas sectæ exercitiis vacare liceret: Cum vero non deessent, qui vel publicis scriptis

Sæc. XVIII. vel liberiori lingua horum rebellium  
 A.C. 1731. ausus excusarent, imo & singularem  
 clementiam, qua Archiepiscopus fedis-  
 tionis Auctores sine suppicio liberos  
 dimiserat, maligne interpretarentur,  
 perinde acsi nullius criminis rei, proin  
 injuste diuturno carcere vexati fuissent,  
 hinc Archiepiscopus in horum rebel-  
 lium, aliorumque pacis perturbatorum  
 crimina ad juris rigorem inquire, &  
 cuncta juratis testibus comprobari juf-  
 sit, quo facto omnia, prout in actis  
 publicis, inquisitionibus, constitutis, &  
 per juratos testes & proprias reorum  
 confessiones comprobatis exposita fuere,  
 publicis typis divulgari voluit.

Horum scelera, qui mente a par-  
 tium studio aliena pervolverit, facile  
 judicabit, haud immerito non modo  
 Salisburgensem Provinciam, sed uni-  
 veriam Ecclesiam Catholicam sibi gra-  
 tulari, quod e gremio suo excluderit  
 ejusmodi homines, qui suam fidem &  
 Baptismale fœdus perfida simulatione  
 tamdiu profanarunt, & sectam, quam  
 intus sovebant, aperta in legitimum  
 suum Principem rebellione dehonestar-  
 runt. Hac de cauſa nec Catholici  
 hosce Profelytos Acatholicis invident;  
 quippe nec ipsimet approbare aude-  
 bunt, quod per ducentos ferme annos  
 exterius religionem, quam in corde  
 dete-

detestabantur, profesi sint, & suam hypocrisin ad suos posteros propagariunt. Id sane Christi doctrinæ & Evangelii præceptis recta contrarium est, nec primis Christianis consonum, qui quidem ob pœnarum metum in cryptis habitantes occulte Religionis exercitiis vacabant, quin tamen Ethnicorum superstitionem exterius simularent. Porro cetera, quæ de horum agrestium emigratione subinde facta, de eorum transplantatione in remotissimas regiones, necnon de incultis eorum moribus &c. præterea referri possent, ab aliis abunde jam vulgata, passimque nota Lectorem fatigarent citius, quam Scriptorem deficerent.

### §. XXXVIII.

#### *Controversia inter Victorem Amadeum Regem, ejusque Filium.*

Aliquamdiu Victor Amadeus Sardiniae Rex, translato in Carolum Emanuelem Filium suum Regno, quiete vivebat, subito tamen præter omnium expectationem inter utramque levis dissensionis scintilla in apertum erupit incendium; cum enim Carolus primo jam Regiminis sui anno rem male administratam, multasque corruptelas invaluisse deprehenderet, simulque No-

Sæc. XVIII.  
A.C. 1731.

Sæc. XVIII. biles exinde a pristino suo decore fer-  
A C. 1731. me ad iuopiam se redactos quereren-  
tur, novus Rex hac super re cum Pa-  
tre collocutus, culpam in eum tacita  
reprehensione conjecisse arguebatur:  
Acrior nonnihil inter utrumque erat  
verborum contentio, quam tamen hinc  
Patris moderatio, illinc Filii reveren-  
tia temperabat: Ast brevi recruduit  
indignatio, cum Filius Rex Patrem  
cum uxore Regina visum iret, & nec  
hunc nec ejus conjugem Marchionissam  
de Spigno amplexu honoraret, imo  
permitteret, ut Marchionissa utriusque  
præter morem manum deoscularetur:  
Ab eo temporis articulo Victor Ama-  
deus mœrore affici, ejusque animus  
inquieto cogitationum turbine jactari  
videbatur: suspicabantur nonnulli, quod  
in tetro silentio abdicati Regni poenitu-  
dinem proderet sceptro affueta manus;  
creditum quoque, hoc ipsum solii re-  
petendi desiderium suæ Conjugis am-  
bitione vel instillatum, vel auctum  
fuisse: Ut ut res se habuerit, id certis-  
simum est, Carolum Regem tunc de  
Patris sui proposito haud ultra dubi-  
tassee, dum Hic unacum sua Conjuge  
& Proceribus Taurinum Regni Metro-  
polin pergere, & arcis Gubernatorein  
tum morbo detentum avidius quam  
cautius invisere pararet: Huic tamen  
col-

colloqui non modo prohibitus est, sed Sæc. XVIII.  
 etiam illius adhuc diei vespera præsi- A.C. 1731.  
 diarii illi milites, qui Amadeo arctius  
 obstricti credebantur, urbe exire jussi  
 sunt, subrogatis aliis quatuor legioni-  
 bus, quarum fides novo Regi sat com-  
 probata erat. Tum vero Carolus Rex  
 una ex parte arctabatur ab ipso filialis  
 reverentiæ obsequio, ex altera a pu-  
 blicæ tranquillitatis studio; comper-  
 erat enim, Patrem nescio, quas armo-  
 rum societates & consilia Regno perni-  
 ciosa meditari. Prævalente igitur  
 publicæ utilitatis amore prætoriæ Le-  
 gionis Tribunum ad Amadeum Patrem  
 alegat, qui eidem nuntiaret, novum  
 Regem filialem quidem reverentiam,  
 amorem & obedientiam erga ipsum  
 constanter testari: Eidem tamen vi-  
 deri, Taurinensis cæli temperiem ejus  
 valetudini minus salubrem fore, haud  
 ergo gravaretur, sub satellitio Regia  
 sua Majestate condigno Rivolum sece-  
 dere: Amadeus, qui ad omnia ad-  
 versa jam dudum occaluerat, imper-  
 territus reposuit, quid rei subesset, se  
 non ignorare, equos currui jungerent,  
 sese jam itineri accinctum esse, his vix  
 dictis animo concidit, sed mox sibi  
 redditus, suam quoque conjugem de  
 proximo dicessu moneri jussit, qua ta-  
 men simul abire prohibita, ipse solus

Sæc. XVIII. noctu die 28. Octobris Rivolum, arcem  
 A.C. 1731. probe munitam, deductus est, Mar-  
 chionissa autem valido milite stipata  
 Cerram abducebat, ubi vitæ tran-  
 quillitate, cunctisque commodis atque  
 oblectamentis fruebatur, excepta li-  
 bertate; continuo enim quadraginta  
 milites ad ejus gressus excubabant,  
 plures postea Nobiles & famuli Ama-  
 deo addicti post severam quæstionem  
 in Taurinensi arce capti detinebantur.  
 Ea res summum Pontificem. ac præ-  
 cipue Franciæ & Hispaniæ Reges ma-  
 xima admiratione detixos tenuit, ac  
 ipse Clemens Papa hoc factum in exem-  
 plum trahi veritus, datis ad Carolum  
 literis paternam reprehensionem ad-  
 didit, ipse vero Rex exposito majoris  
 mali periculo suam ageandi rationem  
 scite vindicabat. Non adeo faciles au-  
 res Regia excusatio invenerat apud  
 Hispaniæ & Galliæ Reges, qui non  
 modo in gravem indignationem, sed  
 & acres armorum minas erupere. Rex  
 inde nil territus isto foedere cum Cæ-  
 fare, caussas, quæ ipsum ad hoc im-  
 pulissent, publico scripto exposuit, le-  
 ctisque egregiis Administris regimen  
 sapientissime auspicatus est.

## §. XXXIX.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1731.*Dissidia cum Lucernensibus plene  
composita.*

Inter alia præclara, quibus Clemens Papa Pontificatum suum illustrabat, merito recensenda venit plena reconciliatio Lucernensem: Hi enim paternis ejusdem monitis ac expositis rationum momentis acquiescentes edictum suum contra imminutatem Ecclesiasticam promulgatum revocabant: vicissim vero Pontifex Dominicum Passioneum Sedis Apostolicæ Nuntium Altorfio, ubi per aliquot annos morabatur, Lucernam redire jussit, utque luculentius adhuc sinceræ amicitiae testimonium huic Reipublicæ daret, Eundem Nuntium suum Romam revocavit, quem etiam, Grimaldo Viennensi Nuntio ad Purpuram electo, Viennæ in Cæsaris Aula Pontificium nominavit Legatum. Hic vero, cum die nona Maij ex Helveticis Alpibus adventasset, summo honore in Imperatoris Aula exceptus est.

## §. XL.

*Cardinalis Coscia publice inquisitus.*

Interim Romæ indies magis invalescebant publicæ criminationes adversus

Sæc. XVIII. sus eos, qui nimia Pontificis defuncti  
A.C. 1731. benevolentia abusi, tam ærarium Pon-  
tificium, quam Romanum populum  
variis exactionibus exhauserant Tota  
culpæ moles rejiciebatur in Cardina-  
lem Cosciam; nec immerito: Hic enim  
Sanctissimo Pontifici simulata sua pie-  
tate per plures annos turpiter impo-  
suit, & vitio Principum clientibus usi-  
tato, unice corradendæ pecuniæ inten-  
sus, sacra & profana suo nutu & ar-  
bitrio rexit, & ferme omnia fœdissimo  
mercatu venalia exponere non erubuit.  
Hæc sibi probe cognita habebat Cle-  
mens XII. adhuc Cardinalis; quo circa  
ipso statim Pontificatus initio in omnes  
male administratæ Reipublicæ reos  
inquiri jussit, ac præprimis vix abso-  
lutis sacræ comitiis, Cardinali Cosciæ  
præcepit, ne ante quartam Augusti  
diem e Palatio Vaticano discederet.  
Paruit ille, evoluto tamen termino  
Neapolin proficisciendi facultatem pe-  
tiit, qua ei denegata, insuper Roma  
excedere, aut ulli Patrum cætui in-  
teresse inhibitum, simulque mandatum  
est, ut præcipui ejus Domestici, atque  
inter illos Ifoldus ejus Auditor custo-  
diæ darentur, ceteris officio motis:  
His ita dispositis in jus vocandus erat  
Coscia, de pecuniis repetundis postu-  
landus. Huic igitur judicio Pontifex  
die

die octava ejusdem Mensis specialem præstituit Coagregationem, quæ nunc *de cauffa nota*, jam *super nonnullis* vocabatur: Consisterat illa sex Cardinalibus, Ludovico Pico, Renato imperiali, Petro Corradino, Leandro Porzia, Antonio Banchierio, & Nereo Corsinio, Viris integerrimis, ac boni & æqui studiofissimis. His Pontifex a secretis esse voluit Dominicum Cæsarem Fiorellum Cameræ Apostolicæ Auditorem. Porro speciali decreto hisce Cardinalibus plenam dedit potestatem & mandatum, ut quoscunque turpis questus, injustitiae aliorumque criminum sub defuncti Pontificis regimine perpetratorum reos vel ipsimet deprehenderint, vel per accusationes & testimoniū depositiones coram quolibet tribunali Sacro vel profano delatos noverint, in jus vocarent, & pro merito culpæ castigarent. Promulgato hoc decreto non pauci, quos mens male sibi conscientia redarguerat, clam Urbe excesserunt, quos inter primus fuisse conscientia, nisi fugam excubitorum vigilantia præpediisset.

## §. XLI.

*Prima sententia in Consciam Cardinalem pronuntiata.*

Habi-

Sæc. XVIII. A. C. 1731. **H**abitis pluribus Patrum conventibus tam per testes, quam per proprias Cosciæ literas abunde comprobatum erat, eundem Cardinalem datis & acceptis pecuniis contra S. Canones & Pontificias Constitutiones pro arbitrio suo de Sacerdotiis disposuisse, plura- que alia sat aperta commisisse crima; hinc communi omnium suffragio de- cretum, ut quadraginta aureorum mil- lia in pios usus, & reparanda læsorum damna juxta Constitutiones Gregorii XIII. Alexandri VII. & Innocentii XII. exsolveret, Archiepiscopatum Bene- ventanum dimitteret, & demum S. In- quisitionis Congregatione, cui præerat, fese abdicaret. Hanc sententiam ra- tam quidem habuit Pontifex, indul- gentia tamen & provida cautela uten- dum ratus, quemdam Nobilem Virum alegabat, qui Cosciam ad spontaneam Archiepiscopatus dimissionem inducere fatageret: Ast Cardinalis ad hoc con- filium surdus, quod sponte recusave- rat, coacte demum exequi compulsus est; die enim vigesima tertia Decem- bris ad omnes Ecclesiarum portas, ur- bisque compita affixum legebatur de- cretum hoc tenore: *Cum tam Sanctitati suæ, quam omnibus notum sit, te, Car- dinalem Cosciam Beneventano Archiepisco- patui haud amplius cum decore & populi adi-*

*ædificatione præesse posse, proin omnino necessarium sit, ut illum absolute & sine omni conditione in manibus Sanctitatis suæ abdicas, hinc summus Pontifex, auditis S.Congregationis & Ministorum suffragiis præcipit & mandat, ut statim præsumum Archiepiscopatum dimittas, secus summam Pontificis indignationem, & Canonicam depositionem incursum &c.* Datum in Palatio Quirinali die 19. Dec. 1730.

Sæc.XVIII.  
A.C. 1730.

ANTONIUS CARDINALIS  
BANCHIERIUS.

Hoc decreto perculsus Coscia, Advocatum sibi dari petiit, quocum aliquamdiu collocutus, libellum suppli-  
cem ad Congregationem transmisit,  
sibi temporis inducias ad sui defensio-  
nem postulans: hoc autem libello a  
Patribus repudiato, se suo quidem ab-  
dicavit Archiepiscopatu, mox tamen  
Romæ scriptum vulgavit, in quo se  
hac Ecclesia injuste spoliari querebatur,  
eoquod pro illius fabrica octoginta au-  
reorum millia expendisset: Verum  
hujus effugii nec Romæ nec Beneventi  
ulla habebatur ratio, sed potius die  
duodecima Maij subrogato in Archi-  
episcopum Sinibaldo Doria Beneven-  
tani per integrum triduum festivos  
accendeant ignes.

§. XLII.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1731.

## §. XLII.

*Coscia Cardinalis fuga elapsus.*

**P**aulopost excussis Isoldi scriptis plures reperiebantur suspectæ literæ ac libelli supplices, quos Fiorellius Cosciæ Cardinali exhibuit, ut desuper rationem redderet; hic vero respondit, sibi de his nullam esse notitiam, se tamen existimare, supplices hosce libellos eo tempore, quo is Roma absens fuisset, porrectos: Hæc ubi relata fuere Isoldo, is ad Cosciam clam hæc perscripsit: *Recordabitur utique Eminentia vestra, quod non alio ex capite me exauditorarit, nisi quod cuncta mihi tanquam Auditori suo concredita arcana a me revelari pertimesceret:* Intercepta hac scheda, ac propria complicum confessione.. totque aliorum testimentiis convictus Coscia, tanquam in arena capto consilio, summi Pontificis clementiam exorare statuit, petitæ alloquii copia, qua tamen dengata, perdemisse supplicavit, ut saltem Assisium ad Franciscanorum ædes sedere permitteretur, reliquos vitæ suæ dies in sacro otio insumpturus. Attamen repulsam passus, haud obscure cognovit, quanta sibi judicialis sententiæ tempestas proxime immineret, eapropter fugæ consilium cepit, &

una-

unacum fidis duobus comitibus intem-  
pesta nocte Comitem Franciscum Ma-  
rini de Taffone mentitus, per portam  
S. Clementis Roma excessit, ac die  
quarta Aprilis Neapolin vespere per-  
venit, relicto Romæ scripto publico,  
quo fugam suam allatis fusius caussis  
vindicare moliebatur. Re comperta  
Pontifex Cursorem mox ablegat, qui  
fugitivum Cardinalem insequeretur,  
eique Pontificis nomine præcipiteret, ut  
nulla mora captivus Roman ad Mo-  
nasterium S. Praxedis reverteretur,  
secus omnibus dignitatibus ac bene-  
ficiis exuendus. At fugæ celeritas  
Cursoris solertiam elusit; Coscia vero,  
ne proderetur, Monachi habitum in-  
dutus, ad quemdam sibi affinitate jun-  
ctum die undecima ejusdem Mensis  
confugit, in cujus tamen ædibus mi-  
nime receptus ad Olivetanorum Asce-  
terium secessit. Ibi ipsum Comitem  
Harrachium Neapolitanum Pro - Re-  
gem accedit, qui tamen eum recipere  
pariter recusabat, caussatus, sibi in  
mandatis datum non esse, ut ipsum  
Cæfarea protectione honoraret: tum  
vero Coscia ab ipsa infelicitate didicit,  
semel miseris nusquam Patriam, nus-  
quam patrocinium, nullumque Ami-  
cum deberi: Igitur opis & consilii in-  
ops, aliquot horis in Urbe hælit, quo  
*Hist. Eccles. Tom. LXXIII.*

Sæc. XVIII.  
A. C. 1731.

Tt se

Sæc. XVIII. se demum verteret, nescius. Conti-  
A.C. 1731. nuato tamen itinere ad vicinum op-  
pidum, cui *Albae petræ* nomen, be-  
nignioris fortunæ fiducia contendit:  
Enimvero dum hucusque ad omnia  
Cosciae vota prosperitas esse surda vi-  
deretur, inopinato quidem, sed per-  
opportune accidit, ut Montelonis Du-  
cis prædium, quod *Bonum hospitium*  
vocant, venale prostaret, eo igitur  
empto Coscia uno ferme momento &  
securitatis locum & calamitatis leva-  
men consecutus est. Ceterum non  
eodem vel temporis vel remedii com-  
pendio sanari poterat vitæ male actæ  
vitium, ac inde orta Pontificii animi  
exulceratio: Quam primum enim Cle-  
mens Papa novum violati præcepti  
crimen compererat, acta judicii in  
Cosciam instruendi mandatum dedit  
Cardinalibus Francisco Barberino,  
Antonio Zondedario, Curtio Origo,  
& Laurentio Alterio: Hi ergo publico  
edicto Romæ affixo juxta Constitutio-  
nem Innocentii X. interminata anathe-  
matis poena Cosciam citabant, ut co-  
ram eis actorum suorum rationem red-  
deret, sibique interim a capiendis Sa-  
cerdotiorum proventibus interdictum  
sciret; eapropter Simonetto Apostolico  
Regni Neapolitani Nuntio datum est  
negotium, ut juncta Archipræsulis  
Ca-

Capuani, & Aversani Episcopi ope &  
opera Cosciam in jus vocaret, & omnes Sæc. XVIII.  
A.C. 1731.  
ejus redditus Ecclesiasticos proxime  
percipiendos apud sequestrum depo-  
neret. Verum sagax Cardinalis op-  
pignoratis hisce proventibus, literas  
argentarias a Numulariis Neapolitanis  
perceperat necnon per suos Amicos  
jam antea impetraverat, ut in fidem  
& clientelam Cælaris recipetur; qua-  
re evenit, ut proventus beneficiorum,  
quæ Coscia intra Neapolitani Regni  
fines obtinebat, integros reciperet,  
quamvis interim ejus Bibliotheca, &  
reliqua ædium suppellex præconis voci  
subjecta, & capto primario ejus cubi-  
culario cambiales literæ ad quinqua-  
giunta aureorum millia unacum argen-  
tea supellectile interceptæ fuissent. Nil  
tamen acrius pupugit Cosciam, quam  
Beneventani Archiepiscopatus jactura,  
quocirca, cum quosdam Canonicos  
sibi sat proprios adversus novum Ar-  
chiepiscopum reclamasse nosset, Nea-  
poli scriptum quoddam a Forziato Ad-  
vocato compositum publici juris fecit,  
in eo demonstrare conatus, quod vio-  
lenter Sede pulsus fuisset, proin Pon-  
tífex sine Capituli & ceterorum Diæ-  
celis Sacerdotum consensu alium sub-  
rogare non potuerit.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1731.

§. XLIII.

*Cardinalis Coscia Romam  
reversus.*

Exspirante trinæ citationis termino, cum Coscia Romæ non compareret, Pontifex die vigesima tertia Augusti denuo consuetis in locis edictum affigi juslit, vi cuius Coscia omnium, quæ tam intra quam extra ditionem Pontificiam possideret, beneficiorum fructibus spoliabatur: Idem hoc editum rursus die secunda Octobris innovatum, declaratumque omnia ejus beneficia pro vacantibus haberi, donec ipse se Sedi Apostolicæ subjecerit, & de gestis suis rationem reddiderit: Hæc & pejora adhuc Cosciæ Cardinali præfagiebat mens male sibi conscientia; suam quoque præsentiam Neapolitanis sensim exosam fieri, nec Cæfarem collisionis cum Papa periculum ipsius amore facturum, haud obscure animadverterat, hinc in tanta fortunæ malevolentia prehensus, & aliorum consilio persuafus, Romam redire statuit, vel maxime veritus, ne contumacius redditum procrastinando non modo beneficiis, sed & Romana Purpura exueretur. Die igitur vigesima octava Martii Anno 1732. Prætoriam

Ne-

Sæc.XVIII.  
A. C. 1731.

Neapolitani Regni triremem consen-  
dit, fausta navigatione Terracinam ap-  
pulsius. Inde lectica vectus, coimtan-  
tibus eum Pro. Regis Filio Comite  
de Harrach, & Marchione Pieschiatio  
intimo ejusdem Amico die decima ter-  
tia Aprilis Romam pervenit. Tristis  
oppido Nuntius Cosciæ adventum per-  
turbabat; compererat enim, quod Co-  
scia Dux ejus Frater prædium a Car-  
dinale Cibo coemptum, utpote Fami-  
liæ feudum, lite apud Cæsarem mota,  
restituere non modo fuisse compulsus,  
sed etiam quod Targensis Episcopus  
alter ejus Frater primo in PP. Soma-  
schorum Monasterio ad S. Nicolaum,  
dein in arce S. Angeli captus detine-  
retur: Accessit insuper ad propriæ ca-  
lamitatis cumulum, quod ipsem et,  
quamprimum Romam pervenerat, in  
**Cænobio** S. Praxedis velut in libera  
custodia hærere juberetur, ne sub quo-  
cunque obtentu inde exiret, severissime  
prohibitus. Peractis Paschalibus festis  
Pontifex seriam cum Davia, Imperiali,  
Petra, & Corradinio Cardinalibus con-  
sultationem habuit, & paulopoli de in-  
stituendis in Cosciam quæstionibus agi  
cæptum. Initio quidem Cardinalis  
Congregationi a Papa stabilitæ sese sub-  
jicere tergiversabatur, ac præcipue a  
**Fiorellio** Abbe ceu sibi infenso exa-

Sæc. XVIII. minari recusabat. Ast tanta tuu erat  
A.C. 1731. libertatis & carceris vicinia, nihil ut  
ad perniciem certius esset ac pronius,  
quam parvula modo subjectionis re-  
pugnantia, remedii e contra vix quic-  
quam aliud, quam humilis obedientia;  
paruit igitur Cardinalis Judicum suo-  
rum citationi, sese coram eis purgare,  
& objecta diluere jussus. Die quinta  
Julii in præfato Monasterio quæstioni-  
bus datur initium, & Cardinalis pro  
sua sagacitate plures quæstiones libi-  
sat molestas aut lacrimis ubertim pro-  
fusis aut artificio declinat silentio,  
supplex, ut adversæ suæ valetudinis  
ratio haberetur. Nil tamen hac arte  
profectum; jussu enim Pontificis eidem  
insinuatur, illas, quas silentio suppri-  
meret, accusations pro confessis ha-  
beri: Tenuit primum hoc examen sex  
integras horas; quo finito Cardinalis  
cubiculi sui fores viginti quatuor mi-  
litibus obseßas reperit, ex quibus post-  
modum duo alternis vicibus excuban-  
tes, tam alloquii quam epistolaris com-  
mercii copiam intercludebant: Deci-  
mum sextum jamjam instituitur ex-  
amen, cuius molestia fractus Cardina-  
lis, voce lacrimis intercisa petiit, ut  
sine ulteriori inquisitione sententia in  
eum pronuntiaretur; se enim inquie-  
bat

bat, malle semel mori, quam toties Sæc. XVIII.  
lenta morte confici.

A. C. 1731.

## §. XLIV.

*Ultima sententia in Cosciam  
lata.*

Interim Petruscius & Isoldus criminum participes domesticæ addicebantur custodiæ, & Valerius Locatius bis mille aureis mulctatus ad quinquennales carceres Urbem veterem abducebatur; ipse vero Cardinalis duo adhuc examina subire coactus est, non alio caussæ successu; nisi quod die vigesima octava Septembris eidem ad sui defensionem certum temporis spatiū esset indultum, pollicitumque, ut cunctis judicij actis ei communicatis, a custodia liberaretur, dummodo haud amplius fugam attentaret, secus omni dignitate, beneficiis & bonis spoliandus. Initia hac conditione Coscia, abductis excubiis, e Monasterio suo die quarta Octobris progrederitur, obtenta, quounque vellet, intra Urbis mœnia eundi libertate: Praeprimis vero totus in eo erat, ut celebris Advocati ope intra præstitutum terminum causam suam tueretur: Selegit Toppium, cetera Caussidicum suo ævo longe præstantissimum, qui tamen necessariis de-

Tt 4 situ-

Sæc. XVIII. stitutus documentis labori succubuit.  
A. C. 1731. Re autem longius protracta Pontifex  
adhuc triginta dierum spatium indul-  
fit, quo tamen evoluto sententia sine  
ulteriore mora pronuntiaretur. Hujus  
termini beneficium in rem suam ver-  
sus Coscia, caussæ suæ defensionem  
commisit Vitagliano Advocato perce-  
lebri, qui etiam prolixum edidit scri-  
ptum verborum quidem facundia uber-  
rimum, sed rationum soliditate jejenum.  
Jam nil proprius esse videbatur, quam Co-  
sciae condemnatio: nihilominus Pon-  
tifex nominatis Cardinalibus Judi-  
ceum, Corsinium, Cibum & Falco-  
nerium Purpuratos, necnon Valentiam,  
& Jacobazzium adjunxit, qui die vi-  
gesima octava Aprilis a summo mane  
usque ad seram noctem recognitis ju-  
dicii actis maturam instituerunt con-  
sultationem, demum vero unanimi suff-  
fragio pronuntiarunt, judicium de Co-  
sciae Persona remittendum esse Aposto-  
lico conscientiæ Tribunalit, suis vero  
beneficiis & cura animarum spolian-  
dum, ex ejus bonis damna ærario Pon-  
tificio illata reparanda, & simoniace  
corrasa in pauperes eroganda esse, ad  
sui sustentationem relictis duntaxat sex  
aureorum millibus: Hujus sententiæ  
tenorem Fiorelius communicabat sum-  
mo Pontifici, qui judicii actis denuo  
mature

mature discussis, die nona Maij cun- Sæc. XVIII.  
 &tos præsatæ Congregationis Cardinales A.C. 1731.  
 adesse jussit, eos his verbis allocutus:  
 vestram sententiam serio examinavimus, &  
 æquissimam esse censemus, executionis vero  
 modum percipite. His dictis Passerius  
 scriptum prælegit hoc tenore: „Car-  
 dinalis Cœsia, qui regnante Bene-  
 dicto XIII. multas pecunias, per ne-  
 fas, ac injustas exactiones extorsit,  
 Apostolicas literas adulteravit, mu-  
 nera & pecunias pro beneficiis acce-  
 pit, Pontificis defuncti confidentia  
 abusus sese eidem ingratissimum ex-  
 hibuit, Apostolica hodierni Pontificis  
 mandata contempnit, pluraque alia  
 scelera in actis judicii fusius compro-  
 bata perpetravit, omnibus beneficiis  
 privatus, atque integro decennio  
 captus in arce S. Angeli criminum  
 suorum pœnitentiam agat, & toto illo  
 tempore soli Pontifici reservato ana-  
 themati subjectus, voce activa & pa-  
 siva in S. Comitiis careat, ac tandem  
 centies mille aureos Neapolitanæ mo-  
 netæ pendat, in pauperes Hungarici  
 Regni paræcias distribuendos, Simo-  
 niace autem accepta & viginti quin-  
 que illa scutorum millia a Negronio  
 Thesaurario extorta, pistoribus & Sa-  
 ponariis, necnon Pontificio ærario  
 ablata unacum expensis restituat.,.

Sæc. XVII. Hujus sententiæ executio demandata  
A.C. 1731. est Cardinali Banchierio, qui eadem  
adhuc nocte Cosciam currui suo impos-  
sum ad arcem S. Angeli conduci cu-  
ravit. Excipitur quidem Coscia per-  
honorifice a Duce Palombara arcis Præ-  
fecto, & quamprimum cubiculum sibi  
assignatum ingressus fuerat, exclamavit:  
*Hic est requies mea!* altera tamen die  
in mensa hæc S. Augustini verba ab  
ignota manu scripta legebantur: *Non*  
*est requies, ubi quæritis eam: quærite quod*  
*quæritis, sed ibi non est, ubi quæritis.*  
Porro inter tot calamitates nil magis  
acerbo dolore afflictum Cosciæ animum  
lancinabat, quam quod a fidelium  
communione per majorem, ut vocant,  
excommunicationem absclusus esset, a  
qua tamen censura ad potentissimas  
Imperatoris preces a Papa liberatus,  
ut a reparandis damnis initium pœni-  
tentiæ ficeret, Firrau Cardinalis hor-  
tatu, viginti aureorum millia persolvit.  
Denique præfati Cardinales in eadem  
Congregatione caussam discusserunt il-  
lorum, qui pariter nefariis artibus de-  
glutiverant pecuniarum thesauros, quos  
foeda auri siti concupiverant. Ex his  
ergo alii pecunia multati, alii in vin-  
cula conjecti, alii exilii & tritemium  
suppicio puniti, non pauci dignitate  
privati, ac denique omnes pro culpæ  
merito

merito castigati sunt, exceptis iis, quos exagitante facinorum conscientia, fuga suppicio eripuit.

Sæc. XVIII.  
A.C. 1731.

### §. XLV.

#### *Controversia Pontificis cum Sardiniae Rege resuscitata.*

Diuturna non minus ac permolesta, ut supra meminimus, inter Benedictum XIII. & Victorem Amadeum Sardiniae Regem controversia agitatur, quæ tamen beneficiorum nominatione Regi adjudicata, & immunitate Ecclesiastica certis limitibus circumscripta anno hujus saeculi vigesimo sexto composita fuit. Nec firma tamen erat haec concordia; postquam enim Clemens XII. Pontificium solium concenderat, per Praedecessoris sui indulgentiam ingens Sedi Apostolicæ damnum fuisse illatum ratus, pacta conventa dissolvere statuit. Hunc in finem die octava Januarii solemnem convocavit Purpuratorum Conventum, in quo oratione habita exponebat, se intimo animi mærore saepius perpendisse, quam ingens jurium suorum detrimentum Sedes Apostolica per immodicas concessiones Sardis factas esset perpetua; inde etiam Episcoporum auctoritatem fuisse imminutam, turbatam

*Vide supra*  
lib. 223.  
§. 59.  
pag. 385.

Ec-

Sæc. XVII. Ecclesiæ jurisdictionem, ac perniciosa  
A. C. 1731. prorsus exempla perperam invecta:  
 His autem malis, totque incommodis  
 efficacius opponi haud posse remedium,  
 quam si id, quod inconsulto factum, vel  
 maturiori examini subjiceretur, vel  
 omnino rescinderetur, simul tamen Sar-  
 diniæ Regi dextera fidesque daretar,  
 Sedem Apostolicam nullum studii aut  
 officii genus, quod in ipsius rem fore  
 videretur, ullo esse pacto prætermis-  
 ratum. Absoluta hac oratione Cardina-  
 lium sententiam rogabat, horum ta-  
 men quidam suum ferre suffragium  
 omnino recusabant, alii vero unacum  
 Cardinale Bichio rem amica transactio-  
 ne esse dirimendam censebant: denique  
 alii, atque inter eos præcipue Cardi-  
 nalis Barberinus Sedis Apostolicæ jura  
 pro viribus esse revindicanda edixere:  
 Concurrentibus demum triginta duo-  
 bus Purpuratis conclusum, pacta sub  
 Benedicto XIII. inita penitus irritanda  
 esse. Eapropter, ut omnia cum debi-  
 tis solemnitatibus agerentur, & sincera  
 firmam pacem stabiendi voluntas lu-  
 culentius Regi patesceret, Pontifex Pe-  
 trum Guilielmum Præfulem Romanæ  
 Curiæ ad Carolum Emanuelem neo-  
 electum Sardiniæ Regem ablegavit, ut  
 consilii sui rationem coram eo expone-  
 ret, & de æquioribus firmandæ con-  
 cordiæ

cordiæ mediis ageret: Attamen res longe aliter cessit; quippe Rex auditio Romanæ Curiæ proposito vehementer admiratus est, quod Pontifex Prædecessoris sui Bullam irritaret, & pacta semel inita tam facile everteret, hinc Guiliel-  
mum ad Regni fines delatum ultra progredi vetuit, eodemque tempore Comitem de Gros suum in Urbe Oratorem statim Roma ad Regnum revocavit. Hoc comperto Clemens novæ pacificationis spe frustratus, totius rei successum in publico Patrum Senatu exposuit, & quid ipsi in gravissimo hoc negotio sentirent, exploravit: Suam quisque sententiam scriptotenus dedit; omnium ferme communis opinio eo abibat, inita cum Sardiniae Rege pacta circa Ecclesiasticam immunitatem servanda non esse; ea enim solitis destituta solemnitatibus, & mere a privatis quibusdam pro arbitrio, aut a Pontifice Benedicto, vel inscio vel male docto fuisse fabricata; credibile enim non esse, ut Benedictus, quo nullus aliis majori defendendorum Ecclesiarum studio flagrasset, re probe discussa in maximum Sedis Apostolicæ lamnum consensurus fuisset; omnino gitur necesse esse, ut hæ pactiones nova concessione Apostolica ad æquitatis trutinam revocarentur. Horum sen-

Sæc.XVIII.  
A.C. 1731.

Sæc. XVIII. sententia expugnatus Pontifex, habita  
A. C. 1731. rursus ad Senatum concione quantum-  
vis res ad non leve dissidium spectare  
videretur, abolevit & irritum de-  
claravit, quicquid contra Immunitatem  
Ecclesiasticam transactum fuisset in  
tribus illis conventionibus, quarum  
duas de rebus ad eandem immunita-  
tem spectantibus Finius Archiepisco-  
pus Damascenus die 24. Martii Anno  
1727. suo sigillo firmasset, tertiam vero,  
qua Pontifici vacantium Ecclesiarum  
fructus percipiendi & colligendi spolii  
jus adimebatur. Cardinalis Lercarius  
subscripsisset, ac demum singulas Mar-  
chio Ferrerius de Ormea Sardiniae Re-  
gis Orator die 21. Febr. 1728. signasset.  
Quantum vero ad pactiones circa res  
beneficiales Clemens die 6. Augusti de-  
claravit, *sue quidem intentionis non esse*,  
*ut hujus transactionis executio retardare-*  
*tur, velle tamen, ut ejusmodi nominatio-*  
*nes ex diplomate Nicolai V. P. factæ aut*  
*faciendæ non aliter admitterentur, quam*  
*absque Patronatus jure, & sine aliarum*  
*Pensionum reservatione, quam quæ a San-*  
*ctitate sua, suisque Successoribus fuerint*  
*impositæ. Illud & tum in consultatio-*  
*nem venit, an concedendum Regi, ut*  
*crearentur Vicarii Generales, qui iis*  
*præfessent sui Imperii Regionibus, qua-*  
*rum Episcopi in Civitatibus alienæ*  
*ditione*

ditioni subjectis sedem haberent. Hoc Sæc. XVIII.  
 in dubio magna utrinque contentio, A. C. 1731.  
eo quod Clemens Papa de Episcoporum  
 auctoritate nihil omnino minui, con-  
 stanter vellet, alii e contrario cense-  
 bant, horum auctoritati a Benedicto  
 Papa haud parum ex eo consultum  
 fuisse, quod Vicarii, quos eligere pe-  
 nes Episcopos esset, ab his quoque tam  
 arte penderent, ut hi nihil, quod gra-  
 vioris foret momenti, ipsis non con-  
 sultis aut non approbantibus agere  
 possent. Attamen tum hac in re nihil  
 decidi potuit, unde rem in aliud tem-  
 pus differre placuit, interea vero Pon-  
 tifex se, ut Regi plene satisfaceret, pro-  
 pensissimum ostendit.

Porro gravissimum adhuc supererat  
 negotium, de quo sub Benedicto XIII.  
 nihil serio agitatum fuerat, sancitum-  
 que: nempe de feudis & supremo S. Se-  
 dis dominio in Abbatiam S. Benigni, &  
 in oppida Cortantiæ, Cortantionis,  
 Montasiæ & Cisternæ. Hæc oppida  
 Victor Amadeus Sardiniæ Rex Sabau-  
 diæ Ducibus a Carolo V. Imperatore  
 Feudi nomine concessa fuisse conten-  
 debat: E contrario autem Pontifices  
 sibi titulo donationis Constantini Ma-  
 gni a Pipino & Carolo Magno confir-  
 matæ, in illa jus supremi Dominii tan-  
 quam Sedis Apostolicæ feuda com-  
 petere

Sæc. XVIII petere afferebant, seque pacifica ali-  
A. C. 1731. quot sacerdorum possessione tuebantur:  
Inde sub Clemente XI. lis exorta est,  
quæ ab anno hujus sæculi secundo a  
Sabaudiæ Ministris vario rerum moli-  
mine protracta, & a Clemente XII.  
continuata fuit; Hic etiam ineunte  
hoc anno illis Nobilibus, qui hæc op-  
pida clientelari nomine possidebant,  
sub anathematis poena inhibuit, ne  
Regiis Ministris juramentum fidelitatis  
exsolverent, nec Sabaudi illud ab eis  
exigerent: Cum autem Carolus Ema-  
nuel Rex clientelares Sedis Apostolicæ  
subditos ad sibi præstandum fidei Sacra-  
mentum die tertia Februarii Casalin  
convocaret, quidam Præful a Papa  
deputatus solemnis protestationis di-  
ploma Cortantiæ palam affixit, cuncta-  
que hucusque attentata ceu irrita &  
nulla declaravit. Nec tamen inde ter-  
riti Regis Ministri, subditos, ut fidem  
suam Regi tanquam supremo Domino  
obstringerent, vi compulere, ipse e-  
tiam Rex Archiepiscopis atque Episco-  
pis, qui in ejus ditione erant, inhibuit,  
ne sine expressa Regis venia quispiam  
Sacris Ordinibus initiaretur: Vicissim  
Pontifex Bullam, ut vocant, *Cruciatae*  
innovare renuit, quamvis per illam  
olim Hispaniæ Regibus facultas a  
Pontificibus fuisset concessa ex Eccle-  
siasti-

siaisticorum bonis quosdam colligendi  
fructus, qui ad ferendas belli expensas  
contra Infideles, & ad liberandos Chri-  
stianos diræ servituti mancipatos im-  
penderentur: Ceterum hæc dissidia  
summopere afflixerant Clementis XII.  
animum, eo potissimum nomine, quod  
multo acerbiores inde orirentur discor-  
diæ, quibus tamen severitatem oppo-  
nere haud consultum foret, eorum  
interim, quæ ad placandum Regis ani-  
mum conducerent, nihil omnino pro  
paterna sua sollicitudine prætermisit.  
Hos quoque, qui Apostolicis mandatis  
obtemperantes Romam configerant,  
perbenigne excepit, & prolixa non  
minus quam erudita dissertatione sacræ  
Sedis dominium in hæc oppida far-  
tum servare nitebatur, cunctaque a  
Laicali potestate illata præjudicia pro  
infectis irritisque habenda esse decla-  
ravit: Nec omnino piis ejus conatibus  
defuit optatus successus; Clemens e-  
nim Regem, cetera S. Sedis Cultorem  
eximum, adeo feliciter flexerat, ut  
Hic ad ineunda pacis consilia novum  
Oratorem Romam allegaret. Comi-  
tem de Riviera, Virum cognita pru-  
dentia, & spectata Nobilitate gravem,  
qui cum Papæ Administris hujus  
controversiæ merita ultro citroque ma-  
ture discussit, ac institutis plurium Car-  
Hist. Eccles. Tom. LXXIII.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1731.

Uu di-

**Spec. XVIII.** dinalium & Caussidicorum consellibus  
**A. C. 1731.** rem tam dextere promovit, ut certa  
 spes esset, propositam ineundæ pacis  
 rationem cum utriusque partis satis-  
 factione propemodum absolutum iri.  
 Attamen prosperi adeo successus spem  
 nimis matura Pontificis mors interci-  
 dit, hac gloria ejus Successori Bene-  
 dicto XIV. reservata.

### §. XLVI.

#### *Clementis Papæ sollicitudo in sedan- dis Corforum tumultibus.*

Jam anno priori Corsica Mediterranei  
 maris Insula non minus gravi quam  
 periculoſa feditioне exarferat: Ipsius  
 incolæ Genuenium imperio per plura  
 fæcula parebant: nuperæ vero defectio-  
 nis obtentus erant tributa nova, im-  
 modicæ vestigialium exactioпes, au-  
 ctum salis pretium, & quod certius  
 est, alieni imperii invidia, & propriæ  
 libertatis studium. His incitamentis  
 accessit Pinelli Gubernatoris avaritia;  
 cum enim hic primum anno superiore  
 Corsis ad coemendum frumentum pe-  
 cunias suppeditasset, & anno nondum  
 evoluto illas asperius reposceret, cives  
 que suis armis exueret, Corsi, cum  
 alioquin cum veteri suo jugo ægris  
 animis luctarentur, proprio veluti im-  
 pulsu

pulsu adversus Genuenses Dominos suos  
 insurgunt, ac præprimis ad vigesies  
 mille congregati, ductore Fabio Pam-  
 philiano, Bastiam, Urbem Insulæ Prin-  
 cipem, fusis in belli tormenta campa-  
 nis expugnant, ipso Gubernatore ad  
 arcem confugere compulso, & circum-  
 vicinis pagis deprædatione exhaustis:  
 Enimvero Genuenses nil intentatum  
 relinquunt, ut efferatos proposita cle-  
 mentia mitigarent: ast ubi profundius  
 semel ægritudo descendit in populares  
 animos jam antehac injuriis fauciatos,  
 difficile mentes pertinaciter invitas  
 verba mollia, & ampla promissa sanant.  
 Itaque Corsi obfirmatis in libertatem  
 pectoribus suæ seditioni strenue insi-  
 stunt, & transmisso ad Rempublicam  
 scripto non aliter reconciliationis spem  
 faciunt, nisi I. pristina eis libertas red-  
 deretur II. exactiones ab Anno 1715.  
 ultra modum extortæ abrogarentur.  
 III. Ditio, quæ Liamonio & Tavigiano  
 flaviis interiacet, supremo eorum do-  
 minio cederetur. IV. Prætores illi,  
 a quibus durius fuissent habiti, eorum  
 arbitrio relinquerentur, & V. omnia  
 Insulæ propugnacula abductis inde  
 præsidiis solo æquarentur. Minus  
 æquæ Genuensibus videbantur hæ con-  
 ditiones, unde seditiosam plebem capto  
 aut interempto eorum Ductore, facile

Sæc. XVIII.  
 A. C. 1731.

Sæc. XVIII. ad obsequium reduci posse, rati, bis  
A. C. 1731. mille aureorum pretium ei constituant,  
 qui Fabium vel vivum vel mortuum  
 sisteret: interimitur quidem Fabius  
 perfida sui Soceri manu, ejusque ca-  
 daver in quatuor partes dissectum Ba-  
 stiæ exponitur, adeo tamen seditionis  
 flamma non reficit, ut etiam vindictæ  
 stimulis magis magisque inflata totam  
 Rempublicam ruinis involvere videre-  
 tur: quippe occisi Ducis Filia Patris  
 mortem ultura masculas vestes induit,  
 & seditiosos imperterrita in aciem e-  
 ducit, ac Imperii militaris curas cum  
 Philiberto Evaristo Eccateno, & postea  
 cum famoso Giafferio partitur. Inte-  
 rim Genuenses lenitatis viam tentare  
 aggrediuntur, hancque in rem Hiero-  
 nymum Venerosum factiosis percha-  
 rum allegant, qui tamen re infesta  
 in patriam reversus est, nec majore se-  
 licitate Camillus Doria & postea Ca-  
 rolus de Fornari, & demum Hierony-  
 mus Baptista Grimaldus reconciliatio-  
 nis negotium pertractabant, nil am-  
 plius obtinentes, quam trimestres ar-  
 morum inducias, quarum tamen bene-  
 ficio seditiosi triginta omnino suorum  
 millia ad sua signa vocabant, & ha-  
 bitis inter se comitiis Oratorem Ro-  
 manum alegabant, qui omnium nomine  
 supremum in Corsicam Dominium sed  
 Apostol

Apostolicæ ac summo Pontifici Ecclesiæ Capiti deferret, & clientelare obsequium eidem exsolveret: Verum Clemens imperium suum seditionis ope dilatare tantopere abhorruit, ut ob insolens hoc petitum Oratorem acriter reprehenderet: Nullum tamen non movit lapidem, ut Corsos a fide deficientes pactis utrinque honestis conditionibus ad obsequium revocaret: Eo fine cum Renato Imperiali, qui Romæ negotia Reipublicæ Genuensis procurabat, crebras consultationes habuit, ac mediatoris partes Genuenium Duci obtulit. Nec ingrata Reipublicæ videbantur hæc Pontificis obsequia; paulopost enim Genuenses Abbatem Orticonium Romanam decernebant, qui Papam, ut pacis arbiter esset, perdemisse rogaret: Idem quoque negotium demandabant Patri Gritto, qui varias placandæ Corsicæ gentis conditiones proponebat. His mature discussis Pontifex ad Genuensem Archiepiscopum literas Apostolicas transmisit, in quibus plura proposuit, queis optata in Republica pax & concordia firmari posset: Attamen Genuensis Respublica hasce Papæ literas non sine contemptu remisit, ejusque deprecationem rejicit. Nil ergo Reipublicæ reliquum erat, quam ut Corsos, quos ad obsequium trans-

Uu 3 actio-

Sæc. XVIII.  
A.C. 1731.

Sæc. XVIII. actionis via revocari detrectabat, ar-  
 A.C. 1731. mata vi subigeret; propriæ tamen de-  
 erant vires; Genuenses enim ægre qua-  
 tuor armatorum millia contrahere pot-  
 erant, invalidus plane manipulus con-  
 tra illos, quibus suorum multitudo con-  
 fidentiam, & necessitas ac desperatio  
 robur viresque indidit; validiores ergo  
 suppetiæ ab exteris erant exquirendæ,  
 quas sibi tamen ab Hispanis polliceri  
 haud poterant, eoquod Corsi suppli-  
 ces horum favorem & patrocinium sibi  
 conciliare, totis viribus niterentur:  
 Recurrunt igitur ad Imperatorem, a  
 quo etiam Ductore Wachtendonckio  
 sex Equitum peditumque millia impe-  
 trarunt, Reipublicæ stipendiis alenda.  
 Attamen nec hæc sufficiebant; quam-  
 vis enim Cæfarei Bastia recuperata Cor-  
 os non una clade afficerent, hi tamen  
 jam suorum numero, jam prompta ad  
 montes fuga omnem hostilem operam  
 ludebant, nec movebantur, etsi oppida  
 sua conflagrare cernerent.

## §. XLVII.

*Diffidium cum Lucensibus a Papa  
sublatum.*

A tempore memoriam hominum ex-  
 cedente Lucensis Respublica inter  
 præclariora libertatis suæ decora nu-  
 merat

merat prærogativam, qua sui Archi-  
episcopatus gerendi potestatem nemini ex finitimis Provinciis faciat, aut facere teneatur: Prætenso huic juri hucusque Lucenses mordicus institere, quocirca evenit, ut cum Bened. XIII. Archiepiscopalis hujus Ecclesiæ curam contulisset Thomæ Cerviono ex Monte Alcino, quod est oppidum in Magni Etruriæ Ducis ditione situm, Respublica hunc acceptare constantissime recusaret, eique omnem ad se aditum intercluderet. Vicissim vero Pontifex Lucensis Reipublicæ Oratori accessum prohibuit: Fervebat adhuc controversia, dum Clemens Divi Petri Cathedram concenderat, qui tamen primis adhuc Regiminis sui diebus has contentiones penitus eliminare statuit, ac propterea auditis Lucensium rationibus Cervionum amovit, eumque Sacrario Pontificio præesse voluit: In ipsius vero locum subrogavit Fabium Colloredum Forojuliensem Congregationis Oratorii Presbyterum, qui omnium lætitia & gratulatione exceptus est.

### §. XLVIII.

*Injuria Polono Oratori illata Pontificis consilio reparata.*

Sæc. XVIII. Sub idem ferme tempus gravioris magisque periculosi tumultus ansam Romæ præbuit petulantia Apparitorum, quos Itali *Sbirros* vocant. Hi enim nescio qua de caussa Poloni Oratoris Famulum, qui ante Palatii fores excubare consueverat, in conspectu ipsius Legati captum abducunt, illum famulari veste in publica Urbis popina spoliant, captumque ad carceres novos raptant. Hanc injuriam sibimet ipsi illatam fuisse, inque Regis sui contemptum redundare reputabat Orator, hinc die tertia Junii tam Pontificis, quam Poloni Regis insignia ab ædibus suis avelli, suumque Palatum occludi jussit. In eo jam erat, ut insalutato Papa Urbe excederet: Ea res summopere afflixerat Clementem Pontificem pacis studiosissimum, qui etiam sine mora cum Hannibale Cardinale Albanio Polonici Regni Protectore de reparandæ hujus injuriæ modo agere cœpit, atque inter eos conventum, ut praefatus Cardinalis Oratorem accederet, eumque placare satageret, pollicitatione facta, famulum mox e custodia dimittendum, Apparitores vero in vincula conjectos demum ad triremes esse condemnandos: Horum suppicio non modo læso Oratoris honori satisfactum, sed etiam ejusdem benignitas usque adeo

adeo excitata, ut ipsos hujus injuriæ Sæc. XVIII.  
Auctores, dum jamjam Urbem vete- A.C. 1731.  
rem ad triremes abducerentur, Regis  
sui nomine a poena liberari peteret.

### §. XLIX.

#### *Aliæ contentiones feliciter compositæ.*

Jam anno hujus saeculi vigesimo septimo Benedictus XIII. nuper defunctus Pontifex Hispaniarum Regi per Apostolicas literas indulserat, ut Ecclesiasticorum beneficia in Hispania nullo pensionum onere gravari possent: Hoc ipsum vero indultum Clemens Papa irritum nullumque declaravit, & Alemanno, qui Apostolici Nuntii partes acturus in hoc Regnum contenderat, in mandatis dedit, ut Benedicti XIII. Breve publice revocaret: Id quidem displicuit Regi, qui tamen suam indignationem moderato silentio temperavit: Gravior autem, & praeter omnem exspectationem enata lis Pontificis tranquillitatem turbabat: Acciderat enim, ut duo juvenes cum quodam milite Neapolitano natione Germano alterarentur, illumque haud procul ab Urbe Beneventana trucidarent. His peracto scelere ad Civitatem contendunt, & ad securitatis locum convolant: Re comperta Comes de Harrach Ne-

Sæc. XVIII. polis Pro - Rex hos sicarios sibi tradi  
A. C. 1731. postulat: Archiepiscopus autem Bene-  
ventanus immunitatem Ecclesiasticam,  
& proprii fori jus obstatre caussatus,  
reos e Templo abduci inhibuit: Hac  
repulsa graviter offensus Pro - Rex in  
mandatis dedit, ut Pontificius Nun-  
tius, ejus Auditor & ceteri Pontificis  
subditi nulla mora Neapolitana Urbe  
excederent, & obfessis omniibus acces-  
sibus commercii, & annonam adve-  
hendi copia interciperetur: Nec his  
contentus, omnium bonorum redditus,  
quos ex Neapolitano Regno Beneven-  
tani perciperent, sequestri nomine re-  
tineri & quadraginta duos Beneven-  
tanæ Urbis incolas, qui fuga elabi-  
tentabant, in carceres detrudi præce-  
pit. His tamen turbis superior erat  
prudens Pontificis mansuetudo, quæ  
discordes hominum mentes a dissidiis  
in unum conducere, jamjam solita  
erat. Transmissis igitur ad Pro - Regem  
literis, si quid hac in re peccatum,  
reparationem pollicetur, præcipitque,  
ut ambo hi Sicarii promeritas luerent  
poenas: hac ratione mox die vigesima  
octava Maij in Neapolitano Senatu de-  
claratum, has controversias peni-  
tus esse sublatas, cunctaque in pristi-  
num statum revocanda. Porro inter  
tot molestias haud parum recreabat

Pon-

Pontificis animum Christianus Ulricus ex Domo Wirtenbergica Dux Oelsensis, qui in Silesia religionem Catholicam amplexatus atque hoc anno in Italiā profectus, a Magno Florentiæ Duce cum ingenti honorum testificatione exceptus est.

Sæc.XVIII.  
A.C. 1731.

### §. L.

#### *Conscientiæ libertas Kauffburi ab Acaholicis læsa.*

Eodem tempore, quo Protestantes in caussa Salisburgensium rusticorum pacem Westphalicam, & conscientiæ libertatem graviter fuisse violatam, altum inclamabant, Kauffurenenses Acaholici præcipuas ejusdem pacis leges palam transgressi sunt. Res ita contigit: Michael Wagenseil præfatæ Urbis Apparitor & Mensor frumentarius de Religionis suæ falsitate convictus, in Catholicæ fidei præceptis exactius institui voluit. Eo fine frequentius Sacerdotes Catholicos adiit, atque ab iis probe instructus, ejuratis Lutheri sacris sese cum vera Ecclesia conjunxit. Ea res suboluit Magistratui Acaholico, qui inscio ac inconsulto Senatu Catholicæ neo-conversum carceri mancipavit, & propria auctoritate suo officio abegit. Nec his contentus, Michaelis

Sæc. XVIII. chaelis quoque Filium nonnisi unde-  
A. C. 1731. cim annos natum Patri violenter eri-  
puit, extra urbem ad Lutheranos  
raptavit, ac Patris ædibus vi effractis  
vestes inde abstulit. Tam indignum  
facinus inquissimo animo ferebat Ma-  
gistratus Catholicus, qui officii sui jura,  
pacem Westphalicam, conscientiæ li-  
bertatem & specialiter Kauffburanum  
executionis recessum tam manifesto  
plagii criminè, & injusta Patris oppres-  
sione enormiter violari querebatur:  
Facti indignitatem excusare molieban-  
tur Acatholici, caussantes, incerto  
duntaxat rumore constare, Michaelem  
Religioni Catholicæ manus dedisse.  
Ast Catholicī opponebant, testibus com-  
probati, quod hic idem re ipsa sectam  
ejurarit, aliunde vero iniquissimum  
fore, ob levem suspicionem ac rumo-  
rem Virum cetera innoxium sua liber-  
tate, officiis, patria in Filium potestate  
exuere, totque aliis injuriis afficere.  
Tanta inde enata est ultro citroque  
animorum exulceratio, tamque per-  
iculosa utrinque dissidia, ut nil propius  
esse videretur, quam mutua cædes: Au-  
gebantur rixæ ferme quotidianæ, cla-  
mores diffoni, mentes aversæ, litigio-  
rumque minacium acerbitate tantum  
non bellum denique intestinum, præ-  
posteri Religionis Zeli pessimum ex-  
cre-

crementum. Inter hæc tamen Catho- Sæc. XVIII.  
lici totam rei seriem Imperatori fideliter A.C. 1731.  
exponunt, hancque cauffam per Cæsa- \_\_\_\_\_  
reos, ut vocant, Commissarios diju-  
dicari efflagitant: Horum precibus in-  
clinatus Imperator, hoc negotium Vi-  
ris prudentia & probitate inclytis de-  
mandat, qui etiam Kauffburum dela-  
ti rem aggrediuntur. Audiuntur par-  
tes, factaque rei discussione deprehen-  
ditur, quod Acatholicus Magistratus  
suæ potestatis limites exceperit, dum  
neglecto Catholici Senatus concursu in  
Patrem & Filium tam acerba decre-  
visset. Pertinacius tamen negabant  
Acatholici, Michaelem vel unquam a  
Lutheri Religione receisisse; Catholicis  
e contrario id ad oculum demonstran-  
tibus nil firmum fixumque decerni po-  
tuit: quapropter Commissarii, qui tum  
ob alia Urbis dissidia Kauffburi mora-  
bantur, utriusque partis rationes ex-  
acte descriptas ad Cæsareo-Aulicum  
Consilium referebant. His rite pen-  
fatis Imperator die quinta Novembris  
rescripsit, quod, cum inter Catholi-  
cum & Acatholicum Magistratum di-  
scors esset opinio, an præfatus Menor  
re ipsa Religionem suam immutarit,  
tota autem caußæ decisio in hoc  
unico cardine versaretur, nihil magis  
**Cæsareae** Majestati necessarium fore  
videa,

Sæc. XVIII. videatur, quam hujus facti certitudo,  
A. C. 1731. eapropter Commissarii ex ipso Michaelē  
 auctoritate Cæfarea explorarent, an  
 hic re ipsa Catholicam Religionem am-  
 pleti, & publice fidei professione suum  
 propositum exequi, firmiter constitu-  
 tum haberet: facta autem ejus decla-  
 ratio ad Imperatorem referatur, ut de-  
 mum hac in re, quod æquum & justum  
 foret, decerni posset: Ad hæc ergo  
 Cæfaris iussa Commissarii illico deman-  
 dato examini initium faciunt, Michae-  
 lem e carcere produci jubent, illum-  
 que interrogant, an firmum profitendæ  
 Religionis Catholicæ propositum etiam-  
 num foveat. Ad hoc respondit ille,  
 se corde & ore errores Lutheri dete-  
 stari, in fide Catholica vivere, eam-  
 que publice profiteri paratissimum esse.  
 Interea vero Magistratus Acatholicus  
 non expectata hac declaratione alium  
 Menforem & Apparitorem Augustanæ  
 Confessioni addictum elegit, & Michae-  
 lem suo officio, atque emolumenio  
 inde provenientibus perpetuo exutum  
 declaravit. Hac re comperta Impera-  
 tor Acatholicum Magistratum acriter  
 reprehendit, quod cum nondum de-  
 mutata Michaelis Religione legitima  
 haberetur certitudo, ipse tamen Magi-  
 stratus insolita temeritate, & arrogata  
 sibi auctoritate præfatum Michaelem  
 in

in carcerem conjicere, eum suo officio  
privare, & alium in ejus locum eli-  
gere præsumpsisset. Eapropter Impera-  
tor novam illius electionem ceu irritam  
nullamque declaravit, præcepitque,  
ut præfatus Michael confessim liber-  
tati, & suo officio reddatur, omniq[ue]  
illius emolumento frui permittatur,  
donec ipse coram Commissariis decla-  
raverit, se vel Religionem Catholicam  
reipsa profiteri, vel in sua secta per-  
sistere: Denique Cæsar utrumque Ma-  
gistratum denuo hortabatur, ut interim  
mutuam inter se concordiam soverent,  
& a turbis, jurgiis & violentiis absti-  
nerent, secus Cæsaream indignatio-  
nem, & severissimas poenas incursum.  
His minis territus Magistratus Acatho-  
licus captum Michaelem e carcere di-  
misit, & per suum Procuratorem Vien-  
næ declaravit, Eundem quidem Ca-  
tholicam Religionem publice profes-  
sum, ac propterea in libertatem affer-  
tum fuisse, deesse tamen literas factæ  
professionis testes, de cetero autem  
Magistratum supplicare, ut hac in re  
nihil contra anni decretorii statum de-  
cerneretur: Habita hujus rei notitia  
die septima Novembris Imperator Com-  
missariis præcepit, ut præfatum testi-  
monium transmitterent, quo facto die  
vigesima octava ejusdem Mensis Im-  
pera-

Sæc. XVIII.  
A. C. 1731.

Sæc. XVIII. perator hanc caussam sequenti decreto  
 A. C. 1731. diremit: „Cum de Michaelis reditu  
 „ad fidem Catholicam publica illius  
 „professione certo constet, declarat  
 „Cæsarea sua Majestas, ea omnia  
 „prorsus nulla & irrita esse, quæ Aca-  
 „tholicus Magistratus tam Wagensei-  
 „lium in vincula compingendo, illum-  
 „que suis officiis amovendo, quam  
 „novum propria & privativa auctori-  
 „tate eligendo attentasset, nunc vero  
 „Cæsaream suam Majestatem utriusque  
 „Magistratui præcipere, ut observatis  
 „pacis Westphalicæ decretis, & Kauff-  
 „burano executionis recessu, & aliis  
 „apud Augustanæ Confessionis Secta-  
 „rios ab eo tempore usitatis, necnon  
 „servatis nuperrimis mandatis Cæsa-  
 „reis nulla mora alium Apparitorem  
 „ac Menforem eligant, Wagenseilio  
 „autem illas omnes pecunias & emo-  
 „lumenta, quæ usque ad diem factæ  
 „professionis percepisset, restituant:  
 „denique Magistratui Acatholico se-  
 „vere inhibitum fit, ne præfatum Wa-  
 „genseilium in patriæ suæ potestatis  
 „usu in Filium suum non modo  
 „impedit, sed illum quantocius Patri  
 „suo reddat: Vicissim vero nec Magi-  
 „stratus Catholicus, nec Pater huic  
 „Filio vim conscientiæ inferat, sed in  
 „plena, quamcunque vellet, fidem  
 am-

„ amplectendi libertate relinquat, nec Sæc. XVIII.  
 „ illum extra Urbem aliorum trans- A.C. 1731  
 „ ferre præsumat. „

Ceterum hæc, qui legerit, absdubio mirabitur, apud Protestantes nil frequentius solemniusque esse, quam Catholicos insimulare, perinde acsi charitatis & tolerantiae Christianæ immemores conscientiis vim inferant, illos, qui diversam a sua Religione profitentur, vexent, & variis molestiis vel ad suam pertrahant, vel diversis actibus ab aliena abstrahere, suæque sectæ exercitium libertatemque imminuere adlaborent: Ejusmodi querelas, seu ut vocant, Religionis gravamina Protestantes studiose magno numero accumulant, exaggerant, omniumque Principum Aulas ejusmodi lamentis complent. Commandant quidem, & ubique inculcant, atque exigunt tolerantiam; illam tamen nec exercent, nec exerceri volunt nisi erga suos. Catholicos tolerare nolunt, a Catholicis vero ubique tolerari prætendunt: sibi foliis conscientiæ libertatem concedi postulant, aliis illam velut rem illicitam denegant. Væ illis, qui inter Protestantes ad Catholicorum castra transeunt. Quæ alia eos relinquunt portio, nisi carceris, vel exiliis poena, & si adhuc mitius habent.

Sæc. XVIII. tur, bonorum spoliatio, hæreditatis  
A. C. 1731. jactura, Parentum contemptus, ludibri-  
brium, paupertas, & miseria: Inhu-  
manæ hujus fortis exempla quamplu-  
rima nobis exhibit turbida illa duo  
sæcula, in quibus sanæ rationi, &  
Christianæ mansuetudini prævaluit re-  
centis sectæ firmandæ fanaticismus, &  
inde exortus furor insanus, ubi omnia  
confusionibus plena, ubi quælibet secta  
eo firmius sanctiusque sua dogmata  
stabilissime autumabat, quo validius al-  
terius potentiam, auctoritatemque con-  
culcatis etiam divinis, humanisque  
legibus depresso. Ea tum erat re-  
rum conditio nunquam satis deploran-  
da: Quis autem sine humanæ naturæ  
horrore percipere potest, nostro adhuc  
ævo, ubi potentissimorum Principum  
exemplo, opere & decretis Tolerantia  
invaluit, reperiri homines, qui Catho-  
licorum cruento feso inebriare certant,  
non alia ex caussa, nisi quia hi Ca-  
tholici sunt? Recens adhuc memoria  
viget funestæ illius scenæ, quam Re-  
ligionis Catholicæ odium, & fanaticus  
Lutheranæ Zelus primum Anno 1781.  
Verthemi aperuit, ubi tot Catholicæ  
prorsus innoxii ac inermes nullo con-  
ditionis, sexus & ætatis discrimine non  
modo in ipso Religionis suæ exercitio  
turbati, sed quamplurimi mortiferis  
plagis

plagis (\*) affecti, alii haud leviter sauci, & una omnes fustibus & hastis qua-  
quaversum dispersi fuere. Hoc facinus. utpote Christianæ Charitati, &  
commendatæ tolerantiae tantopere ad-  
versum ipsimet moderatores Protestan-  
tes detestantur, ejusque memoriam  
æterna oblivione sepeliri desiderant,  
& tamen, quis credat, tertio post anno  
Gottinganus quidam Professor Sch. (\*\*)  
publicus typis inhumanam hanc rabiem  
ceu fortitudinis exemplum cedro di-  
gnum extollere ac veluti ad aliorum  
imitationem, & institutionem univer-  
salibus Germaniæ Annalibus inferen-  
dum commendare præsumpsit. Per-  
cipiamus, si tamen sine horrore legi  
possunt, ejus verba, diese Standhaftig-  
keit einer deutschen werthheimischer Burges-  
schaft, wovon man sonst nur Beispiele aus  
dem Mittelalter, vor der Erfindung des  
Xx 2 Puls

(\*) In literis, quæ hanc lanienam descri-  
pserant, legebatur: *propriis Comitum mani-  
bus quinque ex Catholicis fuisse interfertos: in  
hujus Scriptoris fidem idem quoque insertum  
habetur Historiæ nostræ Tom. 68 lib. 215.  
pag. 53.* sedato autem primi furoris æstu com-  
pertum est, quinque hosce Catholicos lethali-  
liter quidem fuisse vulneratos, non tamen  
interfectos.

(\*\*) Briefwechsel Heft 53. pag. 279.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1731.

Sæc. XVIII. Pulvers hat, aber eine Standhaftigkeit  
A. C. 1731. ohne Frechheit, ohne Verlehung der Pflichten gegen den Landesherrn, eine Standhaftigkeit mit dem Anstand und der Würde, die unser Jahrhundert vor dem stürmischen Mittelalter aufzeichnet, verdient in die als gemeine Jahrbücher von Deutschland zur daurenden Ehre der Stadt Wertheim (nicht aber ihrer Baschas) eingetragen zu werden.  
 Hæc scribere, hæc sentire ausit cultioris genii homo, Vir ille, qui tolerantiam ceu laborum suorum unicum scopum, ac virtutem sibi prædilectam identidem crepat, Principes & cives in Catholicos armare & concitare præsumat, & quidem illo tempore & anno, quo Principes tanto conatu, tam amplio favore tolerantiam commendare & urgere satagunt. Ergone tolerantia nil aliud est, quam Sacra Catholicorum profanandi, Templa vastandi, Catholicos vexandi, vulnerandi, opprimendi, delendi plena potestas aureo lapillo in publicis totius Germaniae annalibus signanda?

## §. LI.

*Jacobi Boncompagni Cardinalis obitus.*

Hoc anno Sacrum Purpuratorum Collegium unius duntaxat mortem luxe-

luxerat. Erat is Jacobus Boncom-  
 pagnus patria Bononiensis, Gregorii Sæc.XVII.  
 XIII. Pontificis Abnepos: Primam lu- A.C. 1731.  
 cem aspexerat die 19. Martii Anno 1653.  
 in Insula & Civitate Sora, quam jure  
 feudi prænobilis ejus Familia possidet.  
 Hic exactis in patria mansuetioribus  
 literarum præceptis, cum jam a tene-  
 ris animum ad Ordinem sacrum adje-  
 cisset, a suo Patruo Cardinale Hiero-  
 nymo Romam evocatur, ac Meliten-  
 sium, cui juvenis adscriptus erat, re-  
 licto Instituto sub Innocentio XI. inter  
 Præsules Romanæ Curiæ adscribitur.  
 Haud diu tamen honores sine onere  
 tulerat; primo enim a præfato Ponti-  
 fice Urbevetanæ, & postea ab Ale-  
 xandro VIII. Firmanæ Urbis Guberna-  
 tor constituitur; utroque officio lauda-  
 biler expleto nuntium accepit de Fra-  
 tris sui Francisci Bononiensis Archi-  
 episcopi obitu: Vacanti huic Ecclesiæ  
 paucis post mensibus præficitur Jacobus,  
 Fratris sui non opum, sed virtutum  
 hæres dignissimus; quippe ad ipsius  
 æmulationem gregem suum sermone  
 & exemplo pavit, & severa Ecclesia-  
 sticæ vitæ disciplina prælucens Clerum  
 suum ad sequenda ejus vestigia strenue  
 incitavit. In pauperes non tam libe-  
 ralis quam prodigus erat, morum cor-  
 rectioni apprime intentus, affidue Diæ-

Sæc. XVIII. cœsin lustrabat, & ubi currum aut e-  
A. C. 1731. quos adhibere viarum asperitas pro-  
hibuit, pedes ibat. Decorem domus  
Dei promoturus, Gentilitium Sacellum  
in Metropolitana Ecclesia splendissime  
exornavit, & quatuor Sacellanis au-  
xit. Delectabatur quidem magnifico  
apparatu, ac vitæ cultu, non tamen  
magis splendido, quam nobilem ejus  
conditionem, statusque dignitatem de-  
cebat. Tot demum meritis clarus ab  
Innocentio XII. Purpuratorum cœtui  
admovetur, nec tamen purpuram sine  
æmulorum invidia gestabat; vitio e-  
näm invidiosis solemai per calumniam  
in vulgus sparsum est. Jacobum hanc di-  
gnitatem fuisse aucupatum singulari  
complacentia, qua ejus Frater Sorœ  
Dux magnificentum suum Palatium cui-  
dam Pontificis affini levissimo pretio  
vendidisset. Attamen Cardinalis non  
alieno beneficio, sed proprio merito-  
rum suffragio Purpuram obtinuisse,  
brevi ostendit; pluribus enim Patrum  
cœtibus aggregatus, præclara admo-  
dum singularis prudentiæ, eruditionis,  
atque integritatis specimina edidit,  
unde ab Innocentio XII. præ ceteris  
electus, ut tanquam Legatus a Latere  
Wilhelminam Amaliam Brunsvicen-  
sem Ducem Mutinæ salutaret, & Jo-  
sephi Cœfaris nuptias solemni preca-  
tione

tione sacraret, quam legationem Regio  
fere apparatu, ingentique pompa per-  
honorifice expleverat. Nec minori  
magnificentia Poloniæ Reginam, dum  
Bononiam pertransibat, excepit. Præ-  
terea in Vaticana Basilica anno hujus  
sæculi decimo quarto memoriae defuncti  
Pontificis Gregorii XIII. Gentilis sui  
tumulum prorsus magnificum extrui cu-  
ravit, propterea in gratitudinis signum  
amantissimis literis a Clemente XI.  
honoratus. Mortuo autem eodem hoc  
Pontifice Romam ad sacra contendit  
comitia, in quibus electo Innoc. XIII.  
& postea Benedicto XIII. Bononiam re-  
versus est, nec eo regnante ultra Ro-  
mam redit; maximo enim dolore affi-  
ciebatur, quod Sanctissimus hic Pon-  
tifex a suis Ministris tam indigne, tam-  
que turpiter deciperetur, ac propterea  
eundem Papam sacro Christi sepulcro,  
quod Turcarum potestati traditum esset,  
æquiparare solebat. Benedicto fatis  
functo interfuit comitiis, atque in ele-  
ctione Clementis XII. suum tulit suffra-  
gium: Porro Bononiam redux, ibidem  
apoplexia tahtus, die vigesima quarta  
Martii pie in Domino obdormivit, an-  
no ætatis septuagesimo nono nondum  
expleto. Sepultus est in gentilitio suo  
Sacello prope Patrui sui tumulum.

Sanc. XVIII.

A. C. 1731.

## §. LII.

*Quinque Cardinales a Clemente XII.  
Papa creati.*

Die vigesima quarta Septembris Clemens XII. Pontifex maximus secretum ut vocant, *Consistorium* habuit, in quo quinque Præsules meritis præstantissimos Romana decoravit Purpura. Horum primus erat Vincentius Bichius Archiepiscopus Laodicensis olim apud Portugalliae Regem Apostolicæ Sedis Nuntius, de cuius fatis jam saepius mentio ingesta est, & mox de ejus reconciliatione agetur. II. Josephus Firao Episcopus Aversanus patria Neapolitanus, Presbyter Cardinalis tit. S. Thomæ in Parione III. Sinibaldus ab Auria Archiepiscopus Beneventanus, S. R. E. Presbyter Cardinalis tit. S. Hieronymi Ilyricorum. IV. Johannes Antonius Guadagni Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, Clementis XII. ex Sorore Nepos, Episcopus Aretinus, ejusdemque Pontificis Vicarius Generalis Presbyter tit. S. Martini ad Montes. V. Antonius Xaverius Gentili Archiepiscopus Petrensis Presbyter Cardinalis tit. S. Stephani in Monte Cælio.

## §. LIII.

## §. LIII.

Sæc.XVIII,  
A.C. 1731.*Lusitaniae Rex cum Sede Apostolica  
in gratiam redditus.*

Fervebat adhucdum pristinum inter Papam & Joannem V. Lusitaniae Regem dissidium. Illius caussam jam supra retulimus, denegatam scilicet Purpuram Bichio Apostolico Lusitaniae Nuntio, quem Rex inter Purpuratos statim numerari petierat, Cardinales vero ob varia, quæ ei objectabantur, crima indignum reputabant: Ea res Regem tantopere offenderat, ut vel ipsis Sacris comitiis subiectos sibi Cardinales interesse vetaret. Nihilominus de placanda Regis indignatione non desperabat Cienfuegos Cardinalis, qui nil eorum, quæ reddendæ concordiæ apta forent, prætermisit: nec minus ad tollendum plurimum annorum dissidium promptum fese exhibuit Pontifex, unice exoptans, ut ipsem Bichius debitæ subjectionis exemplo prævie viam ad reconciliationem sterneret: Eo fine Pontifex datis ad eum literis præcepit, ut nulla mora ex Hispaniis in Italiam contenderet: Paruit illico jussis Bichius, hoc anno Liburni portum asseditus, quo subsistere jussus ulteriora Pontificis mandata expectavit, mox tamen literas

Sæc. XVIII.  
A.C. 1731

submissione plenas, ac sinceræ pœnitutinis testes ad Papam dedit, veniamque perdemisse rogavit. His emollitus Pontifex dato ad illum responso eundem ad patientiam hortatus est, pollicitatione facta, illum brevi in gratiam receptum iri: Interim vero in ejus vitam hucusque transactam sedulo inquiri jussit, cumque comperiret illum crima, de quibus apud Prædecessores Papas incusatus fuisse, penitus diluisse, suamque integritatem fidemque in exequendo Legati munere, sacræ Sedi comprobasse, benigniorem de eo conceperat opinionem. Accessit etiam ingens, quo flagrabat Pontifex, placandi Regis desiderium, quo incitatus, primum inter Cardinales Bichium nominabat missio ad eum Sergadio Abbatem, qui Liburni eidem rubrum imposuit galerum, simulque ad itineris expensas ex Pontificio ærario tria aureorum milia tradidit: Eodem tempore, ut memoravimus, Papa Josephum Firaum, quem Bichio in Legatione Lusitana subrogaverat, eodem honore insignivit; cum autem Rex, ut hic suo officio fungeretur, utpote alterum Regiae indignationis argumentum, nunquam permetteret, Pontifex ad eliminandam postremam diffidii radicem Cajetanum de Cavaleriis Apostolicum in Lusitania Nun-

Nuntium designavit, a Rege totaque Aula splendide ac honorifice anno se-  
 quenti exceptum. Ita demum pristina  
 tranquillitas feliciter reddita est, ac  
 restitutum mutuae benevolentiae com-  
 mercium, Bichius etiam die octava  
 Februarii Romam ingressus, pluribus  
 Patrum Congregationibus adlectus fuit.  
 Hujus tamen electioni adhucdum ob-  
 strepebant Cardinalium nonnulli, qui  
 haud satis mirari poterant, illum non  
 modo tot beneficiis augeri, sed etiam  
 Purpura honorari & quidem ab eodem  
 Pontifice, qui adhuc Cardinalis sæpius  
 coram Papa declarabat. se salva, quam  
 Sedi Apostolicæ deberet, reverentia  
 nunquam admissurum, ut Bichius,  
*perfidus iste, ac infamis homo* inter suos  
 Confratres numeraretur: Attamen Pon-  
 tifex exuto vetere Bichio novum & e-  
 mendatiorem Bichium Cardinalem  
 creavit, & ut Regem plene sibi conci-  
 liaret, eidem indulxit unum Cardina-  
 lem nominandi privilegium, & quæ-  
 dam beneficia sine prævio Pontificis  
 consensu conferendi jus. Hæc pacta  
 a summo Pontifice & Lusitano Ora-  
 tore Almida subscripta Rex cum in-  
 genti lætitia Ulyssipone publici juris  
 fecit.

Sæc. XVIII.

A. C. 1731.

## §. LIV.

*Clementis XII. in promovenda Reli-  
gione Catholica studium.*

Præter ardens reddendæ pacis stu-  
dium Clemens Pontifex nil prius,  
nil antiquius habuit, quam ut in Pon-  
tificia ditione rem Catholicam ad ob-  
rizonem purgaret, fidemque latius pro-  
pagaret. Eo fine in oppido Ulani Bi-  
finiacensis Diæceseos amplissimum Se-  
minarium instituit, quod a Corsiniæ  
Familia nomine *Corfinium* nuncu-  
pari voluit: In eo pueros Græcos ex  
Epiro descendentes, qui in Calabriæ  
& Siciliæ Provinciis dispersi vivebant,  
non modo literis, sed præcipue in pie-  
tatis & Religionis Catholicæ exercitiis  
affidue imbui statuit, ut his dotibus  
probe instructi apud suos, eosque, qui  
terræ Orientales incolunt, bene de  
Catholicæ fide, & Apostolica Sede me-  
rerentur. Hanc in rem Pontifex die  
undecima Octobris anno sequenti Con-  
stitutionem edidit, qua hujus Collegii  
regimen Episcopo Bisinianensi com-  
misit. Haud remissiore studio & ar-  
dore Sinensium, Indorumque Adole-  
scentum saluti, utilitatique consuluit;  
Collegio enim, quod *Sacrae Familiae*  
*Jesu* vocant, extra Neapolin constructo,  
eos-

eosdem gratis ali, & scientiis ætati  
 & conditioni eorum congruis, necnon Christianæ fidei rudimentis egregie erudiri curavit, donec Sacerdotio iniciati Barbaris atque Infidelibus, qui adhucdum in tenebris sedent, Evangelii lucem, Religionem, fas & æquum, probosque mores implantare possent. Hujus Instituti longe saluberrimi regulas publico diplomate die septima Aprilis anni sequentis ad preces Caroli VI. Imperatoris confirmavit. Porro Thibetum, quod in Asia magnæ Tartariæ Regnum est, plures ex PP. Capucinorum familia Praecones Apostolicos ablegavit. Nunquam vero magis prona, magisque Orientalibus Missionibus peropportuna fuit Pontificis sollicitudo, quam dum ad obeundas sacras hasce expeditiones & sublevandam miseræ hujus gentis inopiam sexaginta aureorum millia liberali manu profudit. Tum enim Divinæ pariter adfuit clementiæ fautor oculus, & inde collecta uberrima animarum missis; quippe eodem adhuc anno decem fere Copthorum millia ab erroribus ac pernicie ad spem salutis traducta fuere, his facem præferente ipsorum Patriarcha Alexandrino, qui Papæ monitis, & veritatis serius ac citius ad eor loquentis voci pronas benevolasque aures

præ-

Sæc. XVIII.  
A.C. 1731.

Sæc. XVIII. præbuit: Paulopost idem Pontifex Ar-  
 A.C. 1731. meniorum quoque Patriarcham suis  
 beneficiis, & paternis hortationibus  
 eo induxit, ut impium a sacris Dipty-  
 cis anathema contra Chalcedonensem  
 Synodum, & sanctissimum Papam Leo-  
 nem Magnum deleret.

## §. LV.

*Varii successus in Gallia.*

Jam anno hujus sæculi vigesimo nono  
 die quarta Septembbris Maria Sta-  
 nislai Leszinsky Filia & Ludovici XV.  
 Franciæ Regis Conjux Versaliis pri-  
 mogenitum suum Filium enixa est, qui  
 eodem adhuc die a Cardinale Rohanio  
 supremo Regis Eleemosynario Baptis-  
 matis fonte auguratus est. Sequenti  
 anno Clerus Gallicanus, postquam die  
 prima Junii consuetis comitiis initium  
 dabat, die decima sexta ejusdem Men-  
 sis Regi petitas quatuor librarum mil-  
 liones doni gratuitæ nomine tradebat,  
 Clemens vero Pontifex Fridericum  
 Lantem tanquam Apostolicum Lega-  
 tum ablegabat, ut Delphino nuper nato  
 pro more sacratas deferret fascias. Ad-  
 venit hic Versaliis die decima Aprilis,  
 postquam Lutetiam Parisiorum solemni  
 pompa ingressus erat: Placuit Regi  
 summopere Pontificis donum; exter-  
 nam

nam tamen lætitiae significationem  
 multum imminuit edictum nuper Romæ Sæc.XVIII.  
 promulgatum, vi cuius, ut pecunias A.C. 1731.  
 cum ingenti subditorum damno in Gal-  
 lias transferendi occasio præcideretur,  
 severè inhibitum, ne panni in Francia  
 fabricati in ditiones Ecclesiasticas in-  
 veherentur: Ea re Rex tantopere offend-  
 sus erat, ut vicissim cum Avenionensi  
 Comitatu omne commercium interdice-  
 ret, & bombycinas merces inde extrahi  
 vetaret: demum vero cum valido mi-  
 lite Maillebosium Marchionem eo mit-  
 teret, ut hunc Comitatum veluti ob-  
 fidione cingeret, nec ulli hominum ac-  
 cedere vel egredi permitteret. Maxi-  
 ma rerum penuria inde enata. Sub  
 idem ferme tempus Cardinalis Fleu-  
 ryus primus Regis administer decre-  
 tum edidit, quo cunctis militibus, cu-  
 juscunque gradus aut conditionis es-  
 sent, peregrinationes sacras extra Re-  
 gnum peragere inhibitum, ceteris vero  
 id duntaxat prævia Episcopi venia con-  
 cessum, fancita transgressoribus Viris  
 triremium, fœminis vero arbitraria  
 poena: Ansam salubri huic edicto de-  
 derunt frequentes corruptelæ; non  
 raro enim milites exteri Principis mi-  
 litiæ nomen dabant, famuli & ancillæ  
 a Dominorum obsequio excedebant,  
 Patresfamilias abjecta cura filiorum

Sæc. XVIII. ac uxoris, otio, & vitæ licentiæ vacabant &c.  
A. C. 1731.

Præterea ejusdem hujus anni Mensis Septembri Henricus Cardinalis de Bissy trigesimo ab Urbe Parisina lapide exulare jubebatur; Regii hujus mandati obtentus erat immodicus juris Pontificii & Constitutionis *Unigenitus* tuerdæ ardor, quem hic Cardinalis exercerbat.

### §. LVI.

#### *Prætensa Protestantium gravamina.*

Fuere jamjam anno priori indicta a Friderico Augusto Polonorum Rege comitia Grodnensia, in quibus graviora regni negotia, lites & dissidia compenerentur: Familiare erat Protestantibus, quos *Dissidentes* vocant, ut comitiorum tempore varios suæ sectæ favores a Catholicis Proceribus extorquebant: Eo fine nescio, quæ Religionis gravamina fingebant, totoque studio commendatitias Protestantium Principum literas minis etiam graves sibi procurabant: Aderant tum Varsoviæ Schaubius & Woodwardus Georgii II. Angliæ Regis Oratores, qui die vigesima quinta Februarii dato ad Poloniæ Regem libello supplici exponebant, „non paucos Angliæ Regis subditos a Po-

„Polonis vexari, & quidem non alia  
 „ex caussa, nisi quia in quibusdam Sæc. XVIII.  
 „Religionis articulis ab eis dissiderent,  
 A.C. 1731.  
 „eorum autem oppressionem duntaxat  
 „a privatis fieri, qui contra stabilitas  
 „Reipublicæ leges & Christianæ chari-  
 „tatis præcepta Dissidentes continuo  
 „insectarentur. Regem Anglum itaque  
 „supplicare, ut Rex Poloniæ suis Mi-  
 „nistris præcipere vellet, ut in hæc  
 „gravamina inquireretur, eaque in  
 „proximis comitiis tollerentur; ingens  
 „enim obversari periculum, ne invictis  
 „Dissidentium juribus & privilegiis pe-  
 „nitus eversis, brevi etiam Ecclesiæ,  
 „Scholæ, bona & libertas eis eripe-  
 „rentur: his malis præsentaneum op-  
 „poni posse remedium, si Rex Epi-  
 „scopis ac Magistratibus præciperet,  
 „ne hi contra Dissidentium jura & privi-  
 „legia novitates invehherent, auteos  
 „in suæ Religionis exercitio turbarent,  
 „ipsi vero Templa & scholas ruinæ pro-  
 „ximas restaurare permitterentur, ac  
 „denique ne per citationes, motasque  
 „lites coram judicibus, quibus sub-  
 „iecti non essent, præcipue in cauffis  
 „vel Regiæ Majestatis vel comitio-  
 „rum cognitioni reservatis, comparere  
 „cogerentur: Oppressos hosce Dissiden-  
 „tes, æque ac Catholicos esse Reipu-  
 „blicæ membra, & filios Regis tanquam  
*Hist. Eccles.* Tom. LXXIII. Yy com-

Sæc. XVIII. „ communis omnium Patris, Religio-  
 A.C. 1731. „ nis libertatem tam his, quam illis  
 „ per Regni leges esse confirmatam,  
 „ proin ab harum legum favore sine  
 „ injustitia excludi non posse; eos haud  
 „ majora petere, quam ut fidelibus  
 „ subditis pares haberentur, timendum  
 „ autem esse, ne horum oppressione  
 „ majus, quam Dissidentibns infertur,  
 „ damnum Reipublicæ accresceret; no-  
 „ tum enim esse, maximum quoddam  
 „ Regnum innumeris pene probis & fi-  
 „ delibus subditis fuisse orbatum, eo-  
 „ quod concessa fidei libertas Prote-  
 „ stantibus fuisset adempta, e contrario  
 „ autem Dissidentes, si Rex eorum jura  
 „ tueretur, commercium, & boni pu-  
 „ blici incrementum valide promoturos,  
 „ si vero fecus fieret, nil certius esse,  
 „ quam Catholicos in Anglia degentes  
 „ paribus ærumnis esse vexandos &c.,  
 Hæc illi, cum autem comitia, prius  
 quam initium acciperent, fuissent dis-  
 soluta, Dissidentes spē sua excide-  
 runt, qua minacibus ejusmodi pre-  
 cibus ampliora, quam armata vi jam-  
 jam extorserant, se impetraturos con-  
 fidebant.

Magis sibi propitiam sortem Prote-  
 stantes experti sunt in Hungaria & Ser-  
 via; cum enim pro more suo in illis  
 locis, ubi vel armorum violentia intrusi  
 vel

vel Principum clementia tolerati fuere, Sæc. XVIII.  
 iteratis querelis ac exaggeratis Religionis gravaminibus sectam suam firmare,  
 & amplificare satagerent. Imperator A. C. 1731:  
 continuis Principum Protestantium precibus ac minis fatigatus, veritatemque  
 ne hi novos vix bene sopitos tumultus excitarent, Belgradiensi Episcopo,  
 necnon Arcis Gubernatori in mandatis dedit, ut hæc dissidia juxta  
 Hungaricas leges sedare niterentur. Hi ergo ea, quæ jam ante decennium  
 hoc in negotio a Cæfareis Deputatis discussa & stabilita fuere, pro norma  
 habentes, quæ magis profutura censabant, ad Imperatorem retulere: Rebus igitur mature ponderatis Carolus VI.  
 Imperator die vigesima prima Martii  
 hac in causa Viennæ sequens promulgavit decretum:

„Reverendissime &c. demisse relata  
 „sunt nobis Acta Commissionis Art. 20.  
 „denotata, quæ nimirum Anno 1720.  
 „in Libera & regia civitate nostra Pe-  
 „stiensi inchoata, anno vero sequente  
 „in altera libera regiaque Civitate no-  
 „stra Posoniensi reaßumpta, & termi-  
 „nata fuissent. Rite proinde ponderatis  
 „ac discussis materialis in ejusmodi  
 „actis specifice ac uberioris deductis be-  
 „nigne visum fuit nobis, hac vice se-  
 „quentem eatenus impertiri resolutio-

Sæc. XVIII., nem. Et quidem I. Benigoam piis  
 A. C. 1731., simæ memoriae Imperatoris & Regis  
 Leopoldi, Genitoris nostri desidera-  
 tissimi resolutionem sub Dato 2. Apr.  
 1691. typis mandatam & suo modo  
 publicatam pro regiis explanationi-  
 bus Art. 25. & 26. 1681. & 21. 1687.  
 præcitatum Articulum 20. 1715. con-  
 firmatis habendam, juxtaque illam  
 sentio antefati Art. 25. omnibus Au-  
 gustanam & Helveticam Confessionem  
 profitentibus regnicolis ubique con-  
 cessum Confessionis ipsorum Exerci-  
 tium privatum duntaxat, dictamine  
 porro sequentis Articuli 26. ad certa  
 nonniſi loca reſtrictum memoratum exer-  
 citium publicum fore, ac inde II.  
 Prædicantes ad articularia duntaxat  
 loca, quoad Confessionis ſuæ erga hanc  
 profitentes tamen ibi degentes, quam  
 & aliunde eo confluentes exercitium  
 reſtrigi, in talibus autem locis tot  
 quot neceſſitas & multitudine gregis exigit,  
 ministros prævia tamen remonstrata  
 iſtiusmodi neceſſitate acceptaque de-  
 super benigna regia conſeſſione, iisdem  
 admitti debere. qui ibidem agrotos  
 quoque ac captivos visitare, iisque  
 opera ſua addeſſe poterunt.

III. „ In locis porro non articulari-  
 bus neque plebeiae conditionis homines  
 in domibus suis librorum confessioni  
 „ ſuæ

„suæ deservientium pro se & familia Sæc.XVIII.  
 „sua propria lectione tanquam ad pri- A.C. 1731.  
 „vatum exercitum spectante arcendi  
 „erunt; absque tamen eo, ut alios  
 „loci ejusdem incolas seorsum admit-  
 „tant: In quibus quidem non articu-  
 „laribus locis, licet ipsi quoque Aca-  
 „tholici quoad omnia Parochialia Ro-  
 „mano Catholico Parocho subsint, is  
 „tamen non audebit ab iisdem magis  
 „quam a Romano-Catholicis stolam  
 „desumere..”

IV. „Jure terrestrium Dominorum per  
 „articulos & præallegatas explana-  
 „tiones in salvo relicto, hoc deinceps  
 „quoque admitti, eo tamen modo, ut  
 „si terrestres Domini quoad religionis  
 „negotium in memorato nostro Hun-  
 „gariæ Regno quid operari aut im-  
 „mutare vellent, teneantur idipsum  
 „cum rationibus eosdem ad hoc aut  
 „illud instituendum permoventibus præ-  
 „vie nobis velut Terræ Principi, &  
 „religionis defensori humillime repræ-  
 „sentari facere, superindeque Clemen-  
 „tissimam dispositionem & ordinatio-  
 „nem nostram præstolari.

V. *Superintendentes* seu superiores  
 „*Augustianæ, & Helveticæ Confessioni*  
 „addictorum, ubi modo fatarum Con-  
 „fessionum alterutram profitentes fu-  
 „perinde in quot, & qualibus locis

Sæc. XVIII. „ ejusmodi Superintendentem seu su-  
A. C. 1731. „ periorem sibi admitti petant, apud  
„ nos instantiam fecerint, iisdem ad-  
„ mittentur, quorum quidem superio-  
„ rum muneris erit, moribus ministro-  
„ rum sibi subjectorum invigilare, ac in  
„ excessivos condigne etiam animad-  
„ vertere, in reliquis autem *Acatholi-*  
„ *corum Ministri* in caussis profanis ju-  
„ risdictionato sœculari Magistratui ac  
„ in hoc duntaxat, ut conitet, num  
„ ejusmodi Ministri suos rite baptizent,  
„ seu ad valide baptizandum sufficienter  
„ sint instructi, etiam visitationi & exa-  
„ mini *Archidiaconorum Catholicorum sub-*  
„ *esse* debebunt. Matrimoniales porro  
„ caussæ fundamento positivarum Regni  
„ Legum judiciis Diœcesanarum præ-  
„ cipuarum ita substerni, ut, si  
„ illas plane juxta principia Augustanæ  
„ & Helveticæ Confessionis dijudicent,  
„ admissa inde ad *Archiepiscopum ap-*  
„ *pellatione.*

VI. *Apostatae* dein, præcipue dum  
„ quis ex Augustanæ & Helveticæ Confes-  
„ sioni addictis Catholicam fidem præ-  
„ primis amplectetur, dein vero ab  
„ eadem defiendo rursus eo redire  
„ attentarent, gravi arbitraria poena  
„ per jurisdictionatum sœcularem Ma-  
„ gistratum sunt puniendi: Antequam  
„ tamen ejusmodi arbitrariæ poenæ ef-  
„ festive

„fective infligantur, de casu in casum Sæc.XVIII.  
 „desuper prævie ad Auguſtissimam au- A.C. 1731.  
 „lam nostram mittenda erit relatio.

VII. „Ut disparis religionis homi-  
 „nes tam in articularibus quam non  
 „articularibus locis præcise coram Pa-  
 „rocho loci Catholico matrimonium  
 „inire possint, admitti.,

VIII. „Feriæ porro & festivitates  
 „Catholicorum etiam ab Acatholicis  
 „quoad publicum & forum externum  
 „celebrari, Mechanici item funda-  
 „mento privilegiorum suorum consuetis  
 „processionibus interesse debebunt.,

IX. „In materia tamen juramenti  
 „a profitentibus Augustanæ & Helve-  
 „ticæ Confessionis, deinceps in præ-  
 „fato nostro Hungariæ regno defu-  
 „mendi clementer decerni, ut judices  
 „aliaque officia tenentes, prout &  
 „Advocati, interea & donec aliud sta-  
 „tuatur, jurent ad formulam decreta-  
 „lem expressis nempe verbis: *Deiparæ*  
*Virginis & Sanctorum*, a testibus au-  
 „tem desumatur juramentum in forma  
 „vulgari, ne cursus juridicus tam Ci-  
 „vilis, quam Criminalis remoram pa-  
 „tiatur. Cæterum contraventiones  
 „quasvis in materia religionis hucus-  
 „que factas pro hac adhuc vice obli-  
 „vioni tradi. Quodsi tamen in futu-  
 „rum alterutra partium seu quicunque

Sæc. XVIII. „ privatorum regnolarum benignis  
 A. C. 1731. „ resolutionibus & dispositionibus no-  
 „ stris in præallegato religionis negotio  
 „ interventis privata auctoritate con-  
 „ travenire, & sive Catholicus Acatho-  
 „ licum, sive Acatholicus Catholicum  
 „ eatenus turbare aut molestare atten-  
 „ taret, poena conveniente ad instan-  
 „ tiam fisci nostri regii defumenda ir-  
 „ remissibiliter puniatur. Deinceps  
 „ porro, si quis privatorum in persona  
 „ vel caufsa religionis se gravatum exi-  
 „ stimaverit, desuper suo privato &  
 „ non communi nomine ad regiam dun-  
 „ taxat Majestatem pro remedio re-  
 „ currat.

„ Quam benignam resolutionem no-  
 „ stram fidelitates vestræ universalis  
 „ regni Comitatibus insinuare, hocque  
 „ modo pro singulorum notitia & dire-  
 „ ctione publicare noverint. „

*Carolus Imp. m. p.*

*Comes Lud. de Battyam  
 Elias Wayneczy.*

Cum autem per hanc ipsam Cæsa-  
 ris indulgentiam nondum optata quies-  
 speranda esset, Hungariæ Episcopi ac-  
 Pro-

Proceres Mense Junio varia suggeſſere ſæc. XVIII.  
confilia, Constitutiones ac poſtulata, A.C. 1731.  
quæ Viennam transmiſſa auctoritate  
Cæſarea confirmari petebant. Erant  
autem hæc

I. Articulus approbatarum Conſtitutionum Regni de receptis quatuor Religionibus tollatur, maneatque in beneplacito Principis Libertas Exercitii Religionis Acatholicorum.

II. Unio quatuor receptatum *Religionum* tanquam Pestis eliminetur.

III. Præscriptio in poſſeſſione immobilium bonorum a Joannis Regis tem-  
pore inveſta nulla declaretur.

IV. Omnia Templa & Scholæ Ca-  
tholio - Romanæ a Calvinistis erēptæ  
Catholicis cum beneficiis reſtituantur,  
nominanter vero templum & Colle-  
gium Claudiopolitanum a Reformatæ  
Religioni addictis uſurpatum.

V. Peregrinatio ſive ſtudiorum ſive  
Culturæ cauſa extra provinciam inter-  
dicta eſto.

VI. Jurisdictio in matrimonialibus  
Cauſis fit penes Clerum Romano- Ca-  
tholicum.

VII. Tutoratus & pupillorum edu-  
candorum, bonorumque ad ipſos de-  
volvendorum cura committatur Prin-  
cipi usque ad perfectam ætatem; an-  
num videlicet vigefimum quartum.

Sæc. XVIII. VIII. Collegium Societatis Jesu Clau-  
A. C. 1731. diopolitanum Privilegio Academie frua-  
tus, amplietur & beneficiis dotetur,  
ac Cibinii, Coronæ, Marui, Vaserhelmi  
Scholæ majores Jesuitis aperiantur.

IX. Typographiæ absque publica  
auctoritate nullæ erigantur, nec in  
iis, quæ acta sunt, absque Censura &  
Approbatione libros imprimere, ne-  
que Libros Acatholicos invehere liceat.

X. In quartum usque Consanguini-  
nitatis gradum Acatholici matrimonia  
ineuntes in notam infidelitatis incur-  
rant, & omnia bona perdant nisi nova  
donatione impetrata fuerint. Catho-  
licis vero cum dispensatione Pontificis  
& Matrimonia inire & bona cum con-  
fensi Principis possidere integrum esto.

Hæc postulata a Cæsarea sua Maje-  
state nondum quidem erant confirmata,  
ducenta tamen ferme Tempa, quæ  
Protestantes Catholicis eripuerant,  
iisdem fuere restituta: Vehementer  
desuper Viennæ querebantur Protestan-  
tes, præcipue Protestantium Princi-  
pum Oratores, quibus tamen respon-  
sum est, jus naturæ & Regni leges ob-  
stare, quominus per nefas occupata  
legitimis suis possessoribus eriperentur.  
Nihilominus tam importunæ erant  
Principum sollicitationes, ut Viennen-  
sis Archiepiscopus necnon Archiepisco-  
pus

pus Wratislaviensis, Comes de Sin- Sæc. XVIII.  
 zendorff supremus Cancellarius & Pa- A.C. 1731.  
 ter Tennemannus, qui Cæsari a con-  
 fessionibus erat, in prætensa Sectario-  
 rum gravamina inquirere juberentur,  
 nondum tamen quiescentibus Prote-  
 stantibus, uti mox referemus.

## §. LVII.

*Principum atque illustrium obitus.*

Fuit hic annus plurimorum Princi-  
 pum morte fat celebris; decepsit  
 enim die vigesima Januarii Antonius  
 Parmensis Dux, postremus Farnesianæ  
 Domus masculus hæres, annos natus  
 quinquaginta & unum; jam supra de-  
 scripsimus motus inde exortos. Die  
 autem vigesima prima Aprilis obiit se-  
 ptuagenario major Hamburgi Ernestus  
 Augustus Holsato - Sonderburgensis  
 Dux, & Merseburgi Mauritius Guiliel-  
 mus anno ætatis quadragesimo sexto,  
 cui sine prole mascula decedenti Hen-  
 ricus Dux septuagenarius successit. Pa-  
 riter sine relicta prole vivis valedixit  
 die vigesima tertia Julii Augustus Wil-  
 helmus Guelpherbytanus Dux, post-  
 quam sexagesimum nonum ætatis an-  
 num expleverat. Successorem habuit  
 ejus Fratrem Ludovicum Rudolphum,

Impe.

Carolo VI.

Sæc. XVIII. Imperatori nuptæ Pater erat. Die de-  
A. C. 1731. cima septima Septembris naturæ debi-  
 tum solvit sexagesimo primo ætatis  
 anno Gustavus Samuel, postremus  
 Kluburgenſis Domus Comes Palatinus,  
 Bipontinus Dux, jam pridem ad fidem  
 Catholicam conversus, cojus obitum  
 circa Successionis jus inter Domum  
 Electoralem & Birckenfeldensem Du-  
 cem ingens enata est controversia.  
 Elector enim Palatinus utpote familiæ  
 Caput Neoburgensem lineam esse vici-  
 niorem, ac jus primogenituræ Conſti-  
 tutione Rupertia jam Anno 1395. con-  
 firmatum afferebat, verum Bircken-  
 feldensis Domus declarabat, a Wol-  
 gango Duce Abavo omnes tunc viven-  
 tes Comites Palatinos descendisse, hic  
 vero condidisse testamentum, quo ab  
 eodem cautum esset, ut in iis Provin-  
 ciis, quæ ad Electoratum non specta-  
 rent, fieret successio juxta jus com-  
 munue, vi cujus proximum Agnatum  
 succedere, indubitatum esset. Ex his  
 Birckenfeldenses in sui juris fundamen-  
 tum inferebant, tam Carolum Philippum  
 Electorem, quam Christianum III. Bir-  
 ckenfeldensis lineæ Ducem a Wolfgango  
 communi stipite, æquali gradu, scilicet  
 quarto distare, igitur Electorem  
 non posse totum Ducatum prætendere:  
 Afferebant insuper Birckenfeldenses,  
 Wolf-

Wolfgangum & Abavum statuisse, ut ju- Sæc. XVIII.  
A.C. 1731.  
niores duæ lineæ, scilicet Bipontina & Birkenfeldiana sibi mutuo succederent, substitutione reciproca inter eas introducta: de cetero autem Ruperti Constitutionem meram fuisse ideam, seu conceptum quidem propositum, nunquam autem in usum fuisse deductum. Agitabatur hæc controversia magno utrīque ardore; interim vero Carolus VI. Imperator statuit, ut Ducatus Landgravio Darmstadiensi, & Abbatii Fuldeni in sequestrum daretur. Rex autem Franciæ, cum quasdam Ducatus Præfecturas Alsatiæ obnoxias censeret, adversus sequestrum reclamavit, & in Alsatiæ Senatu jus suum demonstravit. Unde Europæ Principes velut in partes ire videbantur, præcipue vero Protestantess toto studio suffragabantur Birkenfeldensi tum suæ sectæ addicto. E contrario Catholici successionem in Ducatum plenis votis Electori augurabantur. Pars utraque in prolixis jurium defensionibus calamos suos exercuit: tandem vero lis transactione anno sequenti dirempta est.

Porro improlis quoque Fridericus Ludovicus Wirtenbergicus Dux Stuttgardiæ die vigesima tertia Novembris nonnisi triginta tres annos natus mundo excessit. Eandem æternitatis viam

Schrot-

**Sæc. XVIII.** Schrottenhofii ingressus est hoc anno  
A. C. 1731. Albertus Ernestus Princeps Oettingan-  
nus, postremus lineæ Acatholicæ sur-  
culus. Supererant quidem tres lineæ  
Catholicæ, Sphilbergensis, Wallerstei-  
nia & Balderana: cuiuslibet suum erat  
succedendi jus ac fundamentum, &  
quidem Franciscus Albertus Sphilber-  
gensis contendebat, se esse ex prima  
linea Comitum, & quidem totius fa-  
miliæ Seniorem, Antonius Carolus  
Wallersteinius se a defuncto Principe  
non modo hæredem esse institutum,  
sed etiam possessionem jamjam cepisse.  
Crato denique Antonius ex Balderana  
linea juris sui fundamentum posuit in  
eo, quod initio testamentum accepta-  
rit, quia in eo Wallersteinianæ lineæ  
erat substitutus, deinde vero, cum te-  
stamentum tanquam invalidum a Sphil-  
bergensi impugnaretur, ipse statuisset,  
ut hæreditas in tres æquales partes di-  
videretur, eoque omnes tres lineæ  
æquali gradu a defuncto Principe dista-  
rent. Mota desuper lite Cæfareo-Au-  
licum judicium Wallersteinio interim  
possessionem asseruit, Sphilbergensi vero  
injunxit, ut potestatem testandi de bo-  
nis immobilibus, Oettinganis non com-  
petere, magis solide probaret. Præter  
hos die vigesima prima Junii Fridrichs-  
feldiæ ex apoplexia obiit ferme sexage-  
narius

narius Carolus Albertus Marchio Bran- Sæc. XVIII.  
deburgicus. Sequentis vero Mensis A. C. 1731.  
die octava Bercizomæ decepit Amalia  
Ludovica Emanuelis Felicis Lusitani  
Principis Filia: Paulopost Philippus  
Dux Whartonus Barcinone mortalita-  
tem exuit. Hic Angliæ, ut vocant,  
Prætendenti immota fide adhæsit, ea-  
propter bonis omnibus suis ærario ad-  
dictis in exilium detrusus, reliquos vitæ  
suæ dies potissimum in Hispania tran-  
figere compulsus est. Die autem pri-  
ma Februarii vivis eruptus est Antonius  
Grimaldi Princeps de Moraco, & Va-  
lentinensis Dux expleto ætatis anno  
septuagesimo primo, cui succedit Mar-  
garetha Camilla Ludovici de Gand,  
Isenghienensis Principis uxor, quæ ta-  
men pariter nonnisi triginta quatuor  
annos nata die vigesima nona Decem-  
bris e mundi theatro in tumulum de-  
sceridit.

Inter Ecclesiasticos Principes deplo-  
ratur obitus Ferdinandi Comitis de  
Kühnburg, Pragensis Archiepiscopi, qui  
primum Cæsaris Camerarius, dein  
Laubacensis Episcopus, Legatus ad  
Aulam Lusitanam, denique Anno 1710.  
Archiepiscopus Pragensis eligebatur,  
cui utpote viro de profanis juxta ac-  
fæcis negotiis optimo suprema debetur  
gloria feliciter confectæ cauſæ de Ca-  
noni

§æc. XVIII. nonizatione S. Joannis Nepomuceni.  
A. C. 1731. Successorem habuit Ferdinandus Dani-  
 niel Josephum de Mayern Cathed-  
 ralis antea Præpositum & Vicarium  
 Generalem, atque Episcopum Tybe-  
 riadenum, qui tamen & ipse altero  
 post anno defunctus est.

## §. LVIII.

*Clementis XII. Constitutiones.*

Inter varias Constitutiones, quas Cle-  
 mens Papa hoc anno ediderat, non-  
 nullas huc adducere, haud abs re erit:  
 Die igitur secunda Januarii Constitu-  
 tionem promulgavit, in qua retulit,  
 quod Leo X. Metropolitanæ Ecclesiæ  
 Florentinæ, illiusque Capituli Cathe-  
 dralis decori ac splendori prospecturus,  
 Archidiaconum & Canonicos sui &  
 Apostolicæ Sedis Notarios crearit, eis-  
 que privilegia Romanis Notariis com-  
 munia elargitus fit; cum autem hæc  
 gratia a Successoribus confirmata non  
 fuerit, eam vero præfatæ Ecclesiæ Ca-  
 nonici Apostolico robore muniri, enixe  
 peterent, hinc Clemens Pontificio di-  
 plomate hæc privilegia confirmavit.  
 Die autem sequenti decrevit, ut officium  
 S. Andreæ Corsini ex Ordine Car-  
 melitarum Fesulanii Episcopi ad ritum  
 duplìcem pro universa Ecclesia elevetur,  
 &

& ita in Breviario Romano apponatur. Sæc. XVIII.  
A.C. 1731.  
Fuerat equidem jamjam anno Christi millesimo quingentesimo quinto per Constitutionem Pauli IV. necnon per alia Pontificum decreta lis circa S. Collegii Decanatum, si vacaverit deferendum saepius mota, atque dirempta; exortis tamen pluribus inde dubiis partim a Clemente XI. partim a Benedicto XIII. P. decisio Clemens XII. cum Pauli IV. rationes ceteris allatis plurimum prævalere existimaret, ejusdem Pontificis Constitutionem die 10. Jan. innovavit, statuitque, ut Decanatus S R E Cardinalium Collegii ipso jure deferendus sit Cardinali antiquiori Episcopo, qui tempore vacantis hujus Decanatus in Romana Curia præsens, vel ex causa publica, ac Romani Pontificis definitione duntaxat, non tamen ratione residentiæ apud aliam Ecclesiam sibi commissam absens fuerit. Præterea declaravit, quod *antiquitas* non sit desumenda a tempore, quo quis ad Purpuram assumptus fuerit, sed a tempore, quo in Ordinem Episcopalem fuerit ingressus: Cardinalibus vero a Presbyteriali ad Episcopalem Ordinem ascendentibus semel duntaxat ab una ad aliam Ecclesiam transire liceat: illi vero Cardinales, etsi summo Pontifici assistant, nisi legitime fuerint impediti,

Sæc. XVIII. sex Ecclesiarum Suburbicariarum visitationem inire, & desuper ad Pontificem referre teneantur.

Cum autem Prædecessores Pontifices præcipue Benedictus XIII. Regularibus amplissimas exemptiones non nisi magno ærarii Pontificii & subditorum damno concessissent, hinc Pontifex die decima tertia ejusdem Mensis declaravit, ejusmodi Immunitates & exemptiones ab oneribus publicis etiam Cardinalibus, Dominicanis, Augustinianis, Jesuitis &c. concessas vel Pontificum Nepotibus indultas esse revocatas, atque annullatas, eas vero, quæ Collegiis Romanis fuissent concessæ, pro solo victu & vestitu suffragari, salvis duntaxat exemptionibus, quæ Ecclesiasticis vel de jure competunt, vel a Camera Apostolica Thesaurariis &c. concessæ vel ex contractu aut alio titulo onerofo obtentæ fuerunt.

Jam antea Benedictus XIII. ad tollenda dissidia concederat, ut Carmelitæ calceati suum Conventum Neapolitanum, qui vulgo *Carmelus major* vocatur, & alia adhuc quinque Monasteria a Provincia Terræ Laboris separare, & distinctam Provinciam erigere possent; cum ergo per hanc divisionem summa quies & pax Religiosa non sine exiguo Regularis disciplinæ incremento resti-

restituta fuisse, hinc Pontifex die vi-  
gesima septima Januarii Constitutione A.C. 1731.  
Sæc. XVIII.  
Apostolica literas Benedicti XIII. defu-  
per datas confirmavit: die autem de-  
cima septima Martii concessit, ut om-  
nes Christi fideles tam sœculares quam  
regulares in Hispania Officium & Mis-  
sam de S. Antolino Martyre recitare  
valeant. Decidit etiam Pontifex die  
prima Maij, quod Clerici Regulares,  
qui Pauperes Matris Dei Scholarum  
piarum nuncupantur, præter prima  
rudimenta literarum, etiam disciplinas  
liberales latinas & Græcas, atque e-  
tiam altiores scientias adolescentibus  
etiam Nobilibus tradere, novaque Ju-  
venum Collegia, Seminaria, Convictus,  
& Regulares Domos prævio duntaxat  
Episcopi consensu erigere valeant.

Porro Conventus Congregationis  
S. Sabinæ Ord. FF. Præd. ab Innocen-  
tio XII. Anno 1695. die 14. Jun. imme-  
diata Magistro Generali, & postea a  
Benedicto XIII. Priori Provinciali sub-  
jiciebatur; cum autem Clemens strictiori  
observantiae damnum inde inferri edo-  
ctus fuisse, die secunda ejusdem Men-  
sis revocatis Benedicti XIII. literis sta-  
tuit, ut præfatum Monasterium Ma-  
gistro Generali denuo sit subjectum, &  
Fratribus libera detur facultas ad alios  
Lombardicæ Provinciæ Conventus stu-

**Sæc. XVIII.** diorum caufsa transeundi. Concessit  
A.C. 1731. insuper die 29. Maij Pontifex, ut Pa-  
 tres Ord. FF. Minorum recollectorum,  
 qui saltem per biennium Hispanicam  
 vel Indicam Provincias tanquam Vi-  
 carii Generales rexerint, *Fatres Pro-*  
*vinciae* appellari, & eorum prærogati-  
 vis frui valeant: iisdemque Fratribus  
 die duodecima Julii indulxit, ut quam-  
 vis Benedictus XIII. eis præcepisset,  
 ut cantu Gregoriano uti possent, ni-  
 hilominus cantum simplicem retineant,  
 dummodo in tota Provincia cantus sit  
 uniformis.

Desideraverat jam dudum Ludovi-  
 cus XV. Franciæ Rex, ut Divionense  
 oppidum in Civitatem erectum a Lin-  
 gonenſi Diæcesi, cui ſubjectum erat,  
 separaretur, & præcipue oppidi Ec-  
 clesiæ Collegiatæ ad S. Stephanum in  
 Cathedralem evectæ novus præficere-  
 tur Episcopus: Hæc ut eo facilius a Papa  
 obtineret Rex, has exposuit rationes.  
 I. Quia hoc oppidum olim confueta pri-  
 mo Regum, poitea Burgundiæ Ducum  
 Sedes, & hodie totius Burgundiæ ca-  
 put effet. II. Quia idem oppidum ſat  
 celebre, principem inter Gallicas Pro-  
 vincias locum teneat, ibidemque ter-  
 tio quovis anno generalia celebrentur  
 comitia. III. Quia præter plures Ma-  
 gistratus & Curias supremum amplis-  
 simum-

simumque Senatum ( qui honor est duo-  
decim præcipuarum in Regno Civita-  
tum singularis ) habeat , & triginta ci-  
vium millia recenseat , non computata  
ingenti advenarum multitudine . IV.  
Quia quamplurimos , eosque nobilissi-  
mos Regularium Conventus , Collegia ,  
Seminaria , Hospitium , septem Paro-  
chias , Regia Sacella , & præcipue tres  
Collegiatas Ecclesias , insignes reli-  
quias , splendidum Episcopale Palatium  
&c. numeret . V. Quia hæc Urbs duo-  
decim omnino leucis a Lingonensi civi-  
tate distet , & ad eam nonnisi per vias  
asperas , & loca hyemis tempore glacie  
& civibus confita perveniri possit , non  
sine maximo incommodo illorum , qui  
vel ad S. Ordines promovendi sunt ,  
vel qui vi Regiorum edictorum in ta-  
bulas publicas referri petunt , aut ob  
dispensationes vel lites ad Lingonensem  
Episcopum ire coguntur : Igitur Rex  
suorum subditorum saluti ac indemni-  
tati , & promovendo Dei cultui inten-  
sus , aptissimum esse remedium duxit ,  
si Regio Divionensis a Lingonensi Diæ-  
cesi separaretur , præfatumque oppi-  
dum in Civitatem , & Ecclesia Colle-  
giata in Cathedralem eveheretur , ei-  
que novus præficeretur Episcopus , qui  
Verbo & exemplo hujus Regionis po-  
pulos regeret ac gubernaret . Igitur

Sæc. XVIII. Pontifex precibus Regis inclinatus, ex  
A. C. 1731. consensu ipsius Lingonenis Episcopi  
Divisionensem districtum ab ejus juris-  
dictione separavit, & Ecclesiam Col-  
legiatam S. Stephani in Cathedralem  
erexit, ac Regi juxta concordata inter  
Leonem X. & Franciscum I. inita jus  
nominandi ad novum hunc Episcopatum  
contulit, voluit tamen, ut hæc  
Civitas, Clerus & populus quoad Epi-  
scopalem novo huic Episcopo, quoad  
Metropoliticam tamen jurisdictionem  
Archiepiscopo Lingonensi subjaceret.  
Dotem insuper & mensam Episcopalem  
ex quibusdam commendis & Mona-  
steriis desumpsit, declaravitque, ut Mo-  
nachi S. Benigni Divisionensis pro an-  
tiquo suo jure præcederent Capitulum  
Cathedrale S. Stephani.

Sjb idem ferme tempus P. Ema-  
uel Fernandez Del Rio Procurator  
Generalis *Terræ sanctæ* Ord. S. Fran-  
cisci Constitutiones priorum Pontificum  
innovari petiit in utilitatem Sacrorum  
locorum in Hierusalem; igitur Ponti-  
fex die duodecima Septembbris literas  
Urbani Papæ VIII. ac Successorum con-  
firmavit, quibus præceptum, ut singuli  
Patriarchæ, Archiepiscopi, Epi-  
scopi, ceterique Concionatores saltem  
bis in anno populo exponerent Sacro-  
rum Locorum necessitates, quas Ca-  
tholici

tholici a Turcis, Nestorianis & Schismatis ibidem patiuntur, ut ipsis alii quod subsidium procuretur. Denique petente Cardinale Cienfuegos nomine Augustissimae Imperatricis Pontifex die decima quinta Septembris concessit, ut Officium Transverbationis Cordis S. Therelie ad omnes ditiones & Regna Austriacæ Domus extendatur.

Præter illas Constitutiones, quas ad hunc annum jam retulimus. Clemens Papa per S. Congregationis decreta alias adhuc memoratu dignissimas hoc anno edidit, & quidem cum animadvertisset, ex eo, quod uni eiusdemque personæ tot Episcopales Ecclesiæ permetterentur, eam ab Ecclesia Catholica utilitatem, quæ sperrabatur, minime percipi, ex Pastoralis officii sui munere huic rei medium aliquod censuit adhibendum: Itaque, cum vidisset, plurium Episcopatum consecrationem ex earum literarum concessione pendere, quibus eligibilitas indulgetur; cum scilicet, hujusmodi Indultorum vigore, qui unicum habebat Episcopatum, & ad alium transire non poterat, nisi per ordinariam postulationis viam, faciliorem exinde semitam sibi aperiret, ad aliam Ecclesiam assequendam, hinc duo saluberrima Decreta edidit,

Sæc. XVIII.  
A. C. 1731.

Sæc. XVIII., quorum altero, tanquam regula,  
A. C. 1731., uteretur in posterum Congregatio  
 „ Confistorialis; altero autem Brevium  
 „ Secretaria.

Primum sic habet: *Sanctissimus Dominus noster Clemens Papa XII.*, animadvertis, minime expedire, quod Episcopis in Germania, etiam si sublimibus familiis orti sint, tam facile concedatur dispensatio ad effectum retinendi simul tres, vel quatuor, ac etiam quinque Cathedrales Ecclesiæ, quarum Praefules temporali quoque dominatu potiuntur, praesertim cum experientia compertum sit, eas diœceses ab hereticorum erroribus magis esse immunes, quarum singulæ ab uno gubernantur Episcopo; hinc majorem deinceps circumspetionem in hoc adhiberi mandat, nec solum attendi exempla, sed peculiares perpendi singulorum causum circumstantias, habita nimis ratione temporum, personarum, & Ecclesiæ: ita quidem, ut dispensationum impertiendarum norma sumatur potissimum a majori Ecclesiæ ipsarum bono, ac utilitate. Quod si iis, qui alicui jam præsent Ecclesiæ, justis de caussis a Sede Apostolica aut jam fuerit concessum aut deinceps concedi contigerit indulatum eligibilitatis ad aliam, declarat Sanctitas sua, non per hos censeri debere concessam dispensationem ad effectum simul retinendi prædictam quoque aliam Ecclesiam, postquam eleſio peracta fuerit,

suerit, sed, antequam electio ipsa a Sede Apostolica confirmetur, summa maturitate esse examinandum, an utilitas, vel necessitas talium Ecclesiarum, & Catholicæ Religionis tuendæ ratio posulet impertiri hujusmodi dispensationem pro omnium retentione, vel potius in ejusdem electionis confirmatione ponи oporteat decretum de alia Ecclesia dimitienda.

Declarat itidem Sanctitas sua, non convenire, ut discriminatim, nulloque delectu, & sine causae cognitione, tribuatur Episcopis facultas retinendi simul plures dignitates, aut Canonicatus Cathedralium, vel Collegiatarum Ecclesiarum, tam in Germania, quam in Polonice Regno; per hoc quippe Divino cultui non mediocre detrimentum affertur, Ecclesiæ debitibus fraudantur obsequiis, & Ecclesiastica stipendia, quæ congruae plurium Ministrorum Dei sufflationi destinata sunt, in unam collata personam, incitamentum præbent ad luxum. Mandat itaque Sanctitas sua, cautius, quam hactenus forsan factum fuerit, hac etiam in re in posterum agi, & exemplis sepositis, spectari in primis id quod, juxta locorum, Ecclesiarum, personarumque conditiones, ad ampliorem Dei gloriam expedire visum fuerit. Ne autem saluberrimi hujus moniti memoria obsoleseat, vult Sanctissimus Pater, præsens hoc Decretum assertari apud Acta Sacrae Congregationis re-

**Sæc. XVIII.** *bus consistorialibus præpositæ, atque illud*  
**A. C. 1731.** *ab ejusdem Congregationis Secretario pro*  
*tempore, quotiescumque opportunum fuerit,*  
*in memoriam revocari eorum, qui his de*  
*rebus consilium Pontifici Maximo daturi*  
*sunt. Die 6. Januarii Anno 1731.*

Altero Decreto, quod pro Brevium  
 Secretaria conditum est, ita cavetur:  
*Quamquam invaluerit usus dispensandi præ-*  
*fertim cum sublimibus personis, ut plures*  
*Episcopatus in Germania simul retinere*  
*possint ob eam quidem justam, & laudabi-*  
*lem rationem, ut aduersus hæreticorum*  
*conatus Catholicam Religionem opibus, au-*  
*toritate, potentia sartam testam turantur;*  
*ex inconsulta tamen hujusmodi dispensatio-*  
*nrum frequentia, immoderatoque usu, gra-*  
*vissima in Christianam Rempublicam incom-*  
*moda manare posse, exploratum satis est:*  
*vix enim, ac ne vix quidem sperari potest,*  
*ut qui tribus, vel quatuor, vel etiam quin-*  
*que Cathedralibus Ecclesiis, magno loco-*  
*rum intervallo disjunctis, praesit cum sum-*  
*ma etiam in temporalibus potestate, eas*  
*omnes solerter, ac fructuose, & cum ani-*  
*marum sibi commissarum salute regere va-*  
*leat. Quo sane fit, ut ob Pastorum ab-*  
*sentiam, & curarum, quæ ad temporales*  
*ditiones pertinent, copiam, neglecta spiri-*  
*tuali diacesium cultura, nec Catholicorum*  
*mores, qui a veteri instituto deflexerint,*  
*corrigi, nec Ecclesiasticæ disciplinæ nitor*  
*redire.*

redintegrari, nec dogmata a Fide aliena extirpari, nec eorum veneno polluti homines ad Religionis Orthodoxæ veritatem reduci commode possint. Itaque, ne plurium Episcopatum in una persona coaceruatio, sacris alioquin legibus adeo invisa, quæ ex Apostolica auctoritate in cedificationem recte aliquando permittitur, perniciose cedat in destructionem, de consilio plurium Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium decernimus & mandamus, ut in posterum ei, qui uni jam præfit Ecclesias, non nisi cauſſæ cognitione præmissa, concedatur indultum eligibilitatis ad aliam: si vero hujusmodi indultum ex iusta pariter cauſſa concedendum videatur ei, qui jam duas regit Ecclesias, semper eidem indulto inseratur conditio, ut prædictam Ecclesiam, ad quam eum eligi contingat, non aliter possit obtinere, quam una, quam maluerit, ex prioribus dimissa. Tres denique obtinenti Ecclesias indultum eligibilitatis ad aliam nullo modo tribuatur. Enixe autem rogamus, atque obsecramus in Domino Romanos Pontifices Successores nostros, ut ipsi quoque memores sapientissimi moniti Tridentinorum Patrum in cap. 18. Sess. 25. de reformat. salubrem hanc moderationis normam in dispensationibus prædictis omnino servari current. Datum in Palatio nostro Quirinali die 5. Januarii 1731.

Sæc. XVIII. Præterea idem Pontifex sollicitus,  
A.C. 1731. ut Episcopis *Cathedralicum* ut vocant,  
rite persolvatur, die quinta Octobris  
modum in illius exactione servandum  
his verbis præscripsit: „Ut solutioni Ca-  
„thedralici consultum sit, nec tamen  
„judicarius ordo prætermittatur, sacra  
„Congregatio, a Sanctissimo Domino  
„nostro deputata, censuit, rem sic esse  
„temperandam, ut adversus eos, qui  
„illud solvere tenentur, si in mora fue-  
„rint, unica sufficiat citatio, cum præ-  
„fixione termini quinque dierum, an-  
„tequam decernatur expeditio man-  
„dati executivi, præmissa autem illa  
„citatione, possit etiam deinde in con-  
„tumaces ad ejusdem mandati execu-  
„tionem procedi, absque alia nova  
„citatione..”

## §. LIX.

*Scriptorum Religione Catholicorum  
opera & decessus.*

Fatalis hic annus illuxit non paucis  
ex Scriptoribus Catholicis: horum  
duntaxat quosdam recensemus, qui  
præ ceteris ad memoriæ meritum emi-  
nere videbantur. Ex his primus oc-  
currit Joannes Baptista Le Brun Rotho-  
magenfis, qui edidit harmoniam inter  
libros Regum & Paralipomenon, litur-  
gicum

gicum itinerarium Gallicum, annotationes in Usuardi Martyrologium & novam editionem Lactantii ex Codicibus manuscriptis. Obiit senio gravis Aureliae die decima nona Martii. II. Daniel de la Roque, qui ejurato Calvinii commento ad fidem Catholicam conversus scripsit notitias Reipublicæ literariæ, Anecdota in Regnum Caroli II. vitam Mezerayi, & Monita ad profugos Hugonottas: Adscribitur eidem libellus, seu vera motiva conversionis Abbatis Rancæi. Denique Joannes adversariorum sacrorum libros tres a Matthæo de la Rocque Patre suo conscriptos post ejus obitum evulgavit. Decessit Parisiis septuagenario major die quinta Septembris. III. Antonius Houdat de la Motte natione Gallus, qui vigimo primo ætatis suæ anno composuit drama sub titulo *Italus*, & quamvis tertio post anno oculorum usum penitus amississet, multas tamen elucubravit dissertationes, ob quarum præstantiam Academico præmio honoratus erat: Iliaden quoque Homeri in Gallicum idioma transtulit, & elegantem dissertationem præfixit. Edidit etiam per celebres Reflexiones in artem Criticam, fabulas novas, discursum de tragœdia, elogium funebre Ludovici XIV. & plura alia. IV. Angelus a Passione Rhe-

Sæc.XVIII.  
A.C. 1731.

Sæc. XVIII. Rhedonensis Carmelita, qui publici  
 A.C. 1731. juris fecit Parisiis suum *Pacificum*  
*S. Augustini Discipulum*, ubi de hæresi-  
 bus Pelagii & Conciliis eas damnantibus,  
 necnon de Semipelagianorum  
 erroribus, & de libertate agit tomis  
 duobus. Scripsit quoque tribus tomis  
 suum *Inquisitorem Canonum*, seu expo-  
 sitionem casuum conscientiæ ex regulis  
*Canonicis*, *Theologiam Patrum primo-*  
*rum sæculorum*, *Compendium Anna-*  
*lium Baronii* & nonnulla alia. Vivis  
 valedixit Rhedonis die tertia Julii an-  
 nos natus septuaginta duos.

Porro circa hunc annum obiisse  
 creditur Guilielmus Bessin Benedicti-  
 nus ex Congregatione S. Mauri, qui  
 posteritati reliquit animadversiones in  
 novum systema ultimi Paschatis D. N.  
 Jesu Christi a R. P. Lamy Presbytero  
 Oratorii excogitatum: illustravit etiam  
 eruditis notis Epistolas S. Gregorii Ma-  
 gni; scripsit quoque epistolam nuncu-  
 patoriam ad Normaniæ Clerum, quæ  
 novæ Conciliorum Normaniæ editioni  
 præfixa legitur: novam quoque edi-  
 tionem libri a Laurentio Bocheto du-  
 dum editi, cui titulus: *Decreta Ec-*  
*clesiæ Gallicanæ*, fieri curavit. Huic  
 adjungi potest Franciscus Le Texier  
 ex eadem Congregatione, qui tomum  
 decimum actorum Sanctorum Ordinis  
 S. Be-

S. Benedicti elucubravit. Menfe au- Sæc. XVIII.  
tem Aprili Madriti in Monasterio S. Mar- A. C. 1731.  
tini deceſſit celeberrimus P. Emanuel  
de Villarevel, qui librum de Tha-  
tologia Sacra octo volum. conscripsit.

### §. LX.

#### *Scriptores Acatholici hoc anno de- fundti, eorum opera.*

Longe plures ex Scriptoribus Aca-  
tholicis invida mors hoc anno Li-  
terariæ Reipublicæ subduxit; ex his  
primus est Jacobus Paulus de Gundling,  
e cuius calamo profluxit Historia de  
rebus gestis Henrici VII. Conradi V.  
Wilhelmi, Richardi, & Conradi III.  
Imperatorum, vita Friderici II. Joa-  
chimi I. & II. & Joannis Georgii Ele-  
ctorum Brandenburgicorum, Historia  
& origines Brandenburgenſium, &  
præfatio ad Pufendorffium de statu  
Imp. Germ. II. Joannes Georgius Joch,  
qui ad posteros transmisit dissertationes  
de Synodo Tremoniensi. de Patribus  
primitivæ Ecclesiæ, præcipue & spe-  
ciatim S. Ignatio non faventibus me-  
rito bonorum operum, Programmata  
de mirandis conceptionis & animatio-  
nis Corporis Christi, de notis veterum  
criticis in censendis Auctoribus, Pro-  
dromum Bibliothecæ politicæ, de Cle-  
mente

Sæc. XVIII. mente Romano & Irenæo non favente  
 A. C. 1731. Missæ Pontificiæ, de mortibus perse-  
 cutorum Joannis Baptistæ, de stola  
 alba Neophytorum in veteri Ecclesia,  
 de peccatis per participationem, de  
 Schola Alexandrina, de studio Verbi  
 Divini, præter alia quamplurima. III.  
 Ludovicus Carolus Dizinger, qui scri-  
 psit tractatum de his verbis: *Ego sum  
 Christus*, & notitiam de Eslingana re-  
 formatione Ecclesiastica. IV. David  
 Holzhalb, qui vulgavit disputationes  
 de dependentia creaturæ a Deo, exer-  
 citationes biblicas ad Job. 4. v. 5. de  
 spiritu ad invidiam non concupiscente,  
 de statuis non bonis ad Ezech. 20. Ha-  
 gogen ad pneumatologiam, & alia  
 nonnulla. V. Theodorus Hafe Calvi-  
 nianus, qui in lucem produxit oratio-  
 nem de felici literarum Sacrarum &  
 humaniorum connubio, de decreto  
 Imp. Tiberii circa Christam in nume-  
 rum Deorum adscribendum, de lapide  
 fundamenti, de tribus scitu necessariis,  
 de baptismo super mortuis, de aquis  
 hierichuntinis per Elisam conditis, de  
 Templo Oniæ Heliopolitano præter  
 alias dissertationes quamplurimas, quæ  
 eodem anno Bremæ in unum volumen  
 contractæ, fuerunt editæ sub titulo:  
*Dissertationum & observationum Sacra-  
 rum sylloge.* VI. Severinus Lintrupp  
 Danus,

Danus, qui vulgavit orationem de fe- Sæc. XVIII.  
 licitate ac prærogativa literaria Sæ- A.C. 1731.  
 culi XVII. specimen calumniæ papæo-  
 Calvinianæ in Augustanam Confessio-  
 nem invariata m. tractatum de poly-  
 mathia Scriptorum Sacrorum, & D. Pauli  
 de campis elysiis Paganorum, speci-  
 men Angliæ Lutherizantis, specimen  
 protheoriæ Theologicæ generalis, præ-  
 ter alia adhuc inedita. VII. Joannes  
 Schmid Lutheranus, qui edidit dispu-  
 tationes de Deo ut trino ex principiis  
 philosophicis non demonstrabili, de  
 Angelis, de liberis ob delicta parentum  
 non puniendis, de jure hominum in  
 bruta, de peccato originis, de brutis  
 hominum doctioribus, de quarta-deci-  
 manis, de philosophiæ in theologia usu,  
 an parentibus filios vendere liceat? de  
 habitu & insignibus Apostolorum Sa-  
 credotalibus, de cinerum in Sacris usu,  
 de probatione per aquam facta, de An-  
 gelis pusillorum, de religione Evange-  
 lica, de mystico Historiæ Jobi sensu &  
 alia quamplurima. VIII. Abraham  
 Wolf Lutheranus, qui scripsit disserta-  
 tiones de anima, de Elihu amicorum  
 Jobi optimo, de plenitudine Christiano-  
 rum ex plenitudine Christi, & alia  
 nonnulla. IX. Joannes Müller, qui  
 edidit tractatus de miraculis, de Deo  
 legislatore medico, de usu ratione que  
*Hist. Eccles.* Tom. LXXIII. Aaa ex

Sæc. XVIII. experimentorum in perficienda hi-  
 A. C. 1731. storia naturali, an prima formatio  
 in oculis viventium sit adscribenda  
 Deo? & alia potissimum physica.  
 X. Justus Rabener Lutheranus Præco,  
 qui prælo subjecit Dissertationes de  
 dæmonibus, de duratione & præsentia  
 rerum, & de poeseos subiunctis. XI.  
 Joannes Huebner, cui adscribuntur  
 tractatus de prudentia ex historiarum  
 lectione comparanda, programma de  
 prædantismo & galantismo, quæstiones  
 circa Geographiam Sacram, Hambur-  
 gica Bibliotheca historica, & dis-  
 sertationes de dilemmatibus politicis.

### §. LXI.

#### *Resuscitata Wormatiensium Luthe- ranorum dissidia contra Clerum Catholicum.*

Quamvis controversia, qua Wormatienses Lutherani Catholicis S. Vt-  
 ticum publice deferendi jus eripere mo-  
 liebantur, in favorem Cleri jam anno  
 hujus saeculi vigesimo septimo a Cæsa-  
 reo-Aulico Consilio fuisse decisa, ni-  
 hilominus iidem anno priori die vige-  
 sima nona Augusti, & vigesima sexta  
 Septembris Ratisbonæ ad *Corpus*, ut  
 vocant, *Evangelicorum* suas querelas  
 innovarunt, perinde acsi hoc *Corpus*  
 Cæsa-

Cæsareo Tribunali superius esset. Ex Sæc. XVIII.  
 ponebant autem, I. quod die vigesima A. C. 1731.  
 quinta Junii, qua Lutherani jubilæi  
 occasione puerorum institutio Cateche-  
 tica habebatur, quidam Episcopalis Fa-  
 mulus nomine Ziegelhauser Prædicantem  
 erroris convicerit, II. Quod Ca-  
 thedralis Ecclesiæ Concionator tam  
 Jubilæum, quam Lutheri doctrinam  
 e suggestu acerbis verbis infectatus  
 esset. III. Quod Clerici die 16. & 19.  
 Julii, item die octava Augusti Sacrum  
 Viaticum per Regiam Urbis plateam  
 publice ad infirmos accensis cereis, &  
 campanæ pulsu detulissent, comitan-  
 tibus illud plusquam quadraginta ho-  
 minibus alta voce preces fudentibus:  
 Proh scelus! & quod pejus est, qui-  
 dam Catholicus die octava Augusti  
 cuidam petulanti puero Lutherano, qui  
 tecto capite adstiterat, pileum excus-  
 fit. Quoniam vero, si publici ejus-  
 modi Religionis actus Catholicis per-  
 mitterentur, omni ferme die exin ori-  
 turæ & pertimescendæ forent rixæ &  
 tumultus, hinc ut Catholicis hoc Re-  
 ligionis exercitium inhiberetur, ex  
 mero tolerantiae studio Acatholicus  
 Wormatiensis Magistratus supplicabat.  
 Eandem næniam recantabat eodem  
 anno, simulque die vigesima quarta  
 Novembris per Notarium & Testes

Sæc. XVIII. contra hosce Religionis Catholicæ actus  
A. C. 1731 reclamabat: Ait Wormatiensis Clerus  
nomine sui Episcopi declarabat, se i s,  
quæ jam antea Acatholico Magistratui  
reposuisset, adhuc insistere, mirumque  
sibi videri, quod, cum Catholici per Cæ-  
faris sententiam in *possessorio* fuissent  
confirmati, ipse tamen Magistratus se-  
posita debita Cæsari reverentia recla-  
mare præsumeret: Continuata tamen  
Protestantium oppositione die septima  
Junii hoc anno decretum, ut ea, quæ  
Lutheranus Wormatiensis Magistratus  
novissime exposuisset, Electori Mogun-  
tino utpote Wormatiensi Episcopo *sub  
termino duorum Mensium* communicaren-  
tur, interim vero utraque pars in mu-  
tua concordia viveret, atque a con-  
vitiis, injuriis & altercationibus absti-  
neret. Mox tamen sequenti die de-  
cima septima Octobris ejusdem anni  
idem Magistratus Acatholicus datis ad  
Cæfarem literis exposuit, sibi perbene  
notum esse, quod Cæsarea sua Majestas  
die 28. Maij Anno 1728. Magistratum  
rehendisset, eo quod neglecto Impe-  
riali Tribunali apud alium incompe-  
tentem Judicem prætensum suum Re-  
ligionis gravamen non modo detulisset,  
sed & Wormatiensem Clerum de novi-  
tate Westphalicæ paci contraria insi-  
mulando, illum in antiquissimo S. Via-  
ticum

Sæc. XVIII.  
A.C. 1731.

ticum publice deferendi usu pertur-  
basset; se quidem hanc opinionem a  
Cæsareæ Majestatis animo eliminare  
conatum esse, oblata rei serie die quinta  
Novembris per suum Syndicum; ni-  
hlominus Clerum Cæsareo rescripto  
innixum, etiam Sacrum Viaticum sub  
Baldachino, præcedente Christi Cru-  
cifixi imagine, & genuflectentibus Ca-  
tholicis per omnes Urbis plateas de-  
portasse, inde vero graves tumultus  
esse pertimescados, & Lutheranos in  
perpetuum stabilita Religionis suæ pos-  
sessione turbando, hinc se supplicare,  
ut Cæsarea sua Majestas Augustanæ  
Confessionis Magistratum in suæ Reli-  
gionis libertate tueri vellet; notum  
enim esse, quod ipse jam Anno 1525.  
a religione Catholica ad Confessionem  
Augustanam transierit, & hi reforma-  
tores, eorumque posteri per hunc tran-  
sum ab omnibus Catholicæ Religionis  
ritibus, proin etiam publicæ Viatici  
circumgestatione (\*) absoluti fuerint;  
non autem probari, quod in anno nor-

A a 3 mali

(\*) Quis unquam Catholicorum Wormatienses Protestantes compulit, ut vel S. Vaticum rite Catholico circumferant, adorent, vel concomitentur? salva igitur sit illis ab hac Regula immunitas, simul tamen & salva sit Catholicis antiquissimi sui juris possessio.

**Sæc. XVIII.** mali Clerus S. Viaticum solemniter & **A. C. 1731.** publice ad infirmos detulisset (\*), si vero hujus facti possessio legitime demonstraretur, Magistratum esse paratum, illius etiam usum Catholicis concedere.

Cum autem Wormatiensis Clerus contra statum anni decretorii opponeret Statum pacis Badenis, hinc Magistratus Acatholicus hoc anno die trigesima prima Octobris *Corpus*, ut nominant, *Evangelicorum* implorabat, ut pacem Westphalicam hac ratione infringi non permitteret, & quod contra hujus pacis prohibitionem nulla possessio valere queat, declarari peteret, Querebatur etiam Magistratus contra Cæsareum decretum die 7. Junii emanatum,

(\*) Plurimis ante Lutherum saeculis hic ritus in omnibus Catholicis urbibus erat solemnis, universalis, ab universa Ecclesia approbatus, ab omnibus Orbis Christiani Principibus, qui ante Reformationis tempora omnes erant Catholico - Romani, magno Zelo conservatus & auctus, nec unquam interrupsus, nisi ob metum irreverentiae Sanctissimo Sacramento a fidei hostibus inferendæ; cum autem immemorialis possessio per violentum, & injustum metum non interrumptatur, nec ullum pactum juri legitime acquisito derogare intendat, hinc sequi videatur &c.

natum, quo utriusque parti motus ciere  
inhibitum. Exponebat insuper, publi- Sæc.XVIII.  
A.C. 1731.  
*cam circumgestationem S. Viatici* non posse  
referri ad mera adiophora, eoque  
sæpius Catholicæ in publica platea o-  
raffent, & in genua sua procubuissent,  
eiusmodi vero cultum adorationis a-  
perte principiis Evangelicæ Religionis  
repugnare (\*).

Verum ad hasce querelas respon-  
sum est, antiquissimam possessionem Ca-  
tholicis suffragari, & ea uti; per pa-  
cem Westphalicam non prohiberi, nec  
illam Protestantibus concedere jus in

A a a 4 Ca-

(\*) Quis de hoc dubitavit, non agitur  
de eo, an Catholicoram ritus cum Lutheri  
principiis concordent, per pacem Westphali-  
*cam* statutum quidem est, ut Protestantibus æque  
ac Catholicis salvum sit Religionis suæ exer-  
citium ibi, ubi in anno normali viguit, sic-  
ut autem Protestantes Catholicis suæ Reli-  
gionis exercitium turbare non censentur, si  
publice cantant, concionantur, Jubilea cele-  
brant &c. ita nec Catholicæ Protestantibus Re-  
ligionis ac conscientiæ libertatem infringunt,  
si ipsi antiquissimos suos ritus publice exer-  
cent; utraque enim pars remanet immunis  
a necessitate exercendi alterius partis ritus,  
quamvis illos ex P. W. præscripto toleret.

Sæc. XVIII. Catholicorum sacra antiquitus asserta,  
A. C. 1731. nec etiam Acatholicis suam Religio-  
 nem profitendi libertatem exinde tur-  
 bari, si tamen inde vel verbis vel factis  
 contumelia & injuria fuisset illata, id  
 non Catholic ritui, sed petulantiae  
 illorum imputari, qui non modo sine  
 debita reverentia, sed & cum con-  
 temptu & ludibrio sanctissimis mysteriis  
 adstant, cum vel domi manere, vel  
 eo tempore, quo S. Hostia circumfer-  
 tur, ad aliam plateam divertere pos-  
 sent. Nihilominus die decima tertia  
 Maij anno sequenti Magistratus Wormatiensis denuo Cæsaris aures pulsa-  
 bat, postulans, ut Catholic ad expen-  
 das litis damnarentur, & cautionem  
 de non amplius turbando præstare com-  
 pellerentur, perinde acsi non ipsi Ca-  
 tholici in antiqui sui ritus possessione  
 fuissent turbati: Præterea petebat Ma-  
 gistratus, ut Imperator suum decre-  
 tum, quo Anno 1728. die 28. Maij Ca-  
 tholicis antiquæ possessionis jus asser-  
 bat (\*), tanquam nullum, & sub ac-  
 ob-

(\*) Tenor hujus Cæsarei rescripti erat  
 seqvæns: „Cum satis comprobatum sit, quod  
 „Wormatienses Catholic ante & post Baden-  
 „sem pacem S. Viaticum in Ciborio publice  
 „per Sacerdotem raccheto & stola vestitum,

obreptitie obtentum declararet. Idem <sup>Sæc. XVIII.</sup>  
quoque, ut Corpus Evangelicum a Cæ- <sup>A. C. 1731.</sup>  
fare impetraret Magistratus, die de-  
cima sexta Maij a Ratisbonensibus Prin-

A a a 5 cipum

„præcedente ædituo, unacum lucerna & car-  
„panula per urbem ejusque portas sine con-  
„tradictione ad infirmos detulerint, proin  
„Parochi, qui populum e suggestu ad devo-  
„tionem excitarunt, nihil novi invexerint,  
„sed solummodo ad pietatem adhortati sint,  
„nec per hoc ullum aliud Religionis exer-  
„citium petierint, quam quod juxta docu-  
„menta Catholici ante & post pacem Baden-  
„sem habuerunt, hinc statuimus, ut Wor-  
„matiensis Clerus juxta summarissimam fatis  
„comprobataam possessionem S. Viaticum se-  
„cundum Religionis suæ ritum ad infirmos  
„deferendi in suo jure firmetur, & deinceps  
„a nemine turbetur, sed hoc jure tran-  
„quille frui permittatur &c. Magistratui au-  
„tem præcipiatur, ut deinceps Catholicos  
„ob publicam hanc circumgestationem, n-  
„liusque diuturnum usum injuste & sine  
„causa insimulare non ansit, perinde ac si no-  
„vitatem P. Westphalicæ contrariam, & pe-  
„riculosam invexissent; abstineat ergo Ma-  
„gistratus ab omni tumultu & obstatulo Ca-  
„tholicis opponendo &c.,

Sæc. XVIII. cipum Acatholicorum Legatis efflagi-  
A. C. 1731. tabat. Nec his contentus, in suæ  
caußæ defensionem libellum divulga-  
vit, cui titulus: *Palladium reformatio-  
nis Ecclesiasticæ in & a Civitate libera &  
Imperiali Wormatiensi Anno 1525. extra-  
ctum, indeque cum reliquis Religioni an-  
nexis juribus enata Immunitas a ritu pu-  
blice per eandem circumserendi S. Viaticum  
Augustanae Confessioni contrario, per  
transactionem Passavensem. subsecutamque  
Pacem Religiosam & Westphalico - Osnab-  
rugensem munita, per annum denique de-  
cretorum continuata, jam ab innovationi-  
bus contra prædictas sanctiones Imperii  
pragmaticas perpetuo valituras turbativo-  
attentatiis, indeque prætenso possessorio  
summarissimo irrefragabiliter vindicata.*  
In hoc scripto Auctor, Catholicos in  
possessione hujus ritus non fuisse, so-  
lidissime comprobat ex testimonio  
trium muliercularum, quæ dixisse fe-  
runtur, *hanc esse novitatem, nec ipsis Ca-  
tholicis acceptam*: Postea Auctor contra  
Wormatiensis Suffraganei declaratio-  
nem insurgens observat. I. Ipso in-  
scio & invito, a Parochis e suggestu  
fuisse promulgatum, quod deinceps  
S. Viaticum cum iisdem solemnitatibus,  
sicut in aliis Catholicorum Urbibus  
ita & Wormatiæ sit deferendum. II.  
Suffraganeum declarasse, deinceps  
S. Via-

S. Viaticum non per publicum forum, & plateas majores sed per minores esse deferendum: Ex his Auctor insert, quod Suffraganeus I. fassus esset, quod ceteræ publicationes ipso consciente & volente fuerint factæ, II. si Catholici semel jus antiquum habuissent per forum circumferendi S. Hostiam, nunquam Suffraganeus hoc jure cessisset: ita si nistre Auctor interpretabatur Suffraganei mentem, qua hic ad evitandum injuriæ S. Viatico inferendæ periculum, & ad placandam Acatholicon importunitatem, hunc ritum ad minores plateas restrinxit. Nec his contentus Author etiam audacter a Suffraganeo petiit, ut de hoc excessu a Parochis facto satisfactionem Acatholico Magistratui praestaret. Cum autem male ipsum haberet, quod Clerus demonstrasset solam Catholicam Religionem Wormatiæ ante Religionis dissidia floruisse, eamque per Religiosam, Passavensem & Westphalicam pacem adeo non fuisse labefactatam, ut potius firmata fuisset. Hunc ergo scopulum declinaturus asserebat, inde inferri, vel quod Urbs Wormatiensis adhucdum ex integro Catholica esset (\*) vel quod

(\*) Inferre debuisset, quod in Urbe Wormatiensi adhucdum apud Catholicos fides Catholica

Sæc. XVIII. quod ibi, ubi ante Reformationem so-  
A. C. 1731. litarium Exercitium Religionis Catho-  
 licæ viguit, hodie adhuc vigere  
 & restituui debeat (\*). His præmissis  
 Auctor ex Religiosa pace demonstrare  
 moliebatur, hanc circumgestationem  
 fuisse abrogatam, cum tamen nullibi  
 aliud sit statutum, nisi quod nullus Im-  
 perii Status violenter contra conscienc-  
 tiæ libertatem ab Augustanæ Confes-  
 sionis statutis vel ritibus abduci  
 queat, nec Augustanæ Confessioni ad-  
 diti in habita vel recuperata possessione  
 turbentur, sed ab omni persecutione juris  
 & facti perpetuo tuti sint ( Wormatiensis  
 Clerus Lutheranos in religionis suæ  
 possessione nunquam turbavit, nec circa  
 ullum suæ Religionis articulum juris  
 vel

---

tholica in suo robore intacta persistat, cum  
 ea per nullam pacem fuerit eliminata vel in-  
 fracta, sed duntaxat statutum, ut etiam op-  
 posita, si Anno 1624. ibi existit, etiam to-  
 leretur, & salva persistat in suis exercitiis,  
 non autem alterius, priorisque exercitia in-  
 terturbet, vel impedit.

(\*) In hac causa non agebatur de restituenda  
 Religione, sed de conservanda possessione &  
 jure antiquo exercendi actus Religionis exi-  
 gentis.

vel facti quæstionem instituit, sed ipse Sæc. XVIII.  
in antiquo suæ Religionis ritu non A.C. 1731.  
turbari vicissim petiit).

Post hæc Auctor Cleri rationes impugnare aggreditur: Ex his erat prima, ex actis publicis & ipsa rei evidētia constare, quod ante Religionis dissidium Wormatiæ sola religio Catholica viguerit, proin Catholici ante & post religiosam pacem in perpetua possessione illimitati exercitii Religionis Catholicæ quoad omnes actus fuerint, imo etiam postquam Magistratus & Ci-vium potissimi ad Lutheri castra defecissent, Monasteria tamen & sex Parochiæ in Religione Catholica proin in omnibus eidem annexis juribus constanter uti ante annum normalem sic usque ad hanc diem perseveraverint. Ad has rationes respondit Auctor, ex possessione illimitati exercitii non sequi, quod Catholici hodiecum habeant illimitatum Religionis suæ exercitium, secus Wormatiensis Urbs denuo in Catholica transmigraret, & pax Westphalica destrueretur. Attamen permaneat Urbs & potissimi Cives in tuto & quieto Religionis suæ exercitio, cui nihil derogatur, si vicissim Catholici in ea illimitati exercitii Religionis suæ possessione, quam in anno normali Monasteria, Ecclesiæ &c. habuerunt, tuto relin-

Sæc. XVIII. relinquuntur. Opponit tamen Auctor,  
A. C. 1731. non comprobari, quod in termino &  
die critico S. Viaticum publice fuerit  
ad infirmos delatum: - Verum id de-  
ferre competit Clero illarum Parochia-  
rum, hæ tamen in ipso termino & die  
critico Religioni Catholicæ addictæ fue-  
runt, proin annexum hoc religioni jus  
habuerunt, immerito ergo Catholici  
novitatis arguuntur; nam Pacis Arti-  
culus 5. §. 16. & 23. pro Catholicis  
Wormatiensibus statuit, quod Catholicorum  
conscientiam & caussam lædere, eo-  
rumque jus imminuere, prohibitum, & ubi  
Catholicis permissum, ut suum illud quod  
Venerabile appellant cum cereis, stola  
atque cantu per vias publicas ad ægrotum  
deportent, id porro faciendi esto facultas.  
Cum autem Catholici jam dudum per  
testes comprobassent, quod Wormatiæ  
Clerus non modo jus ita deserendi Via-  
ticum habuerit, sed etiam ipso factio  
detulerit, ad hoc respondit Auctor,  
quod in caussa Religionis ne quidem Romano-  
Catholicæ Laici (multo minus Clerici) con-  
tra Evangelicos in testes admittendi sint:  
Paucis multa . . . . Contra Catholicos  
nempe in caussa Religionis etiam tres  
fœminæ, & novem Cives Lutherani in  
testes omni exceptione majores admit-  
tendi sunt, repellendi vero contra Pro-  
testantes Moguntinus Elector ac Wor-  
ma-

matiensis Episcopus, ejusdem Suffraganeus, decem Parochi ac Canonici, totus Clerus, & tot alii testes jurati:

Sæc. XVIII.  
A.C. 1731.

Ceterum tanta importunitate Protestantes rem urgebant, ut tandem die sexta Octobris Consilium Aulico - Imperiale decerneret, quatenus circa S. Viatici gestationem omnia ad pristinum statum reducerentur, & neutra pars alteram contumeliis aut violentiis molestaret: Trevirensi tamen Electori, qui post Moguntini Electoris obitum Wormatiensis Episcopus feligebatur, ejusque Capitulo Cathedrali ad ejus preces concessum esset, ut actus possessorios de publica S. Viatici circumgestatione in anno decretorio usitata in ordine juris adducat, eidemque e Cancellaria ad notitiam communicaentur ea omnia, quæ Magistratus die vigesima Novembbris 1731. & sequentis anni die 29. Maij & secunda Octobris opposuisset. Verum neo-electus Wormatiensis Episcopus ac Trevirensis Elector die decima octava Maij Anno 1733. ad Cæfarem perscripsit, sperasse se, quod Aulico - Imperiale Consilium in re tanti momenti, & ubi non de limitato sed de illimitato Catholicæ Religionis exercitio ageretur, juris & æquitatis naturalis beneficium, ne scilicet parte inaudita & lite pendente quis damnetur,

Sæc. XVIII. netur, Catholicis indulgendum fuisset,  
A. C. 1731. eo majori titulo, quo communius idem  
beneficium cuilibet etiam de re levi &  
profana litiganti concedi soleret, com-  
perto autem præfati Consilii decreto  
se in arcto poni inter reverentiam Cæ-  
fareis decretis debitam, & inter obli-  
gationem læsæ Catholicorum parti com-  
missoque gregi suo succurrenti sibi im-  
positam: comprobata tamen Cæsaris  
æquitatem eo usque prævalere, ut  
caussas exponere ausit, ob quas Wor-  
matiensis Clerus se per præfatum de-  
cretum enormiter gravatum sentiret.  
Ex his primam inniti modo procedendi,  
quo Acatholici potenti Legatorum Pro-  
testantium patrocinio freti ea, quæ  
hac in caussa contra Clerum exposuissent,  
parti Catholicæ nunquam com-  
municare voluerint, etsi id facere per  
sententiam die septima & duodecima  
Junii iussi fuissent, & id ejus Præde-  
cessor ardenter petiisset, cum ergo ea,  
quæ Acatholici exposuissent, in nupero  
Consilii præfati decreto pro ratione de-  
cidendi allegarentur, omnino æquum  
fuisse, ut hæc allegata, utpote in mero  
facto consistentia prius Clero exhibe-  
rentur, præcipue cum Magistratus in  
suo palladio præter plurima falsa etiam  
temeritate pudenda Religionem Catho-  
licam, ipsum Cæarem, ejusque Con-  
silium,

filium, ipsamque Prædecessoris sui famam insequi & denigrare, Vicarium, Clerum, omnesque Catholicos multis & impiis criminationibus proscindere ausus fuisse, & tamen in locum promeritæ pœnæ hanc reportaret mercedem, ut de Clero, qui nunquam in mora, culpa vel contumacia fuisse, per præfatum decretum afflito triumphare, & insuperhabita Cæsaris sententia antehac lata, ritum, qui ibidem pro legitimo exercitio agnitus fuisse, nunc velut *innovationem* abrogatam jactitare valeret: hac ratione Catholicis loco illimitati Religionis exercitii, nunquam reformati, sed a Christiana Religione Wormatiæ introducta usque ad hanc diem illibate conservati, limitatum exercitium quoad hunc passum subrogari, Episcopalem etiam Vicarium impense supplicasse, ut ante expeditionem Cæfarei rescripti audiretur, eaque de caussa eidem oppositæ partis allegata communicarentur, id tamen die 14. Novembris omnino denegatum fuisse.

II. *Quoad materialia*, Episcopus Antipalladium a suo Prædecessore compositum Cæsari porrexit, ut inde luce meridiana clarius pateret, publicam circumgestationem S. Viatici tam in possessorio quam in petitorio, Statui Pacis Badensis, Rysvicenfis, West-Hist. Eccles. Tom. LXXIII. Bbb pha-

Sæc. XVIII.  
A.C. 1731.

Sæc. XVIII. phalicæ, Augustanæ, & Passaviensis  
 A.C. 1731. fundari, hinc Episcopus supplicabat,  
 ut Cæsar in manifesta hujus juris pos-  
 sessione Catholicos tueri vellet, eo po-  
 tissimum nomine, quod ipsa Cæsarea  
 sua Majestas die 20. Martii 1722. in hac  
 caussa declarasset, se quidem Prote-  
 stantibus sine Religionis discriminé jus  
 dicturum, ipsis tamen, eorumque sectæ  
 addictis contra clarum tenorem pacto-  
 rum publicorum, & pacis decretorum,  
 aliarumque fundamentalium Imperii  
 legum per artificiosas eorum detorsi-  
 nes, uti hucusque quasi in morem de-  
 duxisserent, nihil concessuram, minus  
 vero eorum minas curaturam &c.

Porro Antipalladii, quod Episcopus  
 Cæsari porrexerat, inscriptio erat hæc:  
*Antipalladium nullatenus reformati, nec  
 inde noviter enati, sed cum omnibus an-  
 nексis ab origine Christianismi usque ad hæc  
 tempora in interrupta possessione vel quasi  
 perpetuo conservati, illimitati & liberrimi  
 exercitii Religionis Catholicæ, in specie vero  
 publicæ deportationis Sacratissimi Viatici  
 ad ægrotos in antiquissima Sede Episcopali,  
 Civitate Wormatiensi.* In hoc scripto  
 Author Wormatiensis Magistratus Aca-  
 tholici palladium confutaturus totum  
 illius tenorem ad hasce tres quæstiones  
 restringit. I. An Regulariter contro-  
 versiæ Religionis constituere possint  
 objectum summarissimi. II. An idem  
 quo-

quoque Summarissimum obtineat in Hypothesi, & quidem ita, ut in eodem Episcopatus manuteneri, & contra solam vero Civitatem inhibendo procedi potuerit, & debuerit. III. Cui ex partibus assistant instrumenta Pacis Westphalicæ, Augustanæ, & Passaviensis? Ad primas duas quæstiones Auctor respondet affirmando, & allegatis suis decidendi rationibus oppositas dissolvit: Ad tertiam luculenter declarat, omnia hæc instrumenta Catholicis plene suffragari.

Ceterum prolixioris hujus Antipalladii Analyſis Elector ac Episcopus edi curavit, in qua demonstratum, infirmum omnino esse Lutherani Magistratus argumentum palmare, scilicet. Possessorum in Religionis rebus non valere, cum tamen ipsem et Magistratus suæ cauſæ æquitatem comprobare molitus effet *ex possessione immunitatis a cultu S. Eucharistiæ deferendo*, & ideo Clero nullam hac in cauſa possessio nem suffragari posse contuleret, quia Wormatiensis Senatus Catholicæ Religionis exercitium ibi reformatum, & hæc reformatio per pacis præcipue Westphalicæ decreta tale robur obtinuerit, ut Clerus *in vim ejusdem pacis ad prefatum cultum restitui non possit*, nisi Clerus exceptionem a Regula, scilicet Anno 1624. hujus cultus usum ac

Sæc. XVII. exercitium viguisse demonstret. Ad  
A. C. 1731. enervandam hanc Magistratus Wormatiensis cavillationem Auctor analysis demonstrat, falsissimum esse, quod Religionis caussæ possessorum non admittant, eoquod ex quotidiana praxi, in Cæsareis Curii usitata, & ex plurimis Imperii & juris sanctionibus constet, possessorem tam in causa Religionis quam civili in possessione sua tamdiu non turbari, donec ille, qui ipsum vel via juris vel facti illa dejicere meditatur, existimat suum jus legitime prosecutus fuerit: multo magis ergo Cleri Wormatiensis possesso censeatur efficacissima, eoquod ab immemoriali tempore usque in hodiernam diem Venerabile ritu Catholico & publice per omnes Urbis plateas, in ipsum quoque suburbium ad infirmos deportatum esse quamplurimis juratis, ac ætate sexagenariis, septagenariis imo & octogenariis testibus comprobetur. Suffragetur quoque Pax Badensis, quæ a Cæsare, Augustanæ Confessionis Principibus, toties quoties convenit (ut novissime primum in Bipontina Religionis caussa) pro norma esset habita: Faveat etiam Pax Rysvensis, per quam in locis Romano Imperio restitutis, ad quæ præcipue spectat Wormatia, Religionis exercitium in statu, quo tunc erat, fuisse restitutum: Nullatenus autem obesset Pax

Pax Westphalica, Augustana & Paf-  
saviensis; quamvis enim Wormatiensis  
Senatus cum potissimis Civibus a ve-  
teri Religione ad Lutheri signa descir-  
verit, hæc tamen sola *personalis* muta-  
tio Religionis dici nequeat *reformatio*;  
ad hoc enim necesse fuisset, ut Magi-  
stratus Wormatiensi Clero, & ceteris  
Catholicis (uti in aliis Urbibus & Sta-  
tibus fecere) Religionis suæ exercitium  
vel penitus inhibere, vel saltem non  
ita, uti antea, concedere debuisset;  
cum autem ibi Catholica Religio Lu-  
theri tempore in eodem vigore, quo  
ante Lutherum & prætensam refor-  
mationem erat, & qualiter in locis ex in-  
tegro Catholicis exercetur, usque ad  
hodiernam diem relictæ fuerit, & om-  
nes cultus externi sine ulla exceptione,  
immutatione & contradictione apud  
Catholicos, & in Ecclesiis omnibus  
fiant, inde deducendum sit. I. Quod  
in hisce pacis instrumentis stabilitum  
jus reformandi exercitium Religious  
contra Wormatienses Catholicos nun-  
quam exercuerit. II. Quod Wormatiæ  
Religionis Catholicæ exercitium  
per pacem Westphalicam ad Annum  
1624. *restitui* non potuerit; ubi enim  
nulla destitutio, ibi & nulla *restitutio*,  
proin illi, qui tam Wormatiæ quam in  
aliis locis, ubi Lutherani nullam re-  
ligionis reformationem invexere,

Sæc.XVIII.  
A.C. 1731.

Sæc. XVIII. in religione Catholica perseverarunt,  
 A.C. 1731. ea vi ejusmodi pacis adeo non sit abo-  
 lita, ut etiam in illius illimitato exer-  
 citio sine restrictione ad certum annum  
 vel diem solemnissime confirmata fue-  
 rit: Dato etiam, sed non concessio,  
 quod post pacem Passaviensem & Au-  
 gustanam Wormatiæ ejusmodi refor-  
 matio fuisset facta, tunc sequeretur,  
 quod non Catholici, sed Senatus pro-  
 bare teneretur statum Anni 1624. &  
 qualiter circa controversam quæstionem  
 tunc res acta fuisset; Catholici enim  
 per antiquam hujus juris possessionem,  
 notorie constituti, & Imperiali decreto  
 firmiter stabiliti pro se juris præsum-  
 ptionem haberent, proin a dicti anni  
 usum probandi onere exempti forent.

Si tamen, prosequebatur Auctor,  
 Catholici nihilominus annum decreto-  
 rum probare adstringerentur, non re-  
 quireretur, ut id *continue*, aut *exerci-*  
*tium actualē* probaretur, sed disconti-  
*nue*, & quoad exercitium *habituale*, id  
 est, quod vel data occasione, vel prout  
 necesse vel congruum erat, S. Viaticum  
 ritu Catholico ad infirmos fuerit de-  
 latum, Clerus autem semper illud ita  
 deferendi *juris* habuerit; quod omni du-  
 bio caret; cum enim etiam ante, in &  
 post annum decretorum Clerus om-  
 nesque Catholici proin tota Worma-  
 tiensis Ecclesia immutatam habuerit  
 Reli-

Religionem, sequitur, quod etiam <sup>Sæc. XVIII.</sup>  
plene habuerit omnia jura Religioni <sup>A.C. 1731.</sup>  
annexa, & Episcopus per suum Vica-  
rium in *externis* hisce ritibus pro libitu  
fine omni juris antiqui præjudicio ali-  
quid immutare etiam post pacem West-  
phalicam libere valeat, & Magistratus  
contentus esse debeat, quod ei (citra  
tamen vel minimum antiquæ Religionis  
præjudicium) novæ Religionis as-  
sumptæ exercitium per pacem West-  
phalicam fuerit assertum.

Adversus hoc Antipalladium Aca-  
tholicus Magistratus Wormatiensis scri-  
ptum vulgavit, in quo Author queri-  
tur, I. quod Antipalladii Author stylo  
mordaci usus sit, eoque caussæ dissiden-  
tiam demonstrarit II. quod ipsum  
*factum* Reformationis in libera Civitate  
Wormatiensi inventæ negarit, & *jus*  
reformandi eidem Civitati competens  
in dubium vocarit, proin pœnas in  
eos, qui sanctionibus Imperii pragma-  
ticis contraveniunt, sanctitas incurre-  
rit: Postea asserit Magistratus, Cle-  
rūm ibi fateri, quod nullum *actuale*  
exercitium publicæ deportationis S. Via-  
tici ad ægrotos in Anno decretorio  
1624. habuerit, cum tamen hic ter-  
minus in omnibus Religionis contro-  
versiis inter Catholicos & Protestantes  
exortis unica Regula sit. Forte Ma-  
gistratus longe consultius probasset.

**Sæc. XVIII.** quod Clerus Wormatiensis Anno 1624.  
**A. C. 1731.** *jus* non habuerit S. Viaticum publice  
deferendi: Si forte toto illo anno nul-  
 lus ex Catholicis tam periculoſe decu-  
 buiſſet, ut illam S. Viatico munire ne-  
 cessé fuiſſet, vel aliqui repentina morte  
 obruti eo muniri non potuiſſent, vel ur-  
 gens necessitas aut prudens Lutherani  
 insultus vel injuriæ metus aut aeris  
 temperies S. Viaticum occulte deferre  
 suauiſſet, aut Parochus ob justas cauſas  
 ita fieri disposuiſſet: Quis ob de-  
 fectum exercitii actualis anno decreto-  
 rio ex ejusmodi cauſis emergentem  
 jus ad hunc actum esse deperditum  
 dicet? An non ob nullam ex his cauſis  
 eo anno intermissum fuiffe hujus actus  
 exercitium, cum res sit facti, probare  
 incubuiſſet potius parti neganti, quam  
 antiquo juris sui possessori? Qua ratione  
 Magistratus probare potuiſſet, quod Pa-  
 rochi illo anno S. Viaticum publice & so-  
 lemniori cum ritu ad ægrotos deferre, ex  
 Religionis ſuæ iuſtituto obſtricti fuiffent,  
 cum illis ſemper integrum fit, ex justa  
 cauſa illud minus ſolemniter deferre,  
 uti paſſim ruri contigit, in actibus au-  
 tem liberae voluntatis certe omiſſio ali-  
 quoties interveniens non tollit  
 jus ad actum &c.





# INDEX TOMI LXXIII.

## A.

*Advocati Parisienses contra Officium S. Gregorii VII. reclamant*, 112. Regis edicto de acceptanda Constitutione *Unigenitus* se se opponunt, 249 eorum liber impugnatur, 470 coram Rege discutitur, 471 ab Archiepiscopo Parisiensi damnatur, 476 ad Parliamentum appellant, 477. *Albanus Alexander* conclave instruere iubetur, 262.

*Albertus Dux Ottinganus*, sine prole mascula decedit, 718. lis circa successuum, 718.

*Alexander Sigismundus Princeps & Episcopus Augustanus Cæsarem* rogat, ut Emigrantes in Urbem admitti inhibeat, 600.

*Aldobrandinus Alexander a Clemente XII. Romana Purpura* decoratur, 361.

*Andreas S Corsinius ex Ord. Carmelitarum Episcopus*, ejus festum ad ritum duplum pro universa Ecclesia elevatur, 720.

*Angelus a Passione Carmelita*, ejus scripta & deceffus, 733.

INDEX TOMI LXXIII.

- Ansideus* Marcus Antonius Cardinalis, ejus  
elogium & obitus, 333.  
*Antonius Farnesius* Parmæ Dux moritur,  
456. 714. bellum ob successionem, 459.  
*Appellatio* ad Concilium Generale a decre-  
tis PP. est frivola, 79.  
*Armenorum Patriarcha* anathema contra  
Leonem Papam delet, 702.  
*Asyli* jura moderantur, 153.  
*Auffsesius* Baro Carolus moritur, 310. fi-  
lium suum in Religione Catholica edu-  
cari petit, 310. Auffsesius Christophorus  
defuncti Caroli Frater Nepotem suum  
sub cura Theodorici Auffsesii Canonici  
educari studet, 311. a Matre abductum  
a fuga eripit, 312. Mater Filium re-  
petit, 312. 313. Christianus Auffsesius  
a Cæsareo Consilio Nepotem Matri re-  
stituere jubetur, 315. suas rationes ex-  
ponit, 316.  
*Augusta Vindelicorum*, controversia Magi-  
stratus Catholici cum Acatholico ob  
emigrantium receptionem, 590. vid.  
*Emigrantes.*  
*Aurelianensis* Episcopus indignæ Sacra-  
menta denegat, 485. propterea a Parlamento  
vexatur, 486. reclamat contra Parla-  
mentum, 486.  
*Auria*, vide *Doria.*
- B.
- Baptismus*, infantes ex integro non natos  
non baptizant Lutherani in Silesia, 96.  
pro-

INDEX TOMI LXXIII.

- propterea a Regimine redarguuntur, 97.  
fese defendunt, 97. eorum rationes  
refelluntur, 98. eos Baptizare juben-  
tur, 101.
- Barbadicus* Joannes Franciscus Cardinalis,  
eius mors & elogium, 328.
- Barbarinus* Cardinalis in Papam expetitur,  
274. favet vaticinium, 274.
- Barchman* Wuyters Corradius Joannes  
Ultrajectensis Archiepiscopus Officium  
S. Gregorii VII. recitari prohibet, 124.  
P. Courayerum non recipit, 127.
- Belgæ Fœderati* Officium S. Gregorii VII,  
recipi prohibent, 122. edictum S. Sedi  
& Sacerdotibus Catholicis injuriosum  
edunt, 415.
- Benedictus XIII.* Pontifex gaudium suum  
ob Comaclum restitutum Cardinalibus  
denuntiat, 1. ejus humilitas, 41. ejus  
Constitutiones, 18. litem circa Monar-  
chiam Siculam componit, 19. Jubil-  
læum indicit, 20. P. Courayeri libros  
damnat, 20. edictum Polonicum juris-  
dictioni Ecclesiasticæ adversum abro-  
gat, 21. P. Courayeri, aliorumque li-  
bros proscriptit, 20. 24. plures Beatos  
Sanctorum Albo adscribit, 25. ejus  
lætitia ob Noaillii palinodiam, 36. Or-  
dinem Equestrem S. Georgii confirmat,  
101. Officium & lectiones de S. Gre-  
gorio VII. Papa præscribit, 103. magni  
propterea motus in Galliis excitantur,

INDEX TOMI LXXIII.

104. Franciæ Præsulum contra has lectiones reclamantium instructiones damnat, 108. ipsum hoc Pontificis Breve a Parisiensi Parlamento impugnatur, 110. ejus ausus reprimit Pontifex, 113. Courayeri dissertationem & Apologiam proscribit, 127. Beneventum proficiscitur, 130. ejus pietas, 131. Nationalem Synodum celebrare præpeditur, 132. plures in Sanctorum Canonem refert, 132. Cardinales creat, 147. variæ ejus Constitutiones, 148. noluit Sacerdotes unacum laicis ad triremes damnari, 149. conventus augeri non vult, 149. a Jubilæi gratia appellantes Gallos excludit, 149. Civium quorundam votum commutat, 150. explanat jurisdictionem Episcoporum in Monachos delinquentes, 151. Asyli jura moderatur, 153. ægrotat & moritur, 253. quænam typis ediderit, 254. ejus gesta in Pontificatu, 255. Eadem succedit Laurentius Corsinius Cardinalis, vid. Clemens XII. Benedicti Constitutiones, 263. S. Petrum Forreum Beatorum Albo inferit, 362. confirmat Carmelitarum decretum de sequenda D. Thomæ doctrina, 363.

*Benedictus XIV.* ejus judicium de falsis Parisiis miraculis, 519. & de Vampyris, 540.

Bene-

INDEX TOMI LXXIII.

- Beneventanus* Archiepiscopatus, Cosciæ eripitur & Sinibaldo Doriæ traditur, 655.  
quidam Canonici Cosciæ adhærent, 659.  
cum Neapolitano Pro-Rege ob immunitatem læsam colliditur, 682.
- Bentivolius* Cardinalis obstat electioni Imperialis, 268. & Zondadarii, 270. & Corradini, 273.
- Beffin* Guilielmus Benedictinus ex Congregatione S. Mauri, quænam scripta reliquerit, & de ejus obitu, 734.
- Bianchini* Franciscus ejus opera & obitus, 179.
- Bichius* Vincentius a Clemente XII. Pontifice Romana Purpura honestatur, 696.  
ejus fata & reconciliatio cum Papa & Rege Lusitano, 697.
- Bierling* Fridericus, moritur, quænam scripserit, 35.
- Bipontinus* Dux, vid. *Gustavus*.
- Bissy* Cardinalis exulare jubetur, & quare, 704.
- Blockwall* Antonius, quænam scripserit & quando mortuus sit, 398.
- Bocquillaud* Lazarus, ejus obitus & opera, 33.
- Bodman* de Rupertus Campidunensis Princeps Abbas moritur, succedit Baro de Meldegg, 15.
- Bois du Guilielmus* Cardinalis, eidem quidam liber falso adscribitur, 410.

*Bon-*

INDEX TOMI LXXIII.

- Boncompagnus* Jacobus Cardinalis, ejus obitus & elogium, 692.  
*Bonneflattus* Præco a Cæsare ob suas blasphemias punitur, 411.  
*Boyer Abel* ejus opera & mors, 184.  
*Brun le Joannes Baptista*, moritur, quænam scriperit, 732.  
*Brun le Petrus Oratorii Presbyter* relictis pluribus scriptis moritur, 163. ejus controversiæ, 164.  
*Budæus Joannes*, ejus lucubrationes & decessus, 184.  
*Burdigalense Parlamentum*, vid. *Parlamenta*.  
*Burghesius Franciscus* a Benedicto XIII. Cardinalium Collegio adscribitur, 147. C.  
*Calvinistæ Heidelbergenses*, vide *Huet*. Genevenses ob injuriosa scripta redarguuntur, 95. Calviniani libri in Galliis comburuntur, 287.  
*Cardinales* a Benedicto XIII. creantur, 147. Sede vacante quosdam Præfules custodiæ dari præcipiunt, 261. lis circa successionem in Decanum S. Collegii deciditur, 721.  
*Carmelitarum Ordo immotæ doctrinam D. Thomæ* sequitur, 363. circa divisionem Provinciæ Neapolitanæ disponitur, 722.  
*Carolus Albertus Bavariæ Elector* Ordinem Equestrem instituit, 101.  
*Carolus Austriæ Archidux* Lutheranis in Stiria & Carinthia sectæ libertatem concedere cogitur, 544. 545. Ca-

## INDEX TOMI LXXIII.

**Carolus Emanuel** Victoris Sardiniae Regis  
Filius in Regem proclamatur, 376.  
Taurinensem Academiam reformat, *ibid.*  
Waldenses haereticos coercet, 377. Pa-  
trem suum custodiæ dari jubet, 648.  
suam agendi rationem coram Papa ven-  
dicat, 650. ejus contentio cum Papa,  
667.

**Carolus VI.** Imperator severum promulgat  
edictum contra Pietistas, 405. Prædi-  
cantes convitiatores castigat, 411. ar-  
mam & Placentiam ceu Imperii feudum  
a Farnesio agnosci petit, 426. Cæsaris  
jus demonstratur, 427. de eo disponi-  
tur in eventum mortis Ducis Farnesii,  
428. Carolo Hispaniae Infanti uter-  
que Ducatui afferitur, 439. hanc in rem  
diploma edit, 443. födere cum Hispa-  
nis inito hoc jus Carolo Infanti afferit,  
454. Comitem Stampa cum militibus  
ad capiendam possessionem immittit, 458.  
fua insignia affigi curat, 465. in Vam-  
pyrismi veritatem inquire jubet, 528.  
Salisburgenses rebelles ad obsequium  
revocare nititur, 565. Ratisbonenses  
Lutheranos monet,, ne Salisburgenses  
ad defectionem sollicitarent. 567. Ra-  
tisbonensium literas accipit, 567. in suo  
responso eis petitam localem Commis-  
sionem denegat, 586. Emigrantium ad-  
missionem prohibere rogatur, 600. Se-  
natus Acatholici accusationes excipit,  
601.

INDEX TOMI LXXIII.

601. Catholicorum vindicias audit, 603.  
Archiepiscopum hortatur, ut etiam rebellionis capita in libertatem afferat, 639.  
repressalia adhiberi prohibet, 639. Kauff-  
burensem civem ad fidem Catholicam  
reversum protegit, 685. aliqua Prote-  
stantibus Hungaris indulget, 707. quæ-  
nam in caussa Wormatiensi egerit, 744.  
**Caoolus Infans Hispaniæ**, eidem successio  
in Parmam & Placentiam afferitur, 443.  
454. in Italium deducitur, 458. ei Tu-  
tores constituuntur, 458.  
**Carracciolum Innicus Cardinalis**, ejus obi-  
tus & elogium, 349.  
**Catharinettus Sorbonæ Doctor** ob pertina-  
ciam a Facultatis gremio excluditur,  
187.  
**Cathedraticum**, quomodo sit exigendum,  
732.  
**Caylus Carolus Antissiodorensis Episcopus**  
contra Officium Gregorii VII. reclamat,  
106. Parlamenti opem implorat, 109.  
111. apud ipsum Franciæ Regem que-  
ritur, 117. a Clero & Archiepiscopo  
Parisiensi hoc Officium suppressi petit,  
120. probrosas literas ad Cleri Galli-  
cani comitia mittit, 288. a Clero re-  
darguitur, 289.  
**Celsonensis Universitas** in Hispania auctori-  
tate Pontifícia erigitur, 369.  
**Centgrafius Lutheranus filios derelictos ex-  
ponit**, 304. hi in Religione Catholica  
edu-

INDEX TOMI LXXIII.

educantur, 309. inde motus a Lutheranis concitantur, 306.

**Christianus Comes** Bückeburgo - Lippensis repudiata uxore aliam dicit, annullato priori matrimonio, 17. moritur, *ibid.*

**Christianus Ulricus** Wirtenbergico Oelsensis Dux ad fidem Catholicam revertitur, 683.

**Christophorus Franciscus de Hutten** Heripolensis Princeps ac Episcopus moritur, 157. ejus elogium, *ibid.* Successit Fridericus Carolus Comes de Schönborn Coadjutor Bambergensis, 159.

**Chavignyus Dionysius** Senonensis Archiepiscopus moritur, 381.

**Cienfuegos Cardinalis** Cosciam Cæsaris patrocinio haud fulciri afferit, 267. obfistit electioni Cardinalis Portiæ, 272.

**Clarke Samuel**, moritur, ejus scripta, 184.

**Clemens XII.** antea Laurentius Corsinius in Papam eligitur, 274. Clemens vocatur, 275. ejus gesta ante Pontificatum, 276. inauguratus fibimet Ministros elit, 281. Nepotes negligit, 282. populum sublevat, 283. Bullæ revocationem Salisburgensi Archiepiscopo denegat, 284. Cardinales creat, 361. Constitutiones edit, 364. immunitatem Ecclesiasticam restringit, 366. Parmam & Placentiam ceu feudum Sedis Apostolicæ propugnat, 428. Cæfarem de-

Hist. Eccles. Tom. LXXIII. CCC hor-

hortatur, 433. contra dispositionem factam protestatur, 434. denuo sese opponit, 450. in Consistorio desuper queritur, 453. Parmæ possessionem accipere molitur, 459, a Cæsareis præpeditur, 460. jus suum édita Constitutione defendit, 460. Carolum Infantem Romam venire rogat, 466. Montpeffulani Episcopi edictum damnat, 495. Parisii vitam proscribit, 500. Victorem Amadeum Regem a suo Filio captum fuisse reprobat, 650. dissidium cum Lucernensibus componit, 651. in Coisciæ Cardinalis delicta inquiret, 651. inhibet, ne a Palatio Vaticano discederet, 562. ejus Domesticos aliosque complices custodiæ dari præcipit, 652. Judices in hac caussa constituit, 653, sententiam in eum latam temperat, 654. Beneventano Archiepiscopatu eum exuit, 655. concordiæ pacta inter ejus Prædecessorem & Regem Sardiniae irritat, 667. & quare? 669. alia pacta proponit, 670. non auditur, 671. contra attentata reclamat, 672. judicii acta in Coisciæ instrui jubet, 658. ejus bona & redditus apud sequestrum deponi præcipit, 659 Romam reversum in custodia detineri, 661. & saepius examinari mandat, 662. latam in eum sententiam discutit. 665. complices plecti jubet, 666. controversiam cum Sardiniae Rege

Rege componit, 667. Corforum tumultus sedare nititur, 674. dissidium cum Lucensibus tollit, 678. injuriam Oratori Polono illatam reparat, 679. Hispanam immunitatem aufert, 681. Sicarios plecti jubet, 682. Cardinales creat, 696. cum Lusitano Rege reconciliatur, 697. quasnam conditiones reconciliationis init, 698. Bichium in gratiam recipit, 699. Corsinium Seminarium pro Græcis juvenibus erigit, 700. aliud pro Sinensibus & Indis, 700. Capucinos Missionarios Tiletum ablegat, 701. Copthorum miseriis subvenit, 701. eorum Patriarcham demulcet, 702. Delphino sacratas fascias submittit, 702. Gallicas merces invehi vetat, 703. propterea Avenionense commercium intercluditur, 703. quasdam edit Constitutiones, 720. litem circa vacantem Decanatum S. Collegii dirimit, 721. exemptiones restringit, 722. Conventum S. Sabinæ Magistro Generali subjicit, 723. Divisionensem Ecclesiam in Cathedralem evehit, & Lingonensi Episcopo subtrahit, 724. Episcopatum pluralitatem in una Persona restringit, 727.

*Colaldo* Comes nomine Cæsaris Cardinales in comitiis alloquitur, 264.

*Collicola* Carolus Cardinalis, ejus obitus & elogium, 354.

INDEX TOMI LXXIIIL

- Colonienfis* Universitas Parisinæ ob acceptationem Constitutionis gratulatur, 221.  
*Comatensis* Urbs S. Sedi a Cæsare restituitur, 1.  
*Comitia Sacra* post Benedicti XIII. obitum, 263. Cleri Gallicani, 288.  
*Comitibus* de Bernardus Maria ex Ordinis Benedictinorum Cardinalis in Papam a nonnullis expetitur, 270. ejus mors & elogium, 345.  
*Concilium Monasteriense*, 395.  
*Confraternitas* de bona morte erigitur, 152.  
*Congregatio Indicis* quosdam libros proscriptit, 24. 155. librum contra Regalia S. Sedis damnat, 410.  
*Constitutio Unigenitus*, vid. *Sorbona*.  
*Convulsionistæ* vid. *Parisius*,  
*Cophti*, magnas pecuniarum suppetias a Papa recipiunt. 70t. unacum Patriarcha a schismate recedunt, 701.  
*Cordona Margarita Sanctorum Albo infertur*, 25.  
*Corradinus* Cardinalis in Papam expetitur, 273. obiit Bentivolio Cardinalis, ib. hunc honorem deprecatur, 274.  
*Corfinius Laurentius* Cardinalis in Papam eligitur, 274. vid. *Clemens XII.* Nerius ejus Nepos Purpura honoratur, 361.  
*Corfi* contra Genuenses seditionem movent, 674. Reconciliationis conditiones præscribunt, 675. suos armant, 676. suum Sta-

INDEX TOMI LXXIII.

Statum Pontifici offerunt, at repulsam ferunt, 677. cæduntur, 678.  
*Coscia* Nicolaus Cardinalis ob malas artes suspectus, 262. ejus æconomus custodiæ datur, *ibid.* ejus palatum diripitur, 263. Roma excedit, *ibid.* ad comitia venire jubetur, 266. advenit armatus, 267. ejus bona detineri jubentur, 267. in eum inquiritur, 651. Roma excedere prohibetur, 652. ejus domestici custodiæ dantur, alii fuga elabuntur, 563. sententia in eum pronuntiatur, 654. Archiepiscopatum Beneventum sponte dimittere rogatur, 654. eo publice privaturn, 655. se vindicare nititur, 655. Neapolin profugit, 656. ibi minus benigne excipitur, 657. Romam citatur, 658. ejus redditus intercipiuntur, 659. Archiepiscopatu exuitur, 659. se per Advocatum defendit, 663. Romam revertitur, 660. capitur, 661. rigide examinatur, 662. in eum sententia pronuntiatur, 663. ea ipsi prælegitur, 665. ad arcem S. Angeli captus abducitur, 666. ab excommunicatione absolvitur, 666. ejus complices puniuntur, 667.

*Courayerus* Petrus, ejus libri Romæ dannantur, 20. a suis Superioribus reprehenditur, 126. in Angliam aufugit, 127. ejus dissertatio & apologia a Papa proscribitur, 127.

INDEX TOMI LXXIII.

**Cozza** Laurentius Cardinalis ejus merita,  
opera, & mors, 137.

**Crescembene** Joannes Canonicus, ejus opera  
& deceffus, 32.

**Croysi** Carolus Joachimus Montpeffulanus  
Episcopus contra officium S. Gregorii  
VII. instructionem Pastoralem edit, 107.  
ad Regem desuper scribit, 107. ejus e-  
pistola a Clero Gallicano examinatur,  
292. contra illum potestatur, 294. con-  
tra hunc Episcopum Clerus apud Regem  
perorat, 294. hanc orationem confutat,  
305. ejus epistolæ impugnantur, 475.  
ejus edictum Romæ proscribitur, 495.

**Cusanus** Augustinus Cardinalis, ejus vita,  
elogium & obitus, 357.

**Cybo** Camillus a Benedicto XIII. Romana  
Purpura decoratur, 147.

D.

**Daniel** Gabriel Jesuita, ejus opera & obi-  
tus, 27.

**Decanus** S. Collegii Cardinalium, quis sit,  
si Decanatus vacat, 366. hæc contro-  
versia rursus deciditur, 721.

**Desirand** Bernardus, ejus fata, 28. ejus  
mors & lucubrationes, 33.

**Dissidentes**, vid. *Poloni*.

**Divisionensis** Ecclesia in Cathedralem evehi-  
tur, 724. & ob quas caussas, 725. hu-  
jus Urbis merita, 725. a Lingonensi  
Diæcesi separatur, 726. Monachi S.Ben-  
igni Canonicos Cathedrales præce-  
dunt, 726. Dixin-

INDEX TOMI LXXIII.

*Dizinger* Ludovicus Carolus, ejus opera & lucubrations, 736.

*Dolmans* Matthæus Ord. FF. Præd. quænam scripserit, & quando obierit, 389.

*Doria* Sinibaldus nominatur Archiepiscopus Beneventanus, 655. Cardinalis a Clemente XII. creatur, 696.

*Dorsanne* Antonius, ejus opera & obitus, 33.

E.

*Eckard ab Joannes* Georgius, insignis Historicus, ejus obitus & epitaphium, 390. ipsius scripta, 392.

*Edessa* Abbatissa apud Cæsarem ob blasphemias a Prædicantibus effusas queritur, 411.

*Emigrantes* rustici Salisburgenses, in suum Archiepiscopum rebellionem concitant, 543. se Lutheranos dicunt, 543. compescuntur, 544. aut sectam aut solum vertere jubentur, 544. multi convertuntur, 544. a vicinis Lutheranis corrupti in fide, 545. in fide Catholica æque ac in sua secta rudes, 546. Missionarios contemnunt, 547. poenis coercentur, 547. non pauci ad saniora reducuntur, 548. se Catholicos singunt, 549. 550. Ecclesiæ præcepta non observare deprehenduntur, 551. multis ad Divinum Officium compelluntur, 551. se Lutheranos esse jaſtitant, 552. clam ad Protestantes Ratisbonam confugiunt,

INDEX TOMI LXXIII.

552. falsa exponunt, 552. pro iis Protestantes apud Salisburgensem Archiepiscopum & Legatum deprecantur, 552. eorum falsitas detegitur, 553. libri hæretici eis auferuntur, 554. a veris Catholicis discernuntur, 555. denuo quosdam Ratisbonam ablegant, 556. mendacia exponunt, 556. promissis exterrum suppetiis ad rebellionem animantur, 557. insultant suo Principi, 557. minas in Catholicos intorquent, 558. gravamina fingunt, 559. in ea tamen inquiritur, 559. exonerantur, 559. eis privatum sectæ exercitium promittitur, si quieti & obedientes fuerint, 559. id promittunt, 560. fidem frangunt, 561. denuo a tumultibus abstinere monentur, 561. gravamina prætensa tolluntur, 562. generalem conjurationem in Principem & Catholicos faciunt, 563. in Archiepiscopum, Parochos & Catholicos convitia & minas jaciunt, 564. eorum crimina testibus comprobantur, 565. & typis vulgantur, 565. ab ipso Cæsare ad obsequium admonentur, 565. a Ratisbonensibus ad defectionem sollicitantur, 567. quosdam ad Cæsarem ablegant, 569. Lincii capiuntur, 569. Salisburgum reducuntur, 569. novos tumultus concitant, 570. a Protestantibus proteguntur, 570. Archiepiscopi rationes refellere moliuntur, 572. testimonia

## INDEX TOMI LXXIII.

nia de eorum seditiosis tumultibus ener-  
vare student, 575. emigrandi terminum ab Archiepiscopo obtinent, 577.  
ejus decretum, 578. prolongatur ter-  
minus, 585. a Protestantibus Ratisbonæ  
proteguntur, 586. primi Emigrantes  
Kaufburum adveniunt, 587. tumultuan-  
tur in Ministrum viæ comitem, 588.  
ubique distribuuntur, 588. eorum bona  
restitui petunt & obtinent, 589. Augu-  
stam veniunt, 590. Catholicus Senatus  
tantam multitudinem in Urbem recipere  
tergiversatur, 590. permittit ta-  
men, ut extra Urbem morentur, 591.  
& alternis vicibus aliqui pro audiendis  
Concionibus admittantur, 591. Senatus  
Acatholicus inconsulto Catholico om-  
nes in Urbem invehit, 592. queruntur  
Catholici de violata Regiminis paritate,  
593. ad quædam quæsita sibi responderi  
petunt, 593. Acatholicus Senatus re-  
sponsum differt, 593. minatur Catho-  
licus, 593. Urbis portas claudi jubet,  
595. Acatholicus factam admissionem  
comprobat, 595. ad quæsita respondet,  
596. Catholicus Civitatis portas aperiri  
jubet 597. Acatholicus plures in Urbem  
admittit, 597. Catholici trecentos ad-  
mitti concedunt, 798. alios Acatholicos  
contra suam declarationem cum armatis  
abducunt, & in loco, ubi Augustanæ  
Confessionis exercitium non viget, Con-

## INDEX TOMI LXXIII.

ciones habent, 599. se Lutheranos dici queruntur, 600. eis respondeatur, 600. contra eos queritur etiam apud Imperatorem Episcopus Augustanus, 600. Acatholicus Senatus de Catholicō queritur ob violatam Regiminis paritatem, 601. pro Emigrantibus apud Archiepiscopum deprecatur Rex Borussiæ, 602. Catholicus Magistratus de violato jure suo queritur, 602. remedium afferri supplicat, 603. queritur apud Cæsarem de falso imputatis, 604. uterque Senatus de hac re sermones invidiosos haberi prohibet, 606. Acatholicus publicis typis Catholicum insimulat, 606. Acatholici accusationes Catholicus diluit, 606. Catholicus Duumvir vindicatur, 610. cur portas claudi justerit? 615. Salisburgensis Legatus Saxonis imputationes refellit, 617. falsæ accusations confutantur, 625. Emigrantes a Principibus Acatholicis proteguntur, 633. minantur Principes repressalia in Catholicos, 635. hanc calamitatem amoliri nititur Archiepiscopus, 634. rogatur captivos liberare, 635. 639. omnia, quæ petierunt rebelles, eis concedit, 636. adhuc Acatholici queruntur, 637. Cæsar repressalia impedire nititur, 639. Acatholici contra Archiepiscopum apud Cæsarem queruntur, 640. Sueciæ Rex pro illis apud Cæsarem intercedit, 640.

INDEX TOMI LXXIII.

640. horum rebellium crimina Archiepiscopus per testes & juramenta comprobari, & publicis typis vulgari curat, 645.

*Engelbrecht* Joannes, ejus mors & opera, 186.

*Episcopatus* plures uni Personæ concedi prohibentur, 727.

*Ernestus* Osnabrugensis Pseudo - Episcopus moritur, 15. succedit Colonensis Archiepiscopus, *ibid.*

*Erthal* Carolus Fridericus, moritur relictis quatuor Filii, 319. hiin Religione Catholica educantur, 319. eos repetit Do-rothea de Schaumburg, 319. nominantur Deputati Cæsarei, 320. Filii libere Catholicam Religionem profitentur, 321.

*Espencaeus* vid. *Van - Espen*.

*Exemptiones* restringuntur a Papa, 722.

*Ezendorffius* Laurentius Praeco Lutheranus ob convitia in Calvinistas plectitur, 413.

F.

*Fabritius* Joannes moritur, quænam scripserit, 185.

*Facultas Theologica Parisiensis*, vid. *Sorbona*.

*Falconerius* Cardinalis in Papam a quibus-dam expetitur, 272.

*Federspiell* Ulricus Curiensis Episcopus moritur, 13. controversia ob ejus successorem, 14.

*Fera-*

## INDEX TOMI LXXIII.

- Ferrari* Carolus Vincentius Ord. FF. Praed.  
a Benedicto XIII. Cardinalium Senatui  
accensetur, 147.
- Fidelis* a Simaringa Ord. Capucinorum a  
Benedicto XIII. Beatis Martyribus ad-  
scribitur, 133.
- Firao* Josephus a Clemente XII. Cardina-  
lium Collegio adscribitur, 696.
- Firmian* de Leopoldus, vide *Salisburgensis*,  
*Emigrantes*.
- Fischlin* Ludovicus, ejus lucubrationes &  
decessus, 185.
- Fleuryus* Cardinalis, a Marocanis literas  
accipit de redimendis captivis, 11. Par-  
lamenta contra Officium Gregorii VII.  
reclamantia reprimit, 105. 111. 112.  
121. in Novellarum Ecclesiasticarum  
Auctores inquiri jubet, 468. contra eos  
declamat, 469. in locum typi inquiritur,  
390. exteris peregrinationes prohibet,  
703.
- Fraguier* Claudio, ejus opera & mors,  
164.
- Franciscus* Georgius Trevirensis Archiepi-  
scopus, vide *Wormatiensis*.
- Franck* Michael, ejus opera & obitus, 33.
- Fridericus* Borussiae Rex quemdam Prædi-  
cantem convitiatorem castigari petit,  
414. vid. *Prussiae Rex* pro Emigrantibus  
deprecatur, 602. repressalia adhibet,  
602. 634.

*Fride-*

## INDEX TOMI LXXIII.

- Fridericus IV.* Daniæ Rex moritur, 380.  
Succedit Christianus VI. ejus Filius, *ib.*  
*Fridericus Sueciæ* Rex pro Emigrantibus  
apud Cæsarem deprecatur, 640.  
*Frommann Joannes Andreas*, ejus mors  
& scripta, 396.  
*Funck Joannes* moritur, quænam scripse-  
rit, 186.

### G.

*Galli*, Episcoporum nonnulli graves mo-  
tus contra Officium S. Gregorii VII. con-  
citant, 105. sacrata sua jura coram Rege  
defendunt, 474. Silentium a Rege im-  
ponitur, 477. queruntur desuper, 478.  
a Rege defenduntur, 478. pro suæ ju-  
risdictionis defensione a Rege quædam  
postulant, 484. a Parlamentis vexan-  
tur, 485.

*Gandolphus Maximilianus Salisburgensis*  
Archiepiscopus Missionarios pro conver-  
sione suorum agrestium emittit, 550.  
*Gebhard Henricus* moritur, quænam scri-  
pserit, 186.

*Genevensis Calvinistæ*, contra injuriosa eo-  
rum scripta queritur Rex Franciæ, 95.

*Gentili Antonius Xaverius a Clemente XII.*  
Cardinalium Collegio accensetur, 696.

*Genuenses*, seditione a Corsis mota affli-  
guntur, 674. oblatas conditiones re-  
spuunt, 675. Legatos in Corsicam de-  
cernunt, 676. bellum in eos parant,  
677. a Cæsare armorum suppetias ob-  
tinent, 678.

Götze

*Götze* Georgius, ejus opera & mors, 35.  
*Grammlichius* Joannes, ejus opera & obitus, 35.

*Graveson* Amatus Hyacinthus Ord. FF.  
 Prædicatorum Scriptor insignis, ejus mors, opera & vindiciæ contra Trevoltienses, 386. 387.

*Græci* juvenes in Seminario instituuntur, 700.

*Gregorius VII.* Papa, motus contra ejus Lettiones excitantur, 103. & seqq.

*Grimaldus* Hieronymus a Clemente XII.  
 Romana Purpura decoratur, 361.

*Guadagni* Joannes Antonius ex Ordine Carmelitarum Discalceatorum a Papa Cardinalis & Vicarius Generalis creatur, 696.

*Gundling* Nicolaus, ejus lucubrationes & fata, 186.

*Gundling* Paulus Jacobus, de ejus morte & lucubrationibus, 735.

*Gustavus* Samuel Dux Bipontinus sine prole mascula decedit, 716. lis de ejus successione inter Electorem Palatinum, & Ducem Birkenfeldensem, 716. utriusque fundamenta, 717.

## H.

*Hahn* Simon, ejus obitus & opera, 185.

*Halberstattenses* Catholici ob Salisburgenses Emigrantes vexantur, 634. ad ipsum Archiepiscopum supplices recurrent, 634. ab eo responsum accipiunt, 635.

*Hamers-*

# INDEX TOMI LXXIII.

*Hamerslebense* Monasterium suis bonis restituitur, 367. ad ineundam transactio- nem sui Generalis consensum obtinet, 369. ea Viennæ confirmatur, 370.

*Harduin* Joannes Jesuita, plurima scripsit, 165. exoticas tuetur opiniones, 165. a pluribus impugnatur, 166. Quirini Cardinalis judicium de eo, 170. suas sententias revocare jubetur, 173. revocat, 175. controversiae contra ejus edita Concilia, 176. moritur, 177. ejus epitaphium, 178.

*Harrach* Comes Neapolitanus Pro - Rex Cosciam Cardinalem recipere renuit, 263. Sicarios e Templo abstrahi jubet, 681. propterea cum Archiepiscopo Beneventano colliditur, 682.

*Hase* Theodorus, ejus scripta & mors, 376.

*Heidelbergenses* Calvinistæ vid. *Huet*.

*Hellmundus* Wezlaensis Pietista, ejus errores, 403.

*Henrietta* Parmensis Ducis Vidua uterum se gerere dicit, 458.

*Herbipolensis* Episcopus, vide *Christophorus*.

*Hilscher* Paulus, ejus scripta & obitus, 397.

*Holzapfel* Joannes Jacobus de, Augustanus Duumvir, suum providum consilium de non admittendis in Urbem Emigrantibus, 590. vid. *Emigrantes*. Lutheranos vocari *Evangelicos* non patitur, 600.

*Holzhalb* David, ejus opera & obitus, 736.

*Hono-*

INDEX TOMI LXXIII.

- Honoratus a S. Maria Carmelita Excalceatus Criticorum Princeps, 180. præclara ejus scripta, 181. moritur, 184.*
- Houdry Vincentius Jes. ejus opera & obitus, 179.*
- Huebner Joannes, moritur, quænam posteris scripta reliquerit, 738.*
- Hungaria, Protestantes ibi in favorem suæ sectæ aliqua obtinent, 707. Episcopi reclamant, & concessa restringi petunt, 713.*
- Huet Adamus Jesuita, contra ejus affer-tiones reclamant Heidelbergenses Cal-vinistæ, 93. eum castigari petunt, 95.*
- Hutten, vid. Christophorus.*
- 1.
- Jansenistæ quemdam librum Cardinali du Bois falso adscribunt, 409. Catholicis injuriosi, 415. varios libros perniciosos spargunt, 466. alium Romæ damna-tum edunt, 470.*
- Jerusalem seu Terra sancta, pro ejus ne-cessitatibus Præfules eleemosynas fieri commendent, 726.*
- Jesuitæ dimissos alere non tenentur, 18.*
- Immunitas Ecclesiastica restringitur, 367.*
- Imperialis Cardinalis in Papam expetitur, 268. a Bentivolio Cardinale excludi-tur, 268. 270.*
- Innocentius XIII. contra dispositionem fa-ctam de successione in Parmensem & Placentinum Ducatus protestatur, 432.*
- Inqui-*

INDEX TOMI LXXIII.

*Inquisitionis Tribunal in Lusitania reformatur*, 136.

*Joannes a S. Michaele Carmelita Discalceatus*, ejus opera & obitus, 394.

*Joannes Nepomucenus*, ejus miracula approbantur, 25. dubia de miraculis solventur, 133. a Benedicto XIII. Sanctis Martyribus adscribitur, 135. officium de eo conceditur, 156.

*Joannes V. Rex Lusitaniae tribunal Inquisitionis reformat*, 136. ejus dissidia cum Papa ob Bichium Nuntium componuntur, 697. conditiones hujus reconciliacionis, 699.

*Joch Joannes Georgius*, ejus scripta & deceffus, 735.

*Josephus Carolus Princeps hæreditarius Solisbacensis moritur*, 162.

*Jurisdictio Episcoporum in Monachos delinquentes*, 151.

K.

*Kauffburenis Magistratus Acatholicus civem ad fidem Catholicam conversum vexat*, 683. causa discutitur, 685. a Cæsare Magistratus reprehenditur, 687.

*Krauschner Joannes Henricus*, quænam scripta posteris reliquerit, & quando obierit, 398.

*Kriegk Georgius*, ejus obitus & scripta, 398. *Kühnburg Comes*, Ferdinandus Archiepiscopus Pragensis moritur, 719. Ejus Successor, 720.

INDEX TOMI LXXIII.

L.

- Lampe* Fridericus, quænam scripserit, & quando obierit? 186.  
*Laubrüssel* Ignatius Jes. ejus opera & obitus, 388.  
*Lavour* Guilielmus moritur, ejus lucubrations, 388.  
*Lenfant* Jacobus, ejus opera & decessus, 34.  
*Leopoldus* Josephus Lotharingiæ Dux moritur, 161.  
*Lintrupp* Severinus, ejus mors & lucubrations posteris relatae, 736.  
*Lotharingus* Franciscus Bajocensis Episcopus a Constitutione appellat, 14. ejus epistolæ, 14.  
*Lubomirsckius* Poloniæ Princeps moritur, 16. ejus elogium, *ibid.*  
*Lucensis* Respublica alienigenam Archiepiscopum non recipit, 678. propterea cum Papa colliditur, 679. reconciliatur, 679.  
*Lucernenses* suum edictum revocant, 651. cum Papa reconciliati Nuntium Apostolicum acceptant, 651.  
*Luldovicus XV.* Galliarum Rex Refractarios Sorbonæ Doctores castigat, 46. a Sorbona acceptancem Constitutionis maturari præcipit, 63. contra injuriosa Genevensium scripta queritur, 95. Parlementi ausus contra Officium S. Gregorii VII. reprimit, 121. ab Archiepiscopo Parisiensi contra refractarios interpellatur, 241. solemni edicto Pontificia de-

## INDEX TOMI LXXIII.

decreta & præcipue Constitutionem *Unigenitus* ab omnibus ubique recipi præcipit, 242. ipsus pro tribunali sedet, 248. suum edictum ad acta Parlamenti referri postulat, 249. renitentes increpat, 251. Quesnelistis Collegium S. Barbaræ eripit, 252. Calvinistarum libros comburi jubet, 287. Cleri querelas contra Montpessulanum Episcopum excipit, 294. Nemausensis Episcopi orationem perbenigne audit, 299. Parlamenti ausus reprimit, 306. in eventualem successionem Parmæ consentit, 450. causam quadraginta Advocatorum ad se evocat, 471. Parlamentum suum objurgat, 472. ob tumultus metum Episcopis Instrunctiones Pastorales edere prohibet, 477. Episcopis jurisdictionem in Sacra afferit, 482. Episcoporum postulatis annuit, 484. reprimit Parlamenti usurpationem circa Sacra, 487. ad Regni Episcopos circa hos motus perscribit, 440. Appellantes pro rebellibus habet, 492. quosdam exilio mulctat, 493. Parlamenti edictum annullat, 494. Parlamento alloquii copiam denegat, 501. in falsa Parisi miracula inquire jubit, 507. fraus detegitur, 507. Sacratas fascias pro recens nato Delphino recipit, 702. Avenionem cingi jubet, 702. Ecclesiam Divionensem in Cathedralem evehit, & a Lingonensis Episcopi jurisdictione

INDEX TOMI LXXIII.

dictione separari petit, 724. ob quas  
causas? 725.

*Lutherani*, infantes ex integro non natos  
non baptizant, vid. *Baptismus*, eorum  
motus ob Ausseßii & Erthali filios in  
Religione Catholica educatos, 310. 319.  
scommata in Catholicos effundunt, 410.  
aliquis Præco etiam in Calvinistas tu-  
multuatur, 413. eorum inhumanitas,  
545. eorum Prædicantes ex Austriaca  
ditione expelluntur, 546. quam tole-  
rantes sint, 689.

M.

*Maffæus Bartholomæus a Clemente XII.*  
Romana Purpura honestatur, 361. con-  
tra eventualem dispositionem de Parmæ  
successione ab Innocentio XIII. protestari  
jubetur, 433.

*Maria Anna Sabaudiæ Regina moritur*,  
16,

*Matrimonium* dissolvitur ob defectum con-  
fensus, 17.

*Maroci Imperator* de liberandis captivis  
Christianis agit, 4. ad Galliarum Re-  
gem perscribit, 8.

*Maurocordatus Walachiæ Princeps mori-  
tur*, 381. ejus scripta, 385.

*Melitenfis Insula*, Turcæ eidem insidian-  
rur, 382. mancipia reddi postulant, 383.  
supremi Magistri responsum, 384.

*Müller Joannes*, ejus opera & decessus,  
737.

*Mont-*

## INDEX TOMI LXXIII.

*Montgeronus* Carre Parlamenti Senator se ad Parisii tumulum ad sanctiorem vitam incitatum mentitur, 515. ejus miracula defendit, 516. librum suum Regi offert, 517. comprehendendi jubetur, 518. **Sacramentorum** usa privatur, 518. ejus exemplaria supprimuntur, 519.

*Motte Hudat Antonius*, ejus scripta & obitus, 733.

### N.

*Nemauensis Episcopus* coram Rege contra Appellantes perorat, 299.

*Noaillius Ludovicus Cardinalis Archiepiscopus Parisiensis* omnes Franciæ Episcopos ad pacem & subjectionemhortatur, 36. Apoplexia tangitur, 36. moritur, 37. ejus virtutes dilaudantur, 37. Carolus Vintimiglia succedit, 39.

*Novellæ Ecclesiasticæ* a Quesnellistis propugnantur, 468. a Senatu Regio dannantur, 468.

### O.

*Olavius Farnesius* Parmam & Placentiam a Paulo III. obtinet, 425. bellum movet in Papam & Cæsarem, 426.

*Oddus Jacobus Præfus* ad accipiedam possessionem a Papa Parmam mittitur, 459.

*Ottinganus Princeps*, vide *Albertus*.

INDEX TOMI LXXIII.

---

P.

- Pamphilius* Benedictus Cardinalis, ejus obitus & elogium, 340.  
*Parisius* Franciscus Diaconus Jansenista, ejus vita a Papa damnatur, 500. 507. 511. ejus hypocrisis, 504. puella per ejus intercessionem sanata singitur, 505. ad ejus tumulum miracula patrari comminiscuntur Quesnellistæ, 505. detegitur fraus, 506. Parisii vitam divulgant, 508. ad ejus sepulcrum Appellantes currunt, 510. varias convulsiones fingunt, 510. inter ipsos Jansenistas schisma oritur, 511. varium de his convulsionibus judicium, 512. ipsi Protestantes hæc miracula impugnant, 513. Montgeronus & alii ea propugnant, 515. Benedicti XIV. judicium de his prodigiis, 519.  
*Parlamenta* Gallica contra Officium S. Gregorii VII. reclamant, 105. reprimuntur a Fleuryo Cardinale, *ibid.* Parisiense Pontificis literas impugnat, 111. propterea a Fleuryo Cardinale reprehenditur, 111. Officium & Papæ decreta proscribit, 120. quorumdam Sorbonæ Doctorum appellationem recipit, 240. contra Regis edictum de acceptanda Constitutione reclamat, 247. a Rege increpator, 251. Cleri Gallicani postulatis obsistit, 305. ejus postulata a Rege rejicitur.

INDEX TOMI LXXII.

rejiciuntur, 306. Embrodunensis Archiepiscopi Instrucionem Pastoralem suppressit, 310. Quesnelliānum librum damnat, 468. sese rebus Ecclesiasticis inferere, a Rege prohibetur, 471. queritur desuper, 471. a Rege objurgatur, 472. Episcopi Aptensis epistolam suppressit, 476. cognitio rerum Ecclesiasticarum ei a Regibus Franciæ denegatur, 479. Aurelianense & Burdigalense Parlamenta Episcopos ob denegata Sacramenta vexant, 485. a Regio Senatu compescuntur, 486. Parisiense contra jurisdictionem Episcopalem editum promulgat, 493. a Rege annullatur, 494. contra Papæ Constitutionem reclamat, 500. ne Bullas Roma acciperent, Episcopis prohibet, 500. Regis literas aperire recusat, 501. a Regis colloquio excluditur, 501. conventum habere prohibetur, 502. habet tamen, 503. ei Regis indignatio intentatur, 504.

*Parma*, controversia ob successionem in hunc Ducatum, 424. an sit feudum S. Sedis vel Imperii? 425. contra dispositionem eventualem reclamatur, 432.  
*Parochi* Parisienses sese suo Archiepiscopo opponunt, 41.

*Passaviensis* Ecclesia in obtenta exemptione firmatur, 284.

*Passioneus* Dominicus Lucernensis Nuntius Apostolicus Lucernam revertitur, 651.

INDEX TOMI LXXIII.

- inde Nuntius Viennam decernitur,  
651.
- Peregrinationes sacrae*, quomodo in Galliis  
prohibentur, 703.
- Petitdier* Matthæus Abbas Benedictinus  
Pontificiæ authoritatis vindex, 26. ejus  
opera & obitus, 26.
- Petrus II.* Moscovia Imperator circa Mo-  
nasteria disponit, 373. Religionum li-  
bertatem concedit, *ibid.*
- Petrus Alexiowiz* Russiæ Imperator ante  
nuptias moritur, 379e Succedit Anna  
Curlandiæ Ducis fidua, 380.
- Philippus V.* Hispaniæ Rex, quodam pri-  
vilegio a Papa exuitur, 681.
- Pietistæ* Prædicantes in Silesia & alibi, 399.  
in eos inquiritur, 400. eorum errores,  
401. unde dignoscantur, 402. Tubin-  
gensium deliria, 402. edicta & poenæ  
in eos statuuntur, 404. a Cæsare pro-  
scribuntur, 405. novi tumultus exci-  
tantur ab eis. 407.
- Pipia Augustinus* Ord. FF. Prædicatorum  
Cardinalis, ejus obitus & elogium, 335.
- Placentia*, controversia ob successionem in  
hunc Ducatum, 424.
- Poloni* edictum contra immunitatem Ec-  
clesiasticam promulgant, 21. lis inde  
orta, 22. edictum a Papa annullatur,  
22. Dissidentibus Primas Regni favere  
videtur, 370. Oratoris famulus a Ro-  
manis Apparitoribus capitur, 679. ob  
illa-

INDEX TOMI LXXIII.

illatam injuriam Romam excedere parat,  
680. placatur, 681. pro reis depreca-  
tur, 681. Dissidentes sua gravamina ex-  
ponunt, 704. exterorum Principum pa-  
trocinium implorant, 705. quænam eo-  
rum postulata? 705.

*Ponceo* Michael Andegavenfis Episcopus  
moritur, 382.

*Pontas* Joannes ejus opera & obitus, 33.

*Portia* Cardinalis in Papam expetitur, 272.  
obsistit Cienfuegos Cardinalis, 272.

*Porst* Joannes moritur, quænam scrip-  
rit, 35.

*Prado* de Joannes Beatorum fastis adscri-  
bitur, 25.

*Pragenfis* Universitas Parisinæ ob accepta-  
tam Constitutionem *Unigenitus* gratula-  
tur, 226. Archiepiscopus moritur, 719.

*Protestantes* in Hungaria, eorum querelæ  
706. quænam a Cæsare obtinuerint, 707.

*Prussiæ* Rex Monasterio Hamerslebensi ab-  
lata restituit, sub quibus conditionibus,  
367. Legati sui conjux ob irreveren-  
tiam S. Viatico exhibitam Viennæ in-  
sultatur, 371. vid. *Fridericus*.

*Puccellus* Abbas Regi infat, 502.

Q.

Quæsnelistæ infamem librum edunt Romæ  
proscriptum, 470. vid. *Jansenistæ* falsa  
miracula configunt, 405. vid. *Pari-  
fius*.

INDEX TOMI LXXIII.

*Quirinus Angelus Cardinalis*, ejus judicium de Harduino, 170. Benedicti XIII. encomium ab eo pronuntiatum, 261.

R.

*Rabener Justus*, ejus obitus & lucubrations, 378.

*Ratisbonæ*, Lutherani a Cæfare monentur. nè Salisburgenses rusticos ad defctionem sollicitarent, 567. in suis ad Cæfarem literis de molestiis & Salisburghenium vexationibus queruntur, 570.

*Religiosi* de redemptione Captivorum cum Marrocano Rege agunt, 4. decipiuntur ab ejus Ministris, 6. Regis Filius opem pollicetur. 7. cantum Gregorianum assumere jubentur, 20. Scholarum piarum altiores etiam scientias docere permittuntur, 365. etiam Nobilibus, 723.

*Romignyus* Facultatis Parisinæ Syndicus Doctores ad obedientiam hortatur 46. ad acceptandam Constitutionem *Unigenitus* Facultatem admonet, 48. 50. refragantur quidam Doctores, 55. relationem a Deputatis factam prælegit, 59. Constitutionis acceptationem strenue promovet, 88. factam acceptationem ubique publicam fieri urget, 189. Tournelium deprædicat, 191. ob retardatas Appellantium literas se excusat, 194. refractarios excludi petit, 196.

*Roque*

## INDEX TOMI LXXIII.

- Roque* la Daniel, ejus opera & obitus, 733.  
*Rof Baro Josephus Curiensis Episcopus*,  
contra eum protestantur Rhæti, 13. lis  
componitur, 14.  
*Rufpulus Bartholomæus a Clemente XII.*  
Romana Purpura honoratnr, 361.

### S.

- Sacramenta* indignis denegantur, 485. mo-  
tus a Parlamentis propterea concitan-  
tur, 486.  
*Salerno* Joannes Baptista Cardinalis, ejus  
obitus & elogium, 141.  
*Salisburgensis Archiepiscopus* de exemptio-  
ne Passaviensis Episcopatus apud Papam  
queritur, sed frustra, 284.  
*Salviatus* Cardinalis in Papam expetitur,  
271. quoddam vaticinium suffragari vi-  
detur, 271.  
*Santinius* Vincentius apud Polonos Nun-  
tius Apostolicus moritur, 382.  
*Sardiniæ Rex*, vid. *Carolus Emanuel*.  
*Saurin* Jacobus Calvinista, ejus opera &  
decessus, 396.  
*Schmid* Joannes, quænam scripserit, &  
quando obierit, 137.  
*Schmitius* Præco ob sua convitia a Cæsare  
castigatur, 411.  
*Schönborn* Fridericus Carolus Comes Bam-  
bergensis Coadjutor succedit in Herbi-  
polensi Ecclesia, 159.

*Schön-*

INDEX TOMI LXXIII.

- Schönborn* Lotharius Comes Elector Moguntinus & Archiepiscopus moritur, 159. ejus elogium, 159. succedit Franciscus Ludovicus Comes Palatinus, 161.
- Selleri* Gregorius Cardinalis Ord. FF. Præd. ejus merita, & obitus, 144.
- Sicula Monarchia*, item inde ortam Benedictus XIII. componit, 19.
- Simmonettus* Apostolicus Regni Neapolitanj Nuntius Cosciam in jus vocare jubetur, 658.
- Sinenses*, pro eorum juvenibus Collegium instituitur, 700.
- Sitticus* Marcus Salisburgensis Archiepiscopus Lutheranos subditos ad fidem revocare nititur, 547. plures ad saniora reducit, 548. libros eis eripi jubet, 549.
- Sophia* Elisabetha Solisbacensis Ducissa moritur, 16.
- Sorbona*, refractarios illius Doctores Franciæ Rex excludi jubet, 46. ad obedientiam a Syndico admonentur, 48. ad recipiendam Constitutionem *Unigenitus* incitantur, 50. nominantur Deputati, qui examinent, an hæc Constitutio Anno 1714. fuerit unanimi voce recepta, 55. alii Doctores reclamant, 56. Deputati totam rei gestæ seriem exponunt, 58. continuatur relatio, 71. Sorbonæ sententia de auctoritate Pontificis, 82. solemnni decreto Constitutionem recipit, 88. refractarios a suo gremio excludit, 91. decre-

## INDEX TOMI LXXIII.

decretum Facultatis Anni 1714. esse legitimum pronuntiat, 187. refractarium Doctorem excludit, 188. suam acceptationem publicam fieri postulat, 189. opposentes Magistros jure Facultatis excidisse declarat, 201. plures Sorbonæ Doctores resipiscunt, 204. ceteris dissidentibus terminum præfigit, 206. suæ acceptationis instrumentum publici juris facit, 207. 209. mentem suam publice declarat, 210. datis literis de sua acceptatione certiores reddit plures Academias & præcipue Colonensem & Pragensem, 213. ab utraque gratulatorias literas recipit, 221. 226. aliqui Doctores contra appellant, 240. Sorbonæ judicium de Vampyris, 533.

*Spener* Jacobus, ejus opera & decessus, 396.  
*Strimefius* Samuel, quænam scripserit, &  
quando obierit, 397.

### T.

*Tertiariæ Carmelitanæ Generali* suo subjiciuntur, 21.

*Texier Le Franciscus* ex Congreg. S. Mauri Benedictinus, ejus lucubrationes & obitus, 734.

*Theresia* S. Transverberatio, ejus festum ad altiorem ritum elevatur, 23. ad omnes ditiones Austriacas extenditur, 727.  
*Theresia Sobieskya* Electoris Bavari Conjux Venetiis moritur, 378. Monachium cadaver transfertur.

*Tho-*

INDEX TOMI LXXIII.

*Thomasius Christianus*, ejus opera & obitus, 34. 379.

*Thomas Emanuel Sabaudiæ Dux* moritur, 162.

*Tiberga Ludovicus*, ejus mors & lucubrations, 394.

*Tournelii Honoratus Constitutionem Unigenitus*, a Sorbona recipi adlaborat, 55. Relationem rei gestæ componit, 58. ob vitium oculorum eam prælegere impeditur, 58. moritur, 179. quænam ediderit, *ibid.* in publicis Sorbonæ comitiis deprædicatur, 191.

*Treuva Simon Michael Quesnelista*, ejus opera & obitus, 383.

*Turcæ Melitensi Insulæ insidianter*, 383. mancipia sibi tradi postulant, 384. repulsam ferunt, *ibid.*

U.

*Vampyri*, dantur ejusmodi generis homines, 524. in Polonia & Russia erant primi, 526. & novissime in Hungaria & Sclavonia, 527. variae de iis Historiæ, 527. 530. in rei veritatem inquiritur, 528. Sorbonæ judicium, 533. unde proveniant hi effectus? 538. Benedicti XIV. P. judicium de iis, 540.

*Van-Espen* ejus fata, 27. illius opera, 28. ejus mors, 32.

*Vittor Amadeus II.* Sardiniæ Rex circa Clericorum bona disponit, 372. novam Conjugem dicit, 374. Regnum abdicat, 375. ejus Filius in Regem proclamatur, 376. sceptrum resumendi desiderio incitatur, 647. cum suo Filio colliditur, 648. a suo Filio Ripalium abducitur, 649.

*Viennenses* cultum S. Eucharistiae debitum contra Acatholicos vindicant, 371.

## INDEX TOMI LXXIII.

*Vincentius* a Paulo Congr. Missionum Fundator, a Benedicto XIII. Beatis adscribitur, 135.  
*Villarevel* Emanuel, ejus obitus & opera, 735.  
*Vintimiglia* Carolus Comes de Luc Aquensis Archiepiscopus eligitur, 39. suos Diæcesanos ad acceptandam Constitutionem *Unigenitus* hortatur, 39. Clerum reformat, *ibid.* Cathedrales Canonicos ad obedientiam reducit, 40. quidam Parochi sese ei opponunt, 41. eos ad saniora reducere nititur, 43. Pastoralem edit epistolam, 44. quidam refractarii Doctores suam oppositionem ei insinuant, 240. queritur desuper apud Regem, 241. auditur benevole a Rege, 241. Antissiodorenis Episcopi audaciam redarguere rogatur, 291. Advocatorum libellum impugnat, 476. in falsa Parisii miracula inquirit, 506. damnat sparsos libellos de his miraculis, 506. fraus detegitur, 507.

*Voeux* Parisii miracula impugnat, 513. à Maupasio refellitur, 515.

*Voti commutatio*, 150.

### W.

*Wagenseil* Kaufburanus civis ad fidem Catholicam revertitur, 683. propterea a Lutheranis vexatur, 684. a Cæsare protegitur, 684.

*Waldenses* a novo Sardiniae Rege vel sectam vel solum mutare jubentur, 377. Principum potentiam implorant, *ibid.*

*Wernsdorf* Gottlieb, quænam scripsit & quando obierit, 186.

*Wolkenstein* Comes Antonius Tridentinus Episcopus moritur, 381.

*Wolff* Abraham, ejus opera & decessus, 787.

*Wolfgangus* Theodoricus Salisburgensis Archiepiscopus rusticos rebelles compescit, 544.

*Wormatiensis* Lutherani litem circa S. Viatici circumgestationem instaurant, 378. eorum querelæ, 738. Corporis Evangelicorum opem implorant, 739. ad Cæsarem suas querelas prescribunt, 740. quænam exposuerint? 741. Cleri Wormatiensis rationes, 742. 743. iteratae Lutheranæ

# INDEX TOMI LXXIII.

theranorum preces ad Cæsarem, 744. apolo-  
giam edunt, 746. in sui favorem decretum ex-  
torquent, 751. reclamat Episcopus & Elector  
Trevirenis, 751. ejus querulundi rationes, 753.  
ejus Antipalladium, 753. ejus Synopsin edi-  
curat, 755.

Z.


*Zillenberg* Baro de, Salisburgenſis Legatus accu-  
ſations suo Principi & Archiepifcopo impu-  
tatas diluit, 552. 619.

*Zondadarius* Cardinalis in Papam expetitur. 270.


## *ERRATA Sic corrige.*


Pag. 2.	audi	laudi
36	faterna	fraterna
40	hanc	hunc
122	Ordines	Ordinum
123	ullo	ulla
124	Steenhoven	Barchman
158	constiturus	constituturus
172	San-Germanensis	San - Germanenses
237	nata	nacta
322	an	acu
355	magnæ	magna
515	præcesserit	proceſſerit
539	Melancoltiam	Melancoliam
" - "	tetbras	tetras
584	securitati	securitatis
624	præſertim	præſertim
















F L E U R I  
HISTORIA  
ECCLESIASTICA

F. LXXIII.

1729. 1731

Signt. Top

Est. 58

Tab. 4

Nùm. 12

1848

3420